ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

DISQUISITIONES
SCHOLASTICO-DOGMATICAE.

VOL. III.



208.9
C 262

DISQUISITIONES SCHOLASTICO-DOGMATICAE

QUAS LEGEBAT

VALENTINUS CASAJOANA, S. J.

PLURIBUS IN ACADEMIIS HISPANIS
ET EXTERIS ET NUPER UNIVERSITATE PONTIF. GREGORIANA
COLLEGII ROMANI
Theologiae Dogmaticae Lector

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

VOL. III.

DE SACRAMENTIS ECCLESIAE CHRISTI

DISQUISITIONES OCTO

VIII. DE SACRAMENTIS IN GENERE.—IX. DE BAPTISMO.—X. DE CONFIRMATIONE.—XI. DE EUCHARISTIA.—XII. DE POENITENTIA.—XIII. DE EXTREMA UNCTIONE.—XIV. DE ORDINE SACRO.—XV. DE MATRIMONIO.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
C 262
Alma, California

SUPERIORUM PERMISSU.

BARCINONE.
APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA, EDITORES.
IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16.
1890.

262

Typis Viduae et Filiorum J. Subirana.

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

APPROBATIO

Ego Joannes Florit, Societatis Jesu presbyter, ex commissione A. I. D. Francisci de Pol, Vicarii Generalis Dioeceseos Barcinonensis, legi librum, cui titulus, *Disquisitiones Scholastico-Dogmaticae, quas legebat Valentinus Casajoana, S. J., pluribus in Academiis hispanis et exteris et nuper in Universitate Pontificia Gregoriana Collegii Romani Theologiae Dogmaticae Lector, vol. III*, nihilque in eo quod catholicae fidei ac pietati absonum sit deprehendi; imo auctor in tradenda ac explicanda de Sacramentis christianae religionis doctrina non mediocriter instructus exhibetur, commendatione simul dignus professoribus ac discipulis ut cognitionem de fundamentis, natura et proprietatibus mediorum ad animarum sanctificationem a Christo Domino Nostro institutorum, compendiosam solidamque sibi comparare valeant: quapropter dignum existimo ut prelo excudatur.

In Collegio Maximo Dertusano Societatis Jesu, XII Calendas Octobris, anno Dni. MDCCCXC.

Joannis Florit, S. J.

DECRETUM

Barcinone, VIII Calendas Octobris anno millesimo octingentesimo nonagesimo. Imprimatur.—Franciscus a Pol. V. G.—*Dr. Jacobus Brugueras, Pbter.* Scrius. Cans.—Es copia.—*Dr. Jaime Brugueras, Pbro.* Srio. Canc.

INDEX GENERALIS

juxta Disquisitionum Ordinem (1).

DISQUISITIO I.

De sacramentis in genere inspectis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM EXISTENTIA, NUMERO ET EFFICACIA.

	Pag.
Praemittenda..	1
Articulus I.—De existentia sacramentorum.	2
Thesis I. In Lege Nova seu Ecclesia Christi existunt sacramenta, et quidem septem..	4
Articulus II.—De sacramentorum efficacia.	8
Thesis II. Sacramenta Novae Legis conferunt ex opere operato illa suscipientibus gratiam, nisi obicem ponant. . .	8
Scholia.	12
Thesis III. Propter meliorem ministrum non potest haberi per sacramentum major gratia ex opere operato; bene tamen ex opere operantis.	16
Thesis IV. In subjectis aequaliter dispositis confert idem Sacramentum aequalem gratiam; meliorem autem in magis dispositis.	18
Thesis V. Gratia sanctificans, quae est Sacramentorum effectus, est eadem quoad essentiam cum gratia sanctificanti communi; differunt in eo, quod prior, qua Sacramentalis, est sanativa animae; altera minime, sed per se elevativa tantum. In diversis Sacramentis pro diverso cujusque fine, eadem gratia peculiaria exigit auxilia, suo tempore conferenda..	20
Thesis VI. Trium Sacramentorum Baptismi, Confirmationis	

(1) Adest ad calcem voluminis index alphabeticus.

Pag.

et Ordinis proprium est Characterem in anima imprimere. 23
Scholia. § 1. *De natura characteris.* 27
§ II. *Utrum character sit entitas absoluta vel relativa.* . . . 28
§ III. *De subjecto characteris.* 29
§ IV. *An in alia vita maneat character.* 29
Articulus III.– De causalitate sacramentorum. 30
Thesis VII. Sacramenta causae sunt instrumentales vel morales vel physicae. 30
Scholion. Utrum physica sit vel moralis Sacramentorum causalitas. 31
§ I. *Status quaestionis.* 31
§ II. *Rationes sententiae negantis physicam Sacramentorum causalitatem.* 32
§ III. *Argumenta pro physica causalitate Sacramentorum.* . . . 33
§ IV. *Respondetur rationibus in contrarium.* 38
§ V. *De natura causalitatis physicae Sacramentorum.* . . . 42

CAPUT II.

DE PRINCIPIO SACRAMENTORUM INTRINSECO.

Articulus I.—De materia et forma sacramentorum. 43
Thesis VIII. Novae Legis sacramenta constituuntur rebus et verbis veluti materia et forma, tamquam partibus essentialibus. 43
Corollarium. 46
Thesis IX. Verba formae sacramentalis sunt consecratoria, non autem necessum est esse concionatoria. 47
Articulus II.—De intentione in Sacramentorum confectione. 50
Thesis X. Intentio ministri necessaria est ad perficiendum Sacramentum, et quidem intrinsece seu constitutive. . . 50
Scholion. An intentio suscipientis, cum necessaria est, sit de intrinseca constitutione Sacramenti. 54
Thesis XI. Intentio, quae in ministro, ut verum conficiat Sacramentum, requiritur, talis sit oportet; ut non solum ritum illum specialem verbis et rebus coalescentem nude, seu materialiter, ac serio velit; sed insuper oportet ut illum velit, ut sacramentalis est, seu formaliter, saltem confuse et implicite, puta; intendo facere id quod facit Ecclesia. . 54
Scholia. 58
§ I. *Quo pacto cum intentione contraria stet Sacramentum.* . . 58
§ II. *De intentione virtuali.* 59
§ III. *De intentione Sacramenti in causa.* 60

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM DEFINITIONE ET CAUSA PRINCIPALI.

Pag.

Articulus I.—De Sacramentorum definitione. 61
Thesis XII. Recte definitur Sacramentum, signum sensibile, practicum rei sacrae sanctificantis homines. Quae autem a pluribus adjiciuntur proprietates, scilicet, quod sit signum permanens et a Deo institutum, ad definitionem descriptivam sane pertinent, non autem essentialem. 61
Scholion. Utrum definitio univoca sacramentis Novae et Antiquae Legis conveniat. 62
Corollarium. 63
Articulus II.—De causa principali Sacramentorum 64
Thesis XIII. Ecclesia Sacramenta omnia a Christo Domino fuerunt immediate instituta. 64
Scholia. § I. *Institutionis notio amplius declaratur*. 67
§ II. *An pura creatura Sacramenta possit instituere*. 68
§ III. *De causa meritoria Sacramentorum*. 69

CAPUT IV.

DE CAUSA SECUNDARIA SACRAMENTORUM.

Articulus I.—De Ministro Sacramentorum. 71
Thesis XIV. Minister ordinarius Sacramentorum est solus homo et quidem viator.. 71
Scholia.. 73
Thesis XV. Non est necessaria in Ministro fides ut validum conferat Sacramentum.. 74
Corollarium. 76
Thesis XVI. Minister in peccato mortali existens, et Sacramentum ministrans, peccat mortaliter si consecratus sit ad ministrandum et ex officio, seu selemniter ministret. . . 76
Thesis XVII. Quivis minister, sive consecratus sit, sive non, et quamvis privatim non autem solemniter agat, peccat mortaliter ministrans Sacramentum in statu peccati gravis. 79
Articulus II.—De subjecto Sacramentorum. 80
Thesis XVIII. Excepta Eucharistia, ad valide suscipienda Sacramenta requiritur aliqua positiva voluntas seu intentio. 80
Scholion. 82

Pag.

Thesis XIX. In subjecto Sacramentorum non est necessaria fides ad ea valide suscipienda, Sacramento excepto Poenitentiae. 82
Thesis XX. Ad Sacramenta mortuorum fructuose suscipienda non requiritur status gratiae: per se autem requiritur ad Sacramenta vivorum; licet per accidens possint etiam primam causare gratiam. 83
Thesis XXI. Qui ad Sacramenta haud rite dispositi accedunt, eorum fructum non participant et mortaliter peccant. . . 85
Thesis XXII. Saltem aliqua Sacramenta, ablato obice, reviviscunt; seu fructum quo prius, licet valida, caruerunt, obtinent. 86

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS.

Thesis XXIII. Dantur in Ecclesia catholica Sacramentalia, seu ritus sacri ad Sacramenta analogiam vel ordinem aliquem habentia, laudabiliter ab Ecclesia instituta. . . . 88
Scholia. 89
Thesis XXIV. Venialia Sacramentalibus remittuntur, quatenus auxilia usu illorum impetrata ad poenitentiam nos disponunt et excitant, propter quam Deus illa condonat. . . 90
Scholion. 91

DISQUISITIO II.

De Sacramento Baptismi.

Prooemium. 92

CAPUT I.

DE EXISTENTIA BAPTISMI ET EJUSDEM EFFECTIBUS.

Articulus I.—De Baptismi existentia. 91
Thesis I. Datur in Ecclesia Baptismus a Christo institutus. . 91
Scholion. De institutionis tempore. 96
Articulus II.—De Baptismi effectibus. 97
Thesis II. Per Baptismum peccatum omne, tum originale, tum actuale, remittitur ac gratia infunditur. 97

Pág.

Thesis III. Per Baptismum remittuntur poenae omnes peccatis debitae, spiritualis infunditur character, et jus conceditur ad auxilia gratiae specialia pro christiana vita ducenda. 99

CAPUT II.

DE NATURA BAPTISMI.

Articulus I.—De natura Baptismi generatim sumpta. . . . 101
Thesis IV. Baptismus est Novae Legis sacramentum. . . . 101
Articulus II.—De materia Baptismi. 102
Thesis V. De necessitate Baptismi est aqua vera et naturalis, ideoque et ejusdem materia. 102
Scholion. 104
Thesis VI. Aquae usus in Baptismo est corporis externa ablutio, quae dici solet materia proxima.. 104
Scholion. 105
Articulus III.—De Baptismi forma. 107
Thesis VII. Distincta divinarum personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti invocatio est necessaria ad validum Baptismum. 107
Thesis VIII. Actus baptizandi est distincte significandus ad validum Baptismum conferendum: unde forma Baptismi hisce verbis continetur: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. 112
Corollarium. 113

CAPUT III.

DE UNITATE ET DEFINITIONE BAPTISMI.

Articulus I.—De unitate Baptismi. 114
Thesis IX. Baptismus unus est, seu iterari numquam potest. 114
Scholion. 116
Articulus II.—De definitione Baptismi. 117
Thesis X. Baptismus physice definitur: Lavacrum aquae sub praescripta verborum forma cum debita intentione; metaphysice autem, est sacramentum spiritualis regenerationis in Christo. 117

CAPUT IV.

DE NECESSITATE BAPTISMI

Pág.

Articulus I.—De Baptismo. 118
Thesis XI. Excepto casu martyrii. Baptismus est necessarius necessitate medii: adultis, nempe, in re, vel in voto; parvulis autem in re. 118
Scholion. 122
Articulus II.—De Baptismo flaminis. 123
Thesis XII. Baptismus flaminis, id est, actus perfectae contritionis vel charitatis, quatenus Baptismatis votum continet, sufficit ad justificationem assequendam et vitam aeternam. 123
Scholion. 125
Articulus III.—De Baptismo sanguinis. 125
Thesis XIII.—Quoad plenam justificationem, poenae remissionem, et gloriae assecutionem idem praestat martyrium, seu Baptismus sanguinis, quod Baptismus aquae, tum pro adultis, tum pro parvulis. 125
Scholia. 127
§ I. *Quod voluntarium ad Martyrium requiratur*. 127
§ II. *An requiratur charitas ad fructum martyrii*. 128
§ III. *An sint veri martyres qui in obsequio peste laborantium moriuntur*. 129
§ IV. *An pariter sint martyres milites in bello pro fide occumbentes*. 129

CAPUT V.

DE BAPTISMI MINISTRO.

Articulus I.—De baptismi validi Ministro. 132
Thesis XIV. Quilibet homo sufficienter ratione utens ut possit aquam fundere, verba proferre, et debitam habere intentionem, est ordinarius Minister Baptismi ad valide baptizandum. 132
Thesis XV. Omnes qui valide baptizare possunt, licite baptizant in casu necessitatis. 134
Scholion. 134
Articulus II.—De Baptismi solemnis Ministro. 135

Pág.

Thesis XVI. In Baptismo solemni, seu extra necessitatem, minister ordinarius est Sacerdos, licet principalius ipse Episcopus: extraordinarius autem Diaconus. 135
Scholia. 136
I. Quae dispositiones requirantur in Ministro ad licite baptizandum. 136
II. In quo Baptismus solemnis a privato distinguatur. . . 136

CAPUT VI.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Articulus I.—De Baptismo infantium. 137
Thesis XVII. Infantes, etiamsi ad annos discretionis non pervenerint, licite baptizantur. 137
Scholion. 140
Thesis XVIII. Filii infidelium non baptizatorum per se, seu generatim loquendo, non sunt baptizandi, parentibus reluctantibus: in nonnullis autem casibus licitum est, vel etiam obligans baptizare illos. 140
Articulus II.—De Baptismo adultorum. 143
Thesis XIX. Ad valide suscipiendum Baptismum requiritur positiva intentio: ut autem licite suscipiatur, opus est fide et proposito servandi legem Christi. 143
Thesis XX. Adultis peccatoribus necessaria est, ad licitam Baptismi susceptionem, contritio seu dolor de peccatis. . 145
Scholion. 146

DISQUISITIO III.

De Sacramento Confirmationis.

Prooemium. 147

CAPUT I.

Articulus I.—De sacrae Confirmationis existentia. 148
Thesis I. Habetur in Ecclesia Confirmatio divinitus instituta. 148
Articulus II.—De effectibus sacrae Confirmationis. 151
Thesis II. Effectus sacrae Confirmationis est, praeter spiri-

Pag.

tualem characterem, augmentum gratiae sanctificantis, cum jure ad peculiaria auxilia ad fortiter fidem Christi profitendam; seu breviter, plenior Spiritus Sancti illapsus in baptizatum.. 151

CAPUT II.

DE NATURA CONFIRMATIONIS.

Articulus I.—De natura confirmationis generatim sumpta.. 156
Thesis III. Confirmatio est verum Ecclesiae Christi sacramentum.. 156
Thesis IV. Materia remota Confirmationis est Chrisma, seu oleum cum balsamo; materia autem proxima est unctio, simul, probabilius, cum impositione manuum. 157
Scholia.. 161
Thesis V. Forma sacramenti Confirmationis sunt verba illa: «Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». 162

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

Articulus I.—De Ministro Confirmationis. 163
Thesis VI. Minister ordinarius sacramenti Confirmationis est solus Episcopus; extraordinarius autem simplex sacerdos. 163
Articulus II.—De Subjecto Confirmationis. 165
Thesis VII. Omnes et soli homines baptizati capaces sunt Confirmationis; non tamen ad eam suscipiendam tenentur ut salutem assequantur. 165

APPENDIX.

DE SPIRITUS SANCTI DONIS.

§ I. *Quae sint dona Spiritus Sancti.* 167
§ II. *An haec dona distinguantur a virtutibus infusis.* . . . 168
§ III. *Quod bonum animae singula tribuant..* 169
§ IV. *Quo perfectionis ordine numerentur.* 169

DISQUISITIO IV.

De Sanctissima Eucharistia.

Pág.

Prooemium. 171

PARS. I.

DE SANCTISIMA EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

Praeambula. 172
Praeambulum I.—An Christus D. Pascha judaicum celebraverit. 172
Praeambulum II.—Utrum in cap. VI Evangelii S. Joannis sermo fiat de Eucharistiae Sacramento. 175

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, SEU REALITATE S. EUCHARISTIAE.

Articulus I.—De Christi praesentia in S. Eucharistia. . . . 179
Thesis I. Christus est vere, realiter et substantialiter praesens in Eucharistia; seu vere et realiter tradit nobis carnem suam ad manducandum, sanguinem ad bibendum. . 180
Thesis II. Statim post prolationem cuiusque formae, Christus D. est praesens in Eucharistia; consequentur et ante usum ipsius sacramenti. 189
Articulus II.—De non permanentia panis et vini in Eucharistia. 191
Thesis III. Substantia panis et vini non permanet in S. Eucharistia; sed convertitur in Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi: ejusmodi conversio recte dicitur transsubstantiatio. 191
Corollarium. 194
Scholia. § I. *De natura actionis transsubstantiativae.* . . . 195
§ II. *Quid importat conversio totius substantiae panis et vini.* . 196
Dico I. Post consecrationem, seu conversionem, non manet in Eucharistia quidquam formae substantialis panis et vini. 196

Pag

Dico II. Non manet in sacramento aliquid materiae panis et vini. 197
Dico III. Neque remanet in sacramento subsistentia panis et vini. 197
Dico IV. Post consecrationem non manet existentia substantialis panis et vini. 197
Dico V. Facta conversione, non manet eadem numero entitas, vel substantia quae fuit panis, sub esse Corporis Christi. 198
§ III. *An debeat terminus a quo absolute desinere esse.* . . . 199
§ IV. *An substantia panis et vini annihiletur.* 200
Articulus III.—De accidentium permanentia in Eucharistia. 201
Thesis IV. Facta conversione substantiali, aliquid manet in Eucharistia, nempe accidentia, seu species; et quidem absque subjecto, id est, sine substantia panis et vini. . . . 201
Thesis V. Id quod manet in Eucharistia, scilicet accidentia, seu species, sunt aliquid reale objectivum, non merae sensuum affectiones, seu apparentiae. 201
Scholia § I. *An post consecrationem maneant eadem numero accidentia.* 205
§ II. *Quaenam perseverant in Sacramento accidentia.* . . . 205
§ III. *An in Sacramento sint accidentia absque ullo subjecto.* . 206
§ IV. *De virtute activa et passiva accidentium in Eucharistia.* 207
Articulus. IV.—Multiplex praesentia Christi cum accidentibus collata. 209
Thesis VI. Christus est totus sub singulis speciebus panis et vini, et sub qualibet parte cujusque speciei, separatione facta; imo etiam ante divisionem. 209
Scholia § I. *De reali corporum compenetratione.* 213
Corollarium. 214
§ II. *De simultanea Christi existentia in pluribus locis.* . . . 215
Dico I. Posse multiplicari praesentiam etiam corporum definitivam non est dubitandum. 215
Dico II. Quoad praesertim circumscriptivam, licet hoc sit minus certum, videtur posse quoque multiplicari. 215
§ III. *De iis quae connectuntur cum multiplici Christi D. praesentia, praesertim sacramentali.* 216

CAPUT II.

DE EFFECTIBUS S. EUCHARISTIAE.

Pag.

Articulus I.—De gratia quam causat sacra Eucharistia. . . 221
Thesis VII. Eucharistia auget gratiam; unde per se non est instituta ad illam primo causandam. 221
Thesis VIII. Eucharistia potest per accidens primam causare gratiam, seu remissionem peccatorum. 223
Scholia. De aliis effectibus divinissimi hujus convivii. . . 224
Articulus II.—De communione sub una tantum specie. . . 227
Thesis IX. In communione sub una specie, eadem gratia per se suscipi videtur ac in communione sub utraque: tamen si, sumpta una specie, major fuerit dispositio ad sumendam alteram, accipietur uberior gratiae fructus. 227
Scholia. Nonnullae quaestiones ad Eucharistiae efficientiam respicientes. 229

CAPUT III.

DE NATURA EUCHARISTIAE.

Articulus I. – De constitutione Eucharistiae. 230
Thesis X. Sacra Eucharistia est Novae Legis sacramentum.. 230
Thesis XI. Corpus et Sanguis Christi constituunt intrinsece sacramentum Eucharistiae, non indirecte, seu in obliquo tantum, sed in recto. 231
Thesis XII. Species constituunt etiam intrincese Eucharistiae sacramentum, et in recto per sacramentum significantur. 233
Thesis XIII. Verba consecrationis intrinsece constituunt Eucharistiae sacramentum, non vero actio transsubstantiativa. 234
Thesis XIV. Sumptio, seu usus Eucharistiae, non spectat ad ejus constitutionem intrinsecam. 235
Articulus II.—De materia Eucharistiae.. 236
Thesis XV. Panis et vinum sunt materia remota sacramenti Eucharistiae; panis autem triticeus et vinum de vite. . . 236
Scholia. § I. *De usu tum panis azymi, tum fermentati.* . . . 237
§ II. *De modica aqua vino miscenda.* 238
§ III. *Quid fiat de aqua vino mixta post consecrationem.* . . 238
Dico. Aqua in consecratione convertitur in Sanguinem Christi. 239

Pag.

§ IV. *Utrum miscenda sit aqua ex praecepto divino vel ecclesiastico in materia Eucharistiae.* 241
Articulus III.—De forma Eucharistiae. 241
Thesis XVI. Forma consecratoria S. Eucharistiae sunt verba: Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus, quibus Christus ipse consecravit. 241
Thesis XVII. Sola illa verba: Hic est Sanguis meus, vel aequivalentia, sunt essentialia; saltem non omnia alia quae dicuntur sunt de essentia formae pro consecratione calicis. 243
Thesis XVIII. In consecratione Eucharistiae necessum est ac esentiale proferre verba assertive. 245
Thesis XIX. Verba formae dicuntur simul recitative, seu historice; non tamen id est de necessitate sacramenti. . . 247

CAPUT IV.

DE MINISTRO ET SUBJECTO S. EUCHARISTIAE.

Articulus I.—De S. Eucharistiae ministro. 249
Thesis XX. Sacerdotum proprium est sacram Eucharistiam consecrare. 249
Thesis XXI. Potestas ordinaria ministrandi fidelibus Eucharistiam convenit Sacerdotibus jure divino. 251
Thesis XVII. Eucharistiam possunt Presbyteri, secundum Ecclesiae praescriptionem, per Diaconum dispensare. . . 253
Articulus II.—Sacrae Eucharistiae subjectum. 254
Thesis XXIII. Eucharistiae subjectum est tantum homo baptizatus; et justus, saltem existimative, ac aversus a peccato esse debet, ut fructuose eam recipiat. 254
Scholia. De puerorum communione. 256

CAPUT V.

DE NECESSITATE ET USU EUCHARISTIAE.

Articulus I.—De necessitate Eucharistiae. 257
Thesis XXIV. Ex praecepto divino et ecclesiastico necessaria est sumptio S. Eucharistiae. 257
Scholia. 258
Thesis XXV. Non datur praeceptum divinum sumendi S. Eucharistiam sub utraque specie. 259

Pag.
Articulus II.—De S. Eucharistiae usu. 261
Thesis XXVI. Est triplex Eucharistiae perceptio: sacramentalis tantum, spiritualis et sacramentalis simul, et spiritualis tantum. 261
Scholion. 263

PARS II.

DE SMA. EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

Praeambulum. De natura Sacrificii. 264
Dico I. Sacrificium est quoddam signum sacrum. 264
Dico II. Significat Sacrificium in Deo supremam excellentiam et dominium; in homine autem recognitionem talis excellentiae et debitam subjectionem. 265
Dico III. De necessitate actionis, quae est sacrificium, est, ut sit oblatio alicujus rei permanentis Deo facta. 265
Dico IV. In Sacrificio sunt duo accurate distinguenda: res et actio. 265
Dico V. Non omnis oblatio est Sacrificium, sed illa tantum qua fit cum aliqua rei oblatae immutatione. 266
Dico VI. Ministrum Sacrificii debere esse legitimum. . . . 266
Dico VII. Multiplex esse potest sacrificium. 266
Corollarium. 267

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRIFICII EUCHARISTICI.

Articulus I.—De existentia Sacrificii in Ecclesia. 267
Thesis I. In Ecclesia Christi datur verum ac proprium Sacrificium. 267
Articulus II.—De confectione Sacrificii in Eucharistia. . . 272
Thesis II. S. Eucharistia, prout in Christi Ecclesia conficitur, est verum Novae Legis sacrificium. 272

CAPUT II.

DE RE OBLATA IN SACRIFICIO MISSAE.

Articulus I.—De oblatione Christi in Sacrificio Missae. . . 275
Thesis III. Christus D. est res principaliter oblata in Sacrificio Missae. 275

Pag.

Thesis IV. Christus D., ut existens sub speciebus, est res oblata in Sacrificio Missae. 276
Corollarium. 277
Articulus II.—De oblatione panis et vini in Sacrificio Missae. 278
Thesis V. Panis et vinum offeruntur in Missa tamquam materia ex qua fit sacrificium. 278
Scholion. 278

CAPUT III.

DE ACTIONE SACRIFICII EUCHARISTICI.

Articulus I.—De actionibus accidentalibus sacrificii Missae.. 280
Thesis VI. Oblationes panis et vini, quae fiunt ante consecrationem, et oblationes hostiae, quae fiunt post, non constituunt actionem sacrificii. 280
Thesis VII. Neque fractio hostiae et mixtio cum calice, neque distributio Sacramenti ad communicandum populo, sunt actio sacrificativa seu de essentia Sacrificii. 281
Articulus II.—De actione essentiali Sacrificii Missae. . . . 282
Thesis VIII. Consecratio eucharistica est essentialis Sacrificio. 282
Thesis IX. Verisimilius est totam essentiam Sacrificii in consecratione reponi: communionem autem Sacerdotis ad integritatem pertinere. 283
Articulus III.—Sacrificii essentia sub quo respectu consecrationi vindicatur. 286
Thesis X. Consecratio constituit essentiam Sacrificii, quatenus per illam fit mystica mactatio, seu separatio, vi verborum, Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus. . . . 286
Thesis XI. Consecratio est de essentia Sacrificii, non tantum quatenus est effectio et separatio mystica in facto esse termini ad quem (Corporis et Sanguinis Christi), sed etiam quatenus est transsubstantiatio, seu destructio termini a quo (panis et vini), et effectio termini ad quem in fieri. . 289

CAPUT IV.

DE EXCELLENTIA ET VIRTUTE SMI. SACRIFICII MISSAE.

Articulus I.—De excellentia Sacrificii Missae. 290
Thesis XII. Sacrificium Missae non differt essentialiter a Sa-

Pag.

crificio Crucis, sed accidentaliter, quoad rem oblatam et Sacerdotem offerentem: differt tamen quoad ritum. . . . 290
Thesis XIII. SSmum. Missae Sacrificium habet omnium antiquorum Sacrificiorum virtutem et excellentiam. . . . 291
Articulus II.— De virtute Sacrificii Missae. 292
Thesis XIV. Sacrificium Missae est honorarium, seu holocaustum: gratiarum actionis, seu eucharisticum. . . . 292
Thesis XV. Novae Legis Sacrificium est propitiatorium, seu pro peccatis, et impetratorium. 293

CAPUT V.

DE EFFICIENTIA ET VALORE SACRIFICII MISSAE.

Articulus I.—De effectibus Smi. Sacrificii Missae. 296
Thesis XVI. SSmum. Missae Sacrificium habet aliquem effectum ex opere operato. 296
Thesis XVII. Sacrificium Missae habet, praeter effectum ex opere operato, vi suae institutionis, specialem vim ad impetrandum effectum pro quo offertur.. 298
Thesis XVIII. SSmum. Missae Sacrificium non confert directe et ex opere operato primam gratiam. 298
Corollarium. 299
Thesis XIX. Hoc Sacrificium potest nobis impetrare sufficientem dispositionem ad primam gratiam.. 300
Scholion. 300
Thesis XX. Sacrosanctum Missae Sacrificium non confert ex opere operato augmentum gratiae.. 300
Corollarium. 301
Scholion. De remissione venialium per Sacrificium Missae. . 301
Thesis XXI. Sacrificium Missae aliquam poenam remittit ex opere operato. 302
Corollarium. 303
Thesis XXII. Sacrificium Missae etiam ad bona temporalia impetranda plurimum valet. 304
Thesis XXIII. Effectus ex opere operato et ex virtute impetrativa hujus Sacrificii consequitur oblationem sacerdotis, ut ministri Christi: secundario etiam ex aliis actu offerentibus fructus aliquis procedit. 304
Scholion. Fructus ex opere operato inter se conferuntur. . 305
Thesis XXIV. Effectus ex opere operato tribuitur certo iis pro quibus Sacerdos offert Sacrificium: non autem iis pro quibus offerunt particulares offerentes. 306

Pag.

Articulus II.—De quantitate effectus Sacrificii Missae.. . . 308
Thesis XXV. Effectus ex opere operato Sacrificii Missae est finitus intensive. 308
Thesis XXVI. Quando plures cum Sacerdote offerunt idem numero Sacrificium, non minorem singuli accipiunt fructum, quam si unus tantum esset offerens. 309
Corollarium. 310
Thesis XXVII. Effectus Sacrificii, quem potest Sacerdos pro aliis offerre, finitus est et unus; id est, si pro pluribus offeratur, minuetur in singulis. 310
Corollarium. 312
Scholia. De fructu generalissimo, speciali et specialissimo Missae. 312
Articulus III. - Pro quibus possit Missae Sacrificium offerri.. 313
Thesis XXVIII. Offerens sacrosanctum Missae Sacrificium potest pro se ac pro aliis fidelibus viventibus offerre. . . 313
Thesis XXIX. Etiam pro viventibus infidelibus, dummodo non sint excommunicati, potest Missa offerri. 314
Thesis XXX. Sacrificium Missae potest offerri pro defunctis in pace Christi quiescentibus. 316
Scholion. 318
Articulus IV.—De requisitis necessario ad effectum Sacrificii Missae. 318
Thesis XXXI. Ille, pro quo offertur Sacrificium Missae, ut proprium ejus effectum assequatur, debet esse baptizatus. 318
Thesis XXXII. Ut ille, pro quo offertur Sacrificium, ejus fructum proprium, seu ex opere operato, percipiat, debet in statu gratiae existere. 319
Thesis XXXIII. Debet esse viator et fructu Sacrificii indigere, ut ille pro quo offertur assequatur effectum ex opere operato.. 320
Scholion. 320

DISQUISITIO V.

De Poenitentiae Sacramento.

Pag.

Prooemium. 321

CAPUT I.

DE POENITENTIAE EXISTENTIA. NECESSITATE ET EFFICACIA.

Articulus I.—De Poenitentiae existentia. 322
Thesis I. Existit Deo accepta Poenitentia, ut peccatoribus indulgeat poenitentibus. 322
Articulus II.—De necessitate Poenitentiae. 323
Thesis II. Poenitentia est necessaria, et necessitate quae medii dicitur, ut peccata remittantur; et quidem per se formalis. 323
Articulus III.—De efficacia Poenitentiae ad remittenda peccata. 325
Thesis III. Christus D. tradidit Ecclesiae potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa. 325
Thesis IV. Baptizatis non remittuntur peccata per Baptismum seu memoriam Baptismi. 327
Thesis V. Poenitentia, quae ex contritione perfecta concipitur, remissionem peccatorum statim assequitur. 330
Corollarium. 330
Thesis VI. Omnia peccata remitti per congruam Poenitentiam possunt: unde et Ecclesia potest omnia remittere. . . 332
Thesis VII. Licet simul cum culpa remittatur poena aeterna, non tamen semper tota indulgetur poena temporalis. . . 337
Thesis VIII. Peccatum Poenitentia remissum non redit amplius, ita ut a Deo imputetur quoad culpam vel poenam. . 340
Corollarium. 341
Articulus IV.—De meritorum reviviscentia. 342
Thesis IX. Merita per peccatum mortificata, seu amissa, per Poenitentiam reviviscunt. 342
Scholion. De causa reviviscentiae meritorum. 346
Thesis X. Per Poenitentiam merita reviviscunt, ita ut praemium illis essentiale tradatur, non tantum accidentale; neque illud consistit in ea gratia et gloria, quae consequitur

Pag.

actus quibus perficitur justificatio, sed in illa ipsa distincta tali ac tanta quae prioribus meritis debebatur.. . . . 346
Scholion. 351
Articulus V.—De remissione venialium. 351
Thesis XI. Venialia peccata multis modis, ac facilius quam mortalia remittuntur: non tamen sine aliqua Poenitentia.. 351
Scholion. Utrum necessaria existat perfecta contritio, ut remittantur extra sacramentum venialia peccata. 353

CAPUT II.

DE NATURA POENITENTIAE UNITER SUMPTAE

Articulus I.—De materia Poenitentiae. 358
Thesis XII. Peccantibus necessaria respicit: a) ut objectum materiale fugiendum, peccata; b) non quidem certe credendo esse remissa, vel solum proponendo non ultra peccare, sed cum detestatione et dolore, ac consequenter proposito ea emendandi, nec ultra admittendi: c) ut objectum autem materiale prosequendum, attingit ea omnia, quae ad delectationem peccati ducunt et emendationem. 358
Scholion. Deum quo pacto attingat Poenitentia. 361
Thesis XIII. Praeter peccati odium et dolorem, poenam congruam in ejusdem vindictam exquirit Deus a poenitentibus. 362
Articulus II.—De actu et virtute Poenitentiae. 363
Thesis XIV. Poenitentiae actus est honestus seu virtuosus; et debet esse, in praesenti ordine, supernaturalis; ac fidei et spei sociari.. 363
Corollarium. De habitu supernaturali et naturali Poenitentiae. 368
Scholion. § I. *Poenitentia generalis et specialis.* 369
§ II. *Quod Poenitentia generalis ad salutem sufficiat.* . . . 370
Dico I. Ut disponatur peccator ad remissionem peccati, non opus est eum poenitere ex speciali aliqua virtute a ceteris distincta. 370
§ III. *Quod aliqua existat specialis virtus Poenitentiae.* . . . 372
Dico II. Concedendum est, existere specialem Poenitentiae virtutem ab aliis distinctam virtutibus, cujus proprio et peculiari motivo emendari ac detestari possunt peccata. . 373
Thesis XV. Objectum formale Poenitentiae, qua specialis est virtus, est honestas illa, quae in aequalitate divini juris

Pag.

erga creaturam reparanda existit: prout autem est virtus generalis, ejus objectum formale est honestas illa, qua specificantur virtutes singulae, quibus peccata detestamur et emendare volumus. 378
Corollarium. Non est virtus theologica.. 379
Scholion I. De justitia inter Deum et homines. 380
Scholion II. De diversis Poenitentiae motivis. 382
Articulus III.—De Poenitentia externe peragenda. 383
Thesis XVI. Tum in Veteri, tum in Novo Foedere, indixit Deus poenitentibus peccati confessionem. 383
Scholion. 390
Thesis XVII. Potestatem clavium in remittendis poenitentium peccatis debent Sacerdotes exercere tamquam judices, et quidem sensibili modo. 390
Articulus. IV.—De Poenitentia quatenus sacramentum est. . 392
Thesis XVIII. Poenitentia, prout in Ecclesia catholica agitur, scilicet, ritus ille sensibilis, quo Sacerdotes peccata poenitentibus remittunt, est vere et proprie sacramentum. 392
Thesis XIX. Partes sacramenti Poenitentiae sunt: materia quidem, seu quasi materia, actus poenitentis; forma autem, verba illa: «Ego te absolvo...» vel similia. 395
Thesis XX. Actus poenitentis ita sunt materia sacramenti Poenitentiae, et verba sic sunt ejusdem forma, ut sint partes essentiales. 396
Corollaria. 398

CAPUT III.

DE NATURA POENITENTIAE, QUATENUS EST CONTRITIO ET PROPOSITUM ULTRA NON PECCANDI.

Articulus I.—De contritione. 399
Thesis XXI. Extra sacramentum debet contritio poenitentis procedere ex charitate ut remittantur peccata.. 399
Thesis XXII. Ad remissionem peccati in sacramento Poenitentiae sufficit contritio imperfecta, seu attritio ex virtutibus a charitate distinctis orta. 402
Thesis XXIII. Ad Sacramenti Poenitentiae valorem et efficaciam sufficit attritio ex metu poenarum temporalium quae a Deo infliguntur. 406
Corollaria. 407
Articulus II.—De proposito. 409

Pag

Thesis XXIV. Ad validum Poenitentiae sacramentum et ad ejus assequendum effectum, requiritur propositum de cetero non peccandi: per se autem, probabilius etiam formale: sed per accidens, sufficere poterit virtuale. 409
Scholion I. De convenienti commendatione formalis propositi. 413
Scholion II. Quo sensu universale requiratur propositum. . 413
Scholion III. De Poenitentia valida et informi. 415

CAPUT IV.

DE NATURA POENITENTIAE QUATENUS EST CONFESSIO.

Articulus I.—De integritate confessionis. 417
Thesis XXV. In confessione sacramentali exponenda sunt omnia peccata gravia post Baptismum commissa et nondum confessa; et quidem non solum in communi, seu confuse; sed necessum est eorum numerum et species explicare. 417
Scholion I. Quae sit actus substantia. 421
Scholion II. Quae numerentur actus circumstantiae. . . . 422
Scholion III. Quae circumstantiae mutent speciem. 423
Scholion IV. De distinctione numerica peccatorum. . . . 423
§ I. *De numero peccatorum ratione actus interni.* 424
Dico I. Non multiplicantur peccata ex eo quod actus interni, puta, desiderium furandi, evadant intensiores, aut quia voluntas in iis perseverat; sed solum si interrumpantur et iterentur. 424
§ II. *Quomodo propter actum externum peccata interna multiplicentur.* 426
Dico II. Actus interni pravi, qui ad actus exeunt externos, plura et distincta sunt peccata, si uterque, tam internus quam externus, totaliter interrumpatur, et iterum inchoetur. 426
Dico III. Dum continuatur externa operatio per actiones ordinatas ad consummandum peccatum, licet saepe plures interim eliciantur actus voluntatis, sufficiet ultimum actum consummatum confiteri. 427
Dico IV. Ut actio externa moraliter interrumpatur, sufficit, quod prior voluntas qua fuit inchoata non amplius per se, vel per suum effectum, in illam influat; ita ut opus sit nova voluntate ad illam actionem prosequendam. 427
§ III. *De multiplici in uno actu malitia.* 428

Pag.

Dico V. In uno actu. plura totalia objecta mala attingente, sunt plures malitiae. et verius dicitur multiplex peccatum, saltem aequivalenter; quidquid autem de hac re sit. oportet confiteri peccatum cum illo multiplici ad plura objecta respectu.. 428
Scholion V. De circumstantiis notabiliter seu graviter aggravantibus. 430
Scholion VI. De confessione peccati dubii.. 433
Dico I. Si quis late dubitet. seu opinetur. de facta confessione. de peccati existentia. vel gravitate; poterit juxta hoc judicium agere, ita ut, si censeat vel peccatum non existere, vel non esse grave, vel jam esse confessum, illud exponere non teneatur: at debebit illud confiteri, si aliter censeat. 433
Dico II. In stricto dubio: a) si sunt graves rationes pro utraque parte, indirecte et reflexe poterit judicare se non teneri ad confitendum, secus si neque reflexe potest quietare conscientiam: b) si desunt rationes graves, in dubio *an peccaverit* ad nihil tenebitur, secus in dubio *an confessus fuerit*, si peccatum est certum. 434
Articulus II.- De aliis confessionis proprietatibus. 435
Thesis XXVI. Confessio debet esse accusativa. dolorosa et humilis.. 435
Scholion. De dolorosa confessione. 440
§ I. *Quomodo dolorosa fiat confessio.* 440
§ II. *De iteratione confessionis non dolorosae.* 441
Articulus III.—De Secreto confessionis.. 441
Thesis XXVII. Confessio sacramentalis potest per se, id est. valide fieri publice: communiter tamen secreto fieri debet. 441
Thesis XXVIII. Ex confessione Sacramentali stricta exurgit secreti a ministro servandi obligatio. quae tum in jure ecclesiastico. tum in naturali. tum in divino positivo fundatur.. 446

CAPUT V.

DE NATURA POENITENTIAE QUATENUS EST ABSOLUTIO.

Articulus I.—De sensu formae absolutionis ejusque ministro. 448
Thesis XXIX. Sensus formae sacramenti Poenitentiae, scil.. «Ego te absolvo etc..» est: Ego, quantum ad me spectat. confero tibi gratiam remissivam peccatorum. 448

Pag.

Scholion. Opiniones de sensu absolutionis rejiciendae. . . 451
Thesis XXX. Peccatorum absolutio in sacramento Poenitentiae ad Sacerdotes, et quidem ad eos solos pertinet. . . . 452
Scholion. De confessione non sacerdoti facta. 455
Articulus II.—De jurisdictione requisita in ministro absolutionis. 456
Thesis XXXI. Debet Sacerdos jurisdictionem ordinariam vel delegatam habere. ut validam proferat peccatorum absolutionem. 456
Scholion. De necessaria ad potestatem clavium jurisdictione. 457
§ I. *Nodus difficultatis.* 457
§ II. *Duae opiniones oppositae.* 458
§ III. *Sententia media proponitur.* 458
§ IV. *Quid verius sentiendum.* 460
Thesis XXXII. Legitima jurisdictio in sacramento Poenitentiae necessaria duplici modo haberi tantum potest in praesenti Ecclesiae disciplina; nempe ordinaria, aut subdelegata: restringi etiam potest. ita ut aliqua peccata a praelatis reserventur. 462
Scholion. De Jurisdictione excommunicati vitandi. 465
Thesis XXXIII. Sacerdotes, ut possint ministrare secularibus Poenitentiae sacramentum, et idonei ad id reputari, debent parochiale beneficium, vel approbationem ab Episcopis obtinere. 467
Scholia. De varia Ecclesiae disciplina circa approbationem Sacerdotum. 467

CAPUT VI.

DE SATISFACTIONE POENITENTIAM COMPLENTE.

Articulus I.—De satisfactione secundum se. 469
Thesis XXXIV. Poenae temporales, quae pro peccatis debentur, possunt per se, hac vita durante, bonis operibus redimi. 469
Thesis XXXV. Justi: a) simpliciter satisfaciunt pro debitis poenis, et quidem: b) *de condigno.* Peccatores autem: c) cum sacramento possunt de congruo satisfacere: d) non autem extra sacramentum. 471
Scholion. De requisitis ad condignam satisfactionem. . . . 473
Dico I. Ut opera sint de condigno satisfactoria in actu secundo, debent ad hunc effectum a Deo acceptari. 473

Pag.

Dico II. Ad condignam satisfactionem pro remissione poenarum, requiritur status viatoris. 473
Dico III. Alia operis satisfactorii conditio est quod sit poenale. 474
Articulus II.—De necessitate satisfactionis in sacramento Poenitentiae. 475
Thesis XXXVI.—Minister confessionis tenetur, per se loquendo, imponere poenitentibus, quos absolvit, poenam peccatis proportionatam. 475
Thesis XXXVII. Poenitentes impositam a Sacerdos satisfactionem tenentur perficere. 476
Scholia. De gravi obligatione tum imponendi tum suscipiendi poenitentiam. 477
Articulus III.—De satisfactione per suffragia et indulgentias. 478
Thesis XXXVIII. Possunt fideles mutuo se adjuvare, ita ut opus unius alteri prosit ad remissionem alicujus poenae. . 478
Scholion. De modo quo suffragia perficiuntur. 480
Thesis XXXIX. Habet Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, seu remittendi fidelibus poenas pro peccatis remissis debitas. 481
Corollarium. 482
Thesis XL. Est in Ecclesia thesaurus ex meritis et satisfactionibus Christi constans, nec non Sanctorum, unde indulgentiae dispensantur. 483
Scholion. De concessione indulgentiarum. 484
§ I. *Utrum per modum absolutionis concedatur indulgentia.* . 484
§ II. *De jurisdictionis necessitate ut concedatur indulgentia.* . 485
§ III. *De indulgentiae ad modum absolutionis et suffragii discrimine.* 485
§ IV. *De potestate Episcoporum ad concedendas indulgentias.* . 485
Thesis XLI. Ad valorem indulgentiae necessaria est causa finalis; et quidem proportionata talis indulgentiae magnitudini. 486

APPENDIX ET SUMMA

Disquisitionis de poenitentia. 487

DISQUISITIO VI.

De Extremae Unctionis Sacramento.

Pag.

Prooemium. 490

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, NATURA ET EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

Articulus I.—De existentia et natura Extremae Unctionis. . 491
Thesis I. Datur in Ecclesia Christi pro infirmis quidam sacrae Unctionis ritus, qui Extrema Unctio dicitur. . . . 491
Thesis II. Extrema Unctio est veram Novae Legis Sacramentum.. 493
Articulus II. – De effectibus Extremae Unctionis. 496
Thesis III. Sacra infirmorum Unctio ad duos spirituales effectus per se ordinatur: ad spiritus lassitudinem et ceteras peccatorum sanandas reliquias, primario; et ad culpas ipsas remittendas, secundario. 498
Thesis IV. Extrema Unctio instituta fuit ad sanitatem corpori reddendam, qua saluti animae expedierit.. 499
Scholion. De effectu remissionis venialium. 499
Thesis V. Poenae temporales, pro peccatis debitae, remittuntur etiam per Extremam Unctionem. 500

CAPUT II.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

Articulus I.—De materia Extremae Unctionis. 501
Thesis VI. Extremae Unctionis materia remota est oleum olivarum: proxima autem est Unctio a Sacerdote facta. . 501
Thesis VII. Oleum pro sacra Unctione debet ab Episcopo esse benedictum. 502
Scholion. Qua potestate Presbyteri graeci aliique orientales benedicant oleum infirmorum. 503
Articulus II.—De forma Extremae Unctionis.. 504
Thesis VIII. Forma Extremae Unctionis est oratio illa quam, juxta Ecclesiae praescriptionem, fundit Sacerdos inungens oleo sancto.. 504

Pag.
Scholion I. De forma deprecativa. 504
Scholion II. De pluralitate Unctionum. 505
Corollaria. 506
Articulus III.—De ministro Extremae Unctionis. 507
Thesis IX. Solus Sacerdos est Extremae Unctionis minister. 507
Thesis X. Non sunt plures Sacerdotes necessarii, sed unus sufficit ad Extremae Unctionis ministrationem. 508
Scholion. De numero ministrorum apud orientales pro Extrema Unctione. 510

CAPUT III.

DE SUBJECTO, DE NECESSITATE EXTREMAE UNCTIONIS ET DE DISPOSITIONE AD ILLAM REQUISITA

Articulus I.—De subjecto Extremae Unctionis. . . . . 511.
Thesis XI. In Ecclesia Latina sacramentum Extremae Unctionis solis infirmis ministrandum est. 511
Scholion. De subjecto Extremae Unctionis apud orientales. . 512
Dico I. A remotissima antiquitate, apud orientales, ministratur etiam sanis Unctio sacra.. 512
Dico II. Nihil certum adversus graecorum usum definiri potest, donec Ecclesia liquido rem decernat. 512
Thesis XII. Extrema Unctio non est iis administranda qui non fuerunt peccati capaces, uti sunt pueri et perpetuo amentes.. 514
Thesis XIII. Extremae Unctionis sacramentum potest ab eodem subjecto saepius suscipi. 514
Articulus II.—De necessitate Extremae Unctionis, et de dispositione ad illam requisita. 515
Thesis XIV. Sacramentum sacrae Unctionis non est necessarium ad salutem, neque necessitate medii, neque praecepti. 515
Thesis XV. Sacrae Unctionis sacramentum nequit fructuose suscipi nisi in statu gratiae, saltem existimato; requiritur insuper, ut peccator sit saltem attritione dispositus. . . 516

DISQUISITIO VII.

De sacramento Ordinis.

Pag.

Prooemium. 518

CAPUT I.

DE GRADIBUS ORDINIS HIERARCHICI IN ECCLESIA.

Articulus I.—De pluralitate sacrorum Ordinum.. 519
Thesis I. Plures existunt in Ecclesia Ordines clericorum ad sacrum ministerium, et quidem ab initio; septem autem jure numerantur. 519
Thesis II. Ecclesiastica Hierarchia jure divino existit; quod autem Ordines certo numero distincte praefigantur, non est divinitus praescriptum. 523
Articulus II.—De gradu episcopali. 526
Thesis III. Episcopalis gradus est Presbyteris superior, et quidem jure divino.. 526
Thesis IV. Episcopalis gradus non est octavus et simpliciter a Presbyteris distinctus ordo.. 530

CAPUT II.

DE SACRAE ORDINATIONIS NATURA.

Articulus I.—De esse sacramenti Ordinis. 533
Thesis V. Ordo est verum Novae Legis sacramentum.. . . 533
Thesis VI. Sacerdotis ordinatio est verum sacramentum.. . 536
Thesis VII. Ordinatio Episcopi, seu ritus ille quo Presbyteri ad episcopatum initiantur, est sacramentum. 539
Thesis VIII. Ordinatio Diaconi est sacramentum. 544
Scholion. De diaconissis. 547
Thesis IX. Subdiaconatus, nec non et inferiores ecclesiastici ordines, sunt vera sacramenta. 548
Articulus II.—De materia et forma sacramenti Ordinis. . . 550
Thesis X. Sacramenti Ordinis materia est instrumentorum

Pag.

traditio, quibus potestas significatur cuilibet Ordini propria; sic, pro Sacerdotio, calicis cum vino, patenae cum hostia; probabilius necessaria est etiam manuum impositio pro Episcopatu, Presbyteratu et Diaconatu. Forma autem sunt verba illa, quibus materia traditur ad effectum significandum, vel manus imponuntur. 550
Scholion I. Quae manus impositio sit essentialis. 558
Scholion II. Utrum duplex imprimatur character. 559

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Articulus I.—De ministro sacramenti Ordinis. 560
Thesis XI. Non tantum nequit, ut ordinarius minister, sed neque ex commisione, simplex Presbyter Episcopatum aut Presbyteratum conferre. 560
Thesis XII. Presbyteris potest committi, ut inferiores Ordines, etiam Subdiaconatum, conferant. 562
Scholion. An Presbyteris committi possit ordinare Diaconum. 563
Articulus II.—De subjecto sacramenti Ordinis. 564
Thesis XIII. Ut valide sacramentum Ordinis suscipiatur, subjectum debet et baptizatum, et masculini esse sexus. . 564
Scholion. De infantibus et rationis usu carentibus. 566
Thesis XIV. Sanctissima et aequissima est lex continentiae ministris sacris imposita: non tamen e divino, sed ecclesiastico procedit jure. 567
Scholion. An lex continentiae inmediate per se, vel mediate per votum sacris Ordinibus adnexum, obliget. 571
Dico. Clerici majores ad servandam continentiam, immediate per votum sacris Ordinibus adnexum, obligantur. . . 571

DISQUISITIO VIII.

De sacramento Matrimonii.

Pag.

Prooemium. 573

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE ET ACTU MATRIMONII.

Articulus I.—De institutione Matrimonii. 574
Thesis I. Existit in hominum societate Matrimonium. . . 574
Thesis II. Matrimonium non est ex humana institutione, sed divina, et quidem naturali.. 575
Articulus II.—De actu matrimonii. 580
Thesis III. Matrimonii actus seu usus, sive in actu primo proximo spectetur, sive in actu secundo, est honestus ac licitus; non tamen obligans, nisi hypothetice; imo per se perfectior est status virginitatis vel caelibatus. 580
Scholion. De praecepto Matrimonium contrahendi. . . . 584
Thesis IV. Honesta amicitia, seu mutua bonorum et officiorum inter virum et mulierem communicatio, pertinet etiam ad actum seu usum Matrimonii.. 589

CAPUT II.

DE ESSENTIA MATRIMONII.

Articulus I.—De naturali Matrimonii essentia. 590
Thesis V. Matrimonii essentia non est in externo contractu solo, vel interno tantum partium consensu, sed in utroque simul. 590
Thesis VI. Quidditas Matrimonii non invenitur in mutua traditione proprii corporis; neque in mutua obligatione et subjectione ad reddendum debitum. 592
Thesis VII. Consummatio, seu actualis usus Matrimonii, non est de essentia ipsius.. 593
Thesis VIII. Essentia Matrimonii in eo vinculo stat, seu

Pag.

unione, quae immediate, ac veluti formuliter, ex traditione mutua proprii corporis in ordine ad generationem in viro ac muliere efficitur. 594
Scholion I. Variae Matrimonii definitiones. 596
Scholion II. De speciali ratione et materia contractus Matrimonii. 596
Articulus II.—De Matrimonii Essentia supernaturali. . . . 599
Thesis IX. Matrimonium est verum Novae Legis sacramentum. 599
Thesis X. Ante Christum D. non erat Matrimonium proprie dictum sacramentum. 603
Thesis XI. Materia sacramenti Matrimonii sunt vir et femina, ut tendentes ad conjugium, seu (perinde est) ad finem conjugii simul assequendum: forma autem sunt verba, vel aequivalentia signa, quibus eam coadunationem, seu conjunctionem, actu inire significant. 605
Thesis XII. Infidelium, vel fidelis cum infideli Matrimonio non inest ratio sacramenti. 610
Thesis XIII. Matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, non videtur fieri sacramentum, eisque conferre gratiam. 612
Thesis XIV. Sacramenti Matrimonii minister ipsi sunt contrahentes. 615

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS, QUAE MATRIMONIUM CONSEQUUNTUR.

Articulus I.—De unitate Matrimonii. 621
Thesis XV. Per se licitum est ac honestum successive plures contrahere nuptias, prioribus per mortem alterius conjugum solutis. 621
Thesis XVI. Polygamia simultanea legi divinae positivae opponitur; necnon naturali, scilicet, quoad praecepta secundi ordinis. 623
Scholion I. De divina dispensatione in polygamia. 629
Scholion II. Quando ea caeperit dispensatio. 629
Scholion III. Quando abrogata. 630
Articulus II.—De indissolubilitate Matrimonii. 630
Thesis XVII. Matrimonii vinculum est jure divino indissolubile, et quidem naturali; scilicet, quatenus jus naturae respicit secundi ordinis praecepta. 630

Pag.

Scholion I. De indissolubilitate Matrimonii rati. 637
Scholion II. De potestate S. Pontificis in Matrimonium ratum. 637
Scholion III. Quid de errore sentiendum graecorum pro casu adulterii. 638
Scholion IV. De libello repudii. 640
Articulus III.—De subjectione Matrimonii ad potestatem tum ecclesiasticam, tum civilem. 640
Thesis XVIII. Potest Ecclesia impedimenta Matrimonium dirimentia statuere; et ad ipsam spectant jure proprio causae matrimoniales vinculum Matrimonii respicientes. . . 640
Thesis XIX. Circa fidelium Matrimonium nihil efficere Principes civiles possunt quod vinculum afficiat; possunt tamen de effectibus civilibus Matrimonium consequentibus leges statuere. 645
Thesis XX. Praecisa sacramenti ratione, ut in Matrimonio infidelium, jus suum retinent principes seculares, ut possint de causis matrimonialibus judicare, et impedimenta dirimentia constituere. 648

CAPUT IV.

DE CAUSA ET PRAEPARATIONE MATRIMONII.

Articulus I.—De consensu necessario ad Matrimonium. . . 651
Thesis XXI. Ad Matrimonium requiritur; a) consensus mutuus conjugum; b) deliberatus, seu liber; c) exterius significatus; d) et de praesenti. 651
Thesis XXII. Metus etiam gravis et injustus non ita opponitur libertati consensus, ut invalidum jure naturae efficiat Matrimonium. 653
Articulus II.—De consensu conditionato. 655
Thesis XXIII. Matrimonium contrahi potest consensu conditionato, ita ut, conditione purificata, non opus sit alio consensu. 655
Scholia. De conditione praesenti vel praeterita et necessaria. 657
Thesis XXIV. Conditiones substantiae Matrimonii oppositae, aut ejus bonis, consensum irritum reddunt. 658
Scholion. De conditionibus honestis bono Matrimonii adversiis. 660
§ I. *De contrahentibus cum promissione perpetuae castitatis*. . 660
§ II. *De contrahentibus cum obligatione non petendi debitum*. . 662

Pag.

Thesis XXV. Si quis ea conditione vel modo Matrimonium contrahere voluerit, ut contractum mere civilem ineat, seu ut praescindat omnino a ratione sacramenti, irritum erit tale Matrimonium. 662

Articulus III.—De praeparatione ad Matrimonium, seu de sponsalibus. 665

Thesis XXVI. Pro veris sponsalibus necessaria est promissio deliberata, externa et mutua.. 665

Scholia. 666

Thesis XXVII. Ex sponsalibus a) gravis oritur ex justitia obligatio; b) si autem quis ficte promittat, per se quidem graviter peccat contra veritatem; c) at non obligatur per se ad Matrimonium. 667

FINIS INDICIS GENERALIS TOMI III.

PROOEMIUM.

Jesus Christus D. N. redemit homines Sanguine suo meruitque gratiam, qua mundati ac sanctificati nembra sua corpusque mysticum evaderent, quod est *Ecclesia*. Ad eam autem gratiam effundendam, et membra omnia in unum corpus non solum interius sed exterius etiam nectenda, signa quaedam sacra, numero pauca, usu facilia, instituit Dominus, ut nostram naturam, quae per sensibilia ad superna et spiritualia progreditur, suaviter eveheret, sibique copularet.

Ex his elucet, de Sacramentis Tractatum, connaturali ordine, post traditam de Incarnatione Filii Dei doctrinam a doctoribus, post *Angelicum Magistrum*, convenienter subjici: exhibent enim Christi Sacramenta fructum et complementum redemptionis a Patre in Spiritu Sancto per Jesum Christum consummandae.

Septem autem sunt Christi Sacramenta; septem ergo numeranda ad plenam totius rei notitiam Disquisitiones. Quia vero, licet in pluribus discrepent Sacramenta, tamen naturae illorum multimode inter se conveniunt, communem servantes morem, quae generatim ad omnia spectant Sacramenta prius pertractabimus.

ORDO ET DIVISIO

I.ª igitur Disquisitio est de Sacramentis in genere. II.ª De Baptismo, quo in Christo renascimur. III.ª De confirmatione, qua Spiritu Christi in Christo roboramur. IV.ª Eucharestia, quae spiritum alit, et incrementum in vita Christi praebet. V.ª De Paenitentia, quae peccato deficientes aut morientes restaurat, vel ad vitam Christi reducit. VI.ª De Extrema Unctione, quae animo infirmis et corpore levamen praebet ac virtutem, et morituros ad gloriam proxime praeparat. VII.ª De Ordine, quo sacra in Ecclesia administrantur, et omnium membrorum subjectio ad Summum Caput, Christum, exterius elucet ac perficitur. VIII.ª Denique de Matrimonio, quo Societas conjugalis ad supernaturalem finem sanctificatur; scilicet, ad referendam Christi unionem cum Ecclesia, et, pro ipsius Ecclesiae incremento, ad prolem sanctam procreandam ac instituendam.

DISQUISITIO I.

De Sacramentis in Genere inspectis.

PARTITIO GENERALIS.

CAPUT I. De Sacramentorum existentia, numero et efficacia.
— II. De principio Sacramentorum intrinseco.
— III. De Sacramentorum definitione et causa principali.
— IV. De causa secundaria Sacramentorum.
APPENDIX. De Sacramentalibus.

CAPUT I.

De Sacramentorum existentia, numero et efficacia.

PRAEMITTENDA.

De significatione vocis «Sacramentum».

1. Hujusce vocis *Sacramentum* multiplex existit usus sed frequentissime ad aliquid occultum adhibetur, praesertim sacrum, significandum. Sic apud scriptores profanos, Sacramentum vocatur pecunia in loco sacro a litigantibus reposita: juramentum etiam a militibus praestitum, Sacramentum militare appellabant; imo communiter quaevis juramenta Jurisconsulti et Canonistae Sacramenta vocant. Verum communis usus duplicem praecipue obtinuit Sacramenti significationem: prior refert aliquid sacrum occultum, et ita idem significat apud latinos, quod Mysterium apud Graecos; sic de iniquis ait Scriptura (1): *Nescierunt Sacramenta Dei;* et apud Paulum (2): *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae:* altera autem pro signo accipitur; ut in Apocalypsi (3): *Sacramentum septem stellarum... et septem candelabra aurea: septem stellae, angeli sunt septem...;* et in Cate-

(1) Sap. II, 22.—(2) Eph. I, 9.—(3) I, 20.

chismo Rom. (1) describitur Sacramentum: «res sensibus »subjecta quae ex Dei institutione sanctitatis significandae et effi»ciendae vim habet.»

ARTICULUS I.

De existentia Sacramentorum.

I. *An extiterint in statu* Innocentiae *Sacramenta.*

2. Posteriori sensu accepta Sacramenta dari in Ecclesia postea ostendemus. Utrum vero in statu innocentiae extiterint vel Adamo non peccante extitissent, inquirunt doctores. In his autem exquirendis immorari non vacat, ideo paucis dicimus: communis est opinio non extitisse aliquod Sacramentum ante peccatum: nam neque in SS. Litteris de ullo Sacramento quicquam innuitur; neque status ille brevissime duraturus, signa aliqua permanentia congruenter postulabat.

3. Adamo autem in justitia permanente, censet Lugo cum pluribus AA. non extitura Sacramenta: Suarezius autem distinguit: si demus faciendam, in ea hypothesi. Verbi Incarnationem, instituisset etiam Christus aliqua Sacramenta quibus exterius religione homines sociarentur, ad divinarum rerum cogitationem moverentur et ad augendam justitiam allicerentur. Sicut enim Eva rebus sensibilibus ad perniciem excitari potuit, et exemplo suo Adamum illexit; cur illo statu innocentiae perseverante, non juvarentur homines aliquibus sacris signis ad sanctitatem augendam conservandamque? Quod si illis velimus consentire AA. qui putant non extiturum fuisse Christum Adamo non peccante, consequenter probabilius dicetur; neque tunc instituenda fore Sacramenta, quae Christum auctorem habent, ejusque sunt instrumenta, ipsumque invisibiliter in primario Eucharistico Sacramento continent. Quod si reponas in eo statu non defecturas quoque congruentias instituendi Sacramenta, etiamsi non extitisset Incarnatio, sane concedendum erit.

Verum longe graviores urgerent pro Incarnatione Verbi congruentiae, cum primatum Christus *in omnibus* teneat (2), sitque Haeres *universorum* (3); quid ergo illae proderunt Sacramentorum instituendorum congruentiae, hisce posterioribus de adventu Christi posthabitis?

II. *De statu* Naturae.

4. Utrum autem in statu Legis Naturae, id est ab Adae

(1) Pars. II, c. 1, n. 11.—(2) Colos. I, 18.—(3) Hebr. I, 2.

ruina usque ad legem per Moysen a Deo traditam, aliquod extiterit Sacramentum quaeri potest. Communissima quidem, contra paucos, affirmat sententia. Nam cum velit Deus, etiam post Adae peccatum, omnium salutem, provideri a Deo oportuit remedium aliquod, pro parvulis potissime, quo justificari possent. Hac ratione utitur Innocentius III (1), ut ostendat necessitatem Baptismi vel Circumcisionis. Et S. Augustinus (2) ait: «Nec »credendum est, et ante datam Circumcisionem famulos Dei, quan»doquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sa»cramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis.» Quale autem fuerit ejusmodi Legis Nat. Sacramentum nobis est ignotum ut ibidem fatetur Augustinus. Imo cum Vazquezio plures censent solam internam parentum fidem sufficiens extitisse remedium absque ulla externa significatione. Verum communis Scholasticorum doctrina, quam tenet Suarez, est; necessariam fuisse externam de adventu Salvatoris fidei protestationem, determinato, vel indeterminato et libero, ut putant aliqui, signo manifestatam. Hanc doctrinam supponit Augustinus, supra, dicens; «remedium illud fuisse *Sacramentum* quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.» Deinde comparat illud Sacramentum cum Sacrificiis Legis Vet. Suarezius pluribus rationibus commendat hujusmodi sententiam, quarum unam seligimus. Parvuli remedio illo salutari adnumerabantur populo Dei, et Christi membra fiebant: sed Christus caput est visibile et externum: populus autem Dei a regno diaboli extrinsecus discerni debebat: ergo remedium illud in externo et sensibili adhibebatur signo.

III. *Sub* Lege Veteri *fuerunt Sacramenta.*

5. In Lege Moysis, quae Vetus dicitur, certum est aliqua extitisse Sacramenta. Id supponit Trid. Synodus, Ses. VII, can. 2. «Si quis dixerit N. L. Sacramenta a Sacramentis A. L., »non differre... A. S.» Ita Florentinum, in *Decreto pro Armenis*. Confirmat Augustinus, supra et alibi passim, et valent eaedem pro Lege Naturae adhibitae rationes.

Quae autem fuerint in Lege Veteri, praeter Circumcisionem, Sacramenta, sub tribus classibus distinguuntur. Sub prima eae adnumerabantur caeremoniae, quibus pontifices ac sacerdotes consecrabantur. Ad secundam classem pertinebant ea Sacramenta, quorum usu ad Deum suscipientes trahebantur, et in legali sanctitate perficiebantur, ex. gr. Agnus paschalis.

---

(1) Cap. Majores, *de Baptismo.*—(2) *Contr. Julian*, l. 5, c. 12.

In tertia continentur expiationes et lustrationes, quibus a legali impuritate homines mundabantur.

In prima classe habes Sacramenti Ordinis figuram: in secunda autem Eucharistiae: et in tertia Sacramenti Poenitentiae: *Haec autem omnia in figura contingebant illis*, (1): *umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, (2) ut ait Paulus.

THESIS I.

In Lege Nova, seu Ecclesia Christi, existunt Sacramenta, et quidem septem.

6. **Nota.** Thesim esse de fide catholica, quoad utramque partem, adversus haereticos, quos infra et apud Suarez et Vazquez videas. Intelligimus autem Sacramenta in posteriori sensu supra exposito (§ I): id est, «res sensibilis ad significandam et efficiendam »sanctitatem aliquam ordinata;» quae autem sit haec sanctitas postea declarabitur.

7. I[a] pars. Prob. 1.° Ex Trid. ses. VII, can. IV. «Si quis di»xerit Sacramenta Novae Legis, non esse ad salutem necessaria... »A. S.

2.° Confirmabitur ex his quae ad 2[m] partem probandam dicentur et cum de singulis agetur Sacramentis.

8. 3.° Pluribus congruentiae rationibus necessitatem Sacramentorum ostendunt Patres et DD.

a) Est hominibus connaturale ut per sensibilia ad spiritualia et divina perducantur. Unde ait Chrysost. (3). «Nam si incor»poreus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset; sed »quia corpori conjuncta est anima, insensibilibus spiritualia tibi »largitur.»

b) Ut facilius cultum Dei, fidem, aliasque exerceamus virtutes, signis et actibus adjuti sensibilibus: animus enim longe facilius operatur, cooperante et adjuvante corpore; e contra magnopere impeditur si sensus ad aliena ferantur.

c) Ut Dei imitemur sapientiam in recto usu rerum sensibilium; cum enim ex pravo earum usu toties aberremus, discimus ex Sacramentis, quantum prodesse possit bonus earumdem usus.

d) Ut humilitatem exerceamus, dum infimis rebus sensibilibus, aquae, oleo, etc., propter Deum subjicimur, qui saepe superbia tumentes in deos erigi conamur. Vide apud Suarezium et Lugonem rationes alias.

4.° Denique, schismatici et haeretici omnes, paucis exceptis, ex

---

(1) I Cor. X, 11.—(2) Hebr. X, 1.—(3) In Matth. hom. 82.

faece manichaeorum et catharorum ortis, consentiunt Ecclesiae catholicae credentes aliqua a Christo esse instituta Sacramenta.

9. II[a] Pars. prob. adversus Lutherum, Calvinum, aliosque protestantes 1.° ex Trid. ses. VII. can. 1. «Si quis dixerit, Sacra»menta N. L. non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta, aut esse plu»ra vel pauciora quam septem: videlicet Baptismum, Confirmatio»nem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordi»nem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse »vere et proprie Sacramentum; anath. sit.» Clemens IV, in *Professione fidei* Michaeli Paleologo proposita, ait: «Eadem sacro»sancta Ecclesia Romana tenet et docet, septem esse ecclesiastica »Sacramenta; unum scil., baptisma...»

2.° Apostolus Pomeranorum, Otto Bambergensis edocebat (sec. XII) in sua *Catechesi* hanc catholicam fidem. «Discessu»rus a vobis trado vobis, quae tradita sunt nobis a Domino, arrham »fidei sanctae inter vos et Deum, septem scilicet Sacramenta Ec»clesiae, quasi septem significativa dona Sp. Sancti...» Deinde enumerat singillatim, prout supra Tridentinum, omnia Sacramenta, et tandem ait: «Docete ea filios vestros, ut memoriter tene»ant et diligenter observent in omnes generationes.» Eamdem doctrinam tradidit (eodem sec.) Odo Episcopus Parisiensis, in Synodicis Constitutionibus. In sec. autem XIII. Innocentius III septem ennumeravit Sacramenta, in *Professione fidei* waldensibus haereticis praescripta. Deinceps cum Magistro Sent. doctores omnes scholasticos hanc de Sacramentis docuisse fidem res est aperta.

10. 3.° Consensus totius Ecclesiæ circa fidem quotiescumque, licet hodie primum, elucescat, infallibile praebet argumentum. Verum hujusmodi, circa numerum Sacramentorum, Ecclesiæ fidem et consensum a prioribus extitisse seculis evidenter patet. Nam schismatici orientales, non tantum qui post Photium (a. 858) ab unitate defecerunt, sed antiquissimi alii, ut nestoriani, eutichiani, etc. (ex. sec. V.) eamdem retinent de septem Sacramentis traditionem. Hic autem, in re tanti momenti, consensus adeo firmus, universalis, perpetuus inter christianas Ecclesias inter se distinctas et dire adversas, firmissimum ac evidens exhibet argumentum, quod a veneranda et apostolica procedat traditione septem Sacramentorum fides. Hujusce fidei testimonium praebuit Hieremias patriarcha constantinopolitanus et schismaticus, nam protestantes cum a catholica recessissent unitate, approbationem rebellionis suae a graecis schismaticis quaesierunt et mutuam in haeresi communionem: qua de causa *Confessionem Augustanam*, id est, unum ex innumeris symbolis errorum suorum, ad praedictum Patriarcham mi-

serunt. Hic autem tum cum protestantibus communionem. tum eorum respuens errores. respondit: «Dicimus. praeclare nobis sanc»tos tradidisse Patres unam, sanctam, catholicam et apostolicam »totius populi christiani Ecclesiam esse... In ea item ipsa catholica »et orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta esse: Baptismum. »scilicet... non plura autem nec pauciora esse... Et haec quidem »omnia salutis nostrae remedia ipse Jesus Christus et Dominus »noster nobis tradidit et sancti ejus Apostoli.» Quam doctrinam deinde confirmarunt, *ut ab antiqua traditione* relictam. omnes orientales Episcopi schismatici cum Patriarcha Cyrillo Contaru, in *Synodo constantinopolitana* (a. 1638); posterius (a. 1642) in altera *Constantinopolitana*, sub Parthenio; et tandem in *Hierosolimitana* (a. 1672) sub Dositeo.

11. 4.° Inferius. cum de singulis agemus Sacramentis, peculiaribus argumentis thesis haec confirmabitur. ut autem uniter probetur praemissa sufficiant. Neque optima deest hujusce septenarii numeri congruentia. quam supra insinuavimus in prooemio. et cum Scholasticis DD. evolvit D. Thomas (1).

12. Objic. 1.° a) Septem esse Sacramenta nullibi Scriptura docet: b) Christus autem moriens et sanguinem cum aqua effundens significavit Baptismum et Eucharistiam. ut passim Patres et Interpretes exponunt: duo ergo tantum instituit Christus Sacramenta.

Resp. 1.° Gratis supponunt protestantes debuisse in Scriptura fieri supputationem et summam Sacramentorum, ne homines in septenario numero computando deficerent. Quid? neque esse duo, vel tria. etc. Sacramenta unquam tradit Scriptura; et tamen protestantes. pro libitu cujusque sectae, numerum sibi fingunt Sacramentorum.

2.° Alii. tum graeci. tum latini. sanguinem et aquam ex latere Christi fluentem aliter interpretantur. ut notat Bellarminus. Verum non ostendunt haeretici duo necessaria; quod Christus voluerit illo mysterio omnia significari Sacramenta; et quod gratia, quae in omnibus effunditur Sacramentis virtute passionis Christi, non potuerit simul eo mysterio repraesentari. Praeterea ex protestantibus sectae plures, praeter Baptismum et Eucharistiam, alia suscipiunt Sacramenta; e contra aliae Eucharistiam respuunt.

13. Objic. 2.° a) Patres antiquiores nullibi docent septem esse Sacramenta. b) Cum vero de Sacramentis scribunt, duorum vel trium communiter meminerunt tantum. Ergo.

Resp. ad 1.^m Neque dixerunt esse duo, vel tria. etc. ut quid ergo duo esse vel tria Sacramenta contendunt haeretici?

---

(1) Q. 65, a. 1, in 3.ª p.

Licet non dixerint ad modum summae, vel syntesis, quae tunc nec necessaria erat nec opportuna, quoad rem tamen docuerunt et tradiderunt omnia et singula, id est, septem Sacramenta.

Ad 2.m negatur assertum, nam plura quam duo vel tria non pauci Patres meminerunt Sacramenta. Quod autem alii non omnia scriptis tradiderint, causa fuit, quod eorum scopus et scribendi ratio id non postulabat, imo et quod lex silentii seu arcani per plura saecula id vetaret. Nempe ignorantiae et pravitati infidelium nolebant Patres christiana mysteria exponere, ut eis calumniandi et blasfemandi occasionem eriperent; qua de causa ajebat Chrysostomus (1): «Volo quidem aperte hoc dicere: non audeo au»tem propter eos qui non sunt initiati... Neque enim fas est coram »non initiatis omnia detegere.» V. Basil. l. *de Sp. S.* c. 27.

14. Objic. 3.° Cyrillus Lucaris, Patriarcha Constantinopolitanus, in sua fidei Confessione dixit: «Graecorum perpetuam et cons»tantem esse doctrinam, duo tantum esse Sacramenta: Baptismum »et Eucharistiam, a supremo Christo legislatore sancita.»

Resp. Concedo aberrasse a fide illum schismaticum Patriarcham et post protestantes in errando et mentiendo abiisse: at caeteri orientales episcopi et clerus universus, cum supra dictis conciliis (in prob. 3.° theseos) illum anathemate damnarunt.

15. Objic. 4.° Dionysius Areop. cum de Sacramentis aliisque scripserit ritibus, tamen nihil de Paenitentia, Extrema-Unctione et Matrimonio tradidit: ergo haec ignorare, ideoque neque extitisse in tempore Apostolico dicendum est.

Resp. Nego illatum. Nam Pater ille, quemadmodum et alii Patres in prioribus saeculis, noluit de omnibus Sacramentis tractatum habere, sed tantum, ut ipse testatur, de Hierarchicis Consecrationibus et perficientibus Initiationibus. Jam vero ad haec, utique spectant Baptismus, Confirmatio et Ordo, non vero Poenitentia, Extrema-Unctio et Matrimonium. Illis autem adjunxit altarium et monialium consecrationem propter ritus analogiam.

16. Objic. 5.° Bernardus ait (2): «Ut de remissione quoti»dianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum »ablutionem:» et Ambrosius docet, esse institutam «ad nos»tram sanctificationem (3).» Ergo non septem, sed plura sunt Sacramenta.

Resp. Dist. Appellatur lotio pedum Sacramentum, lato sensu, quatenus, ex mente illorum Patrum prae se fert sacram aliquam significationem; conc. Proprio sensu, quasi *effective* perficiat remis-

---

(1) Hom. 40 in ep. 1 ad Cor. Vide et Cyrillum Hieros. in monito praevio ad *Catech.*—(2) *De coena Domini*, n. 4.—(3) L. 3, *de Sacram.* c. 1.

sionem peccatorum et sanctificationem; nego. Quod si *effectivam* etiam tribuisset Ambrosius. dubitanter loquitur. nam ait: «Hoc ideo dico. non quod alios reprehendam. sed mea officia ipse »commendo.» Fatetur enim in aliis Ecclesiis. ex gr.. in Romana. ritum illum non adhiberi, neque sacrum reputari.

ARTICULUS II.

De Sacramentorum efficacia.

THESIS II.

Sacramenta Novae Legis conferunt ex opere operato illa suscipientibus gratiam, nisi obicem ponant.

Thesis est de fide.

17. **Nota**. 1.° Haec locutio, ex *opere operato*. primum fuit ab Innocentio III adhibita (1): deinde ab Scholasticis communiter. et tandem a Trid. Conc. consecrata. Stulte irrident haeretici vocis barbariem seu novitatem. cum locutiones omnes aliquando novae fuerint. et ipsi classici scriptores. cum id expediret. novis etiam uterentur vocibus.

2.° Quoad vocis istius sensum. absurdas finxerunt protestantes significationes ut doctrinam catholicam apud ignaros irriderent. Falsum igitur in primis est. causare gratiam Sacramenta etiamsi nulla sit suscipientis dispositio. vel peccatis quibuslibet afficiatur. ut calumniantur illi; non enim id sentiunt catholici. neque causare *ex opere operato* hoc significat.

18. 3.° Operationes sacramentales spectari possunt. aut quatenus a ministro et suscipiente perficiuntur. aut quatenus ad Christum auctorem Sacramenti pertinent. Ex primo quidem respectu possunt aliquam dignitatem et virtutem meritoriam. quemadmodum caeterae humanae actiones. habere; virtus autem sacramentalis directe et immediate illis veconnit. ex hoc tantum. quod operationes Christi sunt et ab eo ad esse sacramentale elevantur. Meritum ergo in ministro vel suscipiente non propter intrinsecam Sacramentorum virtutem requiritur. sed tantum ut sancta sancte tractentur. et ne obex effectui sacramentali ponatur. Duplicem ergo sensum innuit illud. *ex opere operato:* positivum alterum. quo vir-

(1) L. 3, *de myst. Missae.*

tus operis sacramentalis significatur; alterum vero negativum, scil., virtutem non esse a ministrantis vel suscipientis merito, sed intrinsecam operi ex merito Christi et voluntate Dei.

19. 1.ª Pars prob. 1.° Trid. Ses. VII, can. 6. «Si quis dixerit, »Sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant, aut »gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa »tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae..... »anath. sit.»

Primus a Leone X damnatus error Lutheri hic fuit: «Haere»tica sententia est, sed usitata, Sacramenta novae legis justifican»tem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.»

2.° Sacrae Litterae passim hanc Sacramentorum efficaciam docent. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei* (1). Ecce conjungitur aqua cum Spiritu Sancto in eadem actione regenerandi. S. Petrus (2): *Et vos salvos facit baptisma.* Paulus autem ait: (3). *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Sp. Sancti.* De Eucharistia dixit Jesus: (4). *Ego sum panis vivus: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum, et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* De Ordine ait Paulus (5.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* Pro singulis Sacramentis alia afferentur testimonia; haec sufficiant nunc, cum eadem sit ratio pro aliis Sacramentis.

20. 3.° SS. Patres communi sensu efficaciam commendant Sacramentorum. Cyrill. Hieros. (catech. 21): «Sicut panis Eu»caristiae post invocationem Sp. Sancti non amplius est panis com»munis sed Corpus Christi, sic et hoc sacrum unguentum (Confir»mationis), post invocationem... est Christi et Spiritus S. donarium, »quod praesentia divinitatis ejus *fit efficax.*» Tertullianus (6): «Invocato Deo, supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest »sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae *vim sanctificandi* »combibunt.» Hieronymus (7). «Nivem candorem gratiae, »quae per Baptismum fidelibus Spiritus Sancti dono tribuitur, su»perius diximus posse significari.» Et iterum (8). «Quod facit Bap»tisma, hoc facit et Poenitentia.» Ambrosius (9): «Crede ergo »divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non cre»dis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi precederet ante »praesentia...? Aqua fit dulcis ad gratiam... Aqua non mundat sine »spiritu... Crede ergo quia non sunt vacuae aquae... In hunc fon-

---

(1) Joan. III, 5.—(2) 1 Petr. III, 21.—(3) Ad Tit. III, 5.—(4) Joan. VI, 51, 52.—(5) II Tim. I, 6.—(6) *De bapt.* c. 4.—(7) I In Job. c. XXXVII.—(8) In Osee XII, 19.—(9) L. de *Myst.* c. 3, 4 et 9.

»tem vis divina descendit... Unde videns Ecclesia tantam gratiam, »hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad Sacramenta concur»rant... Si superveniens Sp. Sanctus in Virginem, conceptionem »operatus est, et generationis munus implevit: non utique dubitan»dum est, quod superveniens in fontem... veritatem regenerationis »operetur,»

21. II.ª Pars. Probr. 1.° ex Trid. Ses. VII, can. 8. «Si quis di»xerit, per ipsa Novae Legis Sacramenta ex opere operato non con»ferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam »consequendam sufficere: anath. sit.»

Joannes XXII (a. 1318) damnavit hunc waldensium errorem: «Quarta hujusmodi impiorum blasphemia... Sacerdotes qui»buslibet criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ec»clesiastica Sacramenta confingit.» Martinus V jussit, suspectos de erroribus Hus et Wicleff interrogandos: «Utrum credat, »quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum inten»tione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, »vere baptizet, vere conferat alia Sacramenta.» S. Cyprianus testatur, decrevisse Stephanum I: «Quaerendum non esse, »quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus fuerit, gra»tiam consequi potuerit invocata Trinitate. Multum proficit nomen »Christi, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus »fuerit, consequatur statim gratiam Christi.»

22. 2.° Effectum Sacramenti non postulare meritum suscipientis patet ex constanti praxi Ecclesiae baptizantis parvulos. Hinc Concil. Milevit. adversus Pelags. definivit: «Quicumque »parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat... anath. »sit.» Quod Conc. Lateran. IV confirmavit, cap *Firmiter*.

3.° Ministrantes Sacramenta sunt ministri Christi: *Sic nos existimet homo*, ait Apostolus, *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Atqui non decet ut efficacia et meritum Christi a merito pendeat ministri: Unde ait Augustinus (2): «Bap»tisma tale est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis »est ille per cujus ministerium datur.»

Item: Sacramenta ad hoc sunt instituta, ut ex merito Christi sanctificemur. Atqui indecens est ut efficacia meriti Christi sanctificantis, pendeat ex merito illius qui sanctificatur: sic enim aliquid in merito Christi desiderari videtur, si non sit causa adaequata in operationem sanctificativam. Unde Ambrosius *de Sacramentis* (ubi supra) agens, non nisi a Christo eorum repetit virtutem: «Sicut Moyses in illum fontem misit lignum; ita et in hunc

(1) 1 Cor. IV, 1.—(2) *Tract.* III, in Jo. n. 9.

»fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, et aqua »fit dulcis ad gratiam... Cognosce quod aqua non mundat sine »Spiritu... Quid est enim aqua sine cruce Domini...? Tibi Christus »operatur ipse dominus creaturae... Paralyticus ille expectabat ho»minem. Quem illum, nisi Dominum Jesum natum ex Virgine, »cujus adventu non jam umbra sanaret singulos, sed veritas uni»versos?» Et iterum. «Non merita personarum consideres, sed offi»cia sacerdotum... Crede ergo adesse Dominum Jesum invocatum »precibus sacerdotum.» Non aliter Hieronymus (1). «Quan»tam vim habeat Baptisma et aqua in Christo sanctificata gra»tiam, paulo post docebo... Michaeas de Baptismi gratia va»ticinatur: demerget iniquitates nostras et projiciet in profundum »maris omnia peccata nostra... Consepulti sumus cum Christo in »Baptismate... omnia nostra cum Christo mortua sunt... Dies me »deficiet si cuncta quae ad potentiam Baptismi pertinent de Scrip»turis SS. voluero digerere.»

23. Obj. 1. Verba Scripturae, quae efficaciam Baptismo tribuunt, de fide intelligenda, quatenus per Baptismum excitatur et baptizantis praedicationem: ita protestantes.

Resp. Nego assertum, quod Patrum interpretationi et Scripturae prespicuo sensui opponitur. Fides non est per Baptismum excitanda, sed, e contra, illa ad istum ducit: unde cum credidissent judaei, quaesiverunt: *Quid faciemus viri fratres?* Et dixit Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (2).

Inst. In fide Christi mundare Baptismum, passim docent Patres; ergo.

Resp. Dist. Quatenus fides Christi est pro adultis dispositio necessaria; conc. Quasi efficacia Baptismi in fide consistat; nego. Perpendas laudata verba Petri.

24. Objic. 2.° S. Scriptura saepe fidem justificare asserit: «*Justus autem ex fide vivit*» (3) etc.

Resp. Dist. Asserit justificationem esse ex fide, quia fides est principium ducens ad Baptismum vel spem et charitatem; conc. Proxime et immediate justificat fides; nego.

Objic. 3.° *Qui non crediderit, condemnabitur* (4). Ergo ad justificationem et salutem satis est credere.

Resp. Nego *conseq.* Qui non nascitur, non perveniet ad senectutem; ergo ut quis ad eam perveniat satis est nasci! Legas integram Christi sententiam, qua patet post fidem requiri Baptismum; et deinde, ne inutilis evadat justificatio, opus est *servare omnia* quaecumque Christus mandavit.

---

(1) Ep. ad *Ocean.*—(2) Act. II, 37, 38. – (3) Rom. I, 17.—(4) Marc. XVI, 16.

25. Objic. 4.° Si justificarent Sacramenta. gratiam et Spiritum darent sacerdotes: sed Apostoli *orabant* tantum, non dabant Spiritum, ait Augustinus (1); ergo.

Resp. Dist. *maj.* Darent ministerialiter; conc. Principaliter; nego. Pariter explica verba Augustini.

Inst. Hieronymus ait (2): «Homo tantum aquam tribuit; Deus autem Spiritum S., quo sordes abluuntur.» Ergo aqua seu Baptismus, nihil efficit ad justificationem.

Resp. Dist. *ant.* Homo quoad efficaciam connaturalem. tantum aquam tribuit; conc. Quoad ministerialem; nego. Hoc enim causandi modo id facit homo. quod Deus *per ipsum* facit: «*Quorum remiseritis peccata*, ait. D. Jesus, *remittuntur eis*.» (3) nota tamen quod Hieronymus non loquitur de Baptismo Christi, sed de Baptismo hominis, nempe Joannis.

Objic. 5.° Nulla est proportio inter sanctitatem et res materiales: ergo nequeunt Sacramenta causare gratiam.

Resp. Dist. *ant.* Si res materiales a Deo ut instrumenta ad sanctificandum assumantur, nulla est proportio, nego: est enim tunc aptitudo causae instrumentalis.

Aliter. concedo *ant.* et dist *consequens:* nequeunt causare gratiam principaliter: conc. Ut causae instrumentales. nego. Virtus enim causae instrumentalis non ex ejus natura est metienda. sed ex causa principali cui inservit.

SCHOLIA.

26. I. Rejicienda prorsus est Durandi opinio, quod Sacramenta Novæ Legis se habeant tantum ut *conditiones*, sine quibus gratia non conferretur. vel ut causae per accidens. De his enim non dicitur proprie et simpliciter quod causent. Puta: non vere et proprie fenestra illuminat, licet conditio existat sine qua sol aulam minime illuminaret; neque vere et simpliciter medicina regit rempublicam, licet per accidens medicinam colat qui praeses reipublicae existit. Vide D. Thomam de hac re (4).

27. II. Falsa quoque dicenda Scoti sententia. quod nulla insit Sacramentis actio quae terminetur ad gratiam sanctificantem. neque *secundum se* ad illam ea disponere; sed solum ex ordinatione Dei statuentis. quod iis positis ipse producturus erit gratiam. Atqui id non sufficit ad veram Sacramentorum causalitatem. quam fides docet: similia. nempe. forent causis occasionalibus Carthesii.

---

(1) *De Trin.* l. 15, c. 26. – (2) In Isai. c. 4. – (3) Jo. XX, 23. – (4) 3 p. q. 72, a. 1.

quae sunt causae tantum apparentes et mera signa effectus propter extrinsecam connexionem.

28. III. Neganda etiam Henrici Gandav. opinio, quod Sacramenta dicantur gratiam causare, non quia actione ulla propria gratiam attingant; sed quia auctor gratiae Deus specialiter in illis existit, atque eis assistit. Nam fides docet Sacramenta causare gratiam, sed repugnat causalitas absque actione. Confirm. Deus specialiter existit in anima justa, eique assistit. Atqui tamen non illi tribuuntur Dei operationes; puta, anima non auget suam gratiam, non confert sibi auxilia, etc., quamvis Deus id faciat: ergo neque Sacramenta causant gratiam, ex eo solum quod Deus illis assistens eam producat.

29. IV. Occasione statutae doctrinae non levis existit inter doctores dissensio ad explicandam efficaciam Sacramentorum Veteris Legis praesertim Circumcisionis, et Sacramenti Legis Naturae in remedium peccati originalis instituti. Putant enim aliqui, Circumcisionem et Remedium Legis Naturae causavisse gratiam sanctificantem: innituntur praecipue testimoniis Augustini, S. Gregorii et Innocentii III *(c. Majores*, de Baptismo) docentis, quod originalis culpa remittebatur per Circumcisionem, uti nunc per Baptismum. Ita S. Bonaventura cum pluribus aliis.

Alii, e contra, censent nullum Sacramentum in Lege Veteri et Naturae habuisse efficaciam ad conferendam gratiam, sed fuisse merum signum et conditionem gratiae conferendae.

Pro hac affertur D. Thomas, et defenditur a Vazquezio, Bellarmino, Suarezio, etc.

30. **Dico I.** Aliter et perfectiori modo conferunt gratiam Sacramenta Novae Legis, quo in Veteri.

1.° Ex Trid. damnante dicentes: «Sacramenta N. L. non dif»ferre a Sacramentis antiquae, nisi quia sunt diversae caeremoniae, »et ritus externi.» Item Decr. Flor. *pro Armenis*. «Haec (Sacra»menta V. L.) non causabant gratiam, sed solum per passionem »Christi dandam figurabant: nostra vero Sacramenta et continent »gratiam, et digne suscipientibus eam conferunt.»

2.° Paulus ait: «*Circumcisio nihil est... sed observatio mandatorum Dei* (1). Et iterum. *Circumcisi estis circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo* (2): erat ergo carnalis tantum illa Circumcisio. Et Rom. II, v. 25 et 26, aequiparatur circumcisio praeputio.

---

(1) 1 Cor. VII, 19.—(2) Colos. II, 11, 12.

31. 3.° SS. Patres fere communi sensu consentiunt. Epiphanius. *Haeres* 30. «Prima illa Circumcisio non fuit perfecta, sed »signi tantum gratia est data, et ad commonitionem ipsorum, et ut »figura esset magnae circumcisionis.» Ambrosius (1). «Sig»num igitur Circumcisio corporalis: veritas autem Circumcisio »spiritualis: illa membrum amputatur, ista peccatum.» Patet ergo non delevisse per se peccatum Circumcisionem. S. Cyril. Alex. ait: «Vim illam legalis cultus non esse ad purgandum sa»tis efficacem... Imperfecta igitur est lex ad santificationem nisi iis, »qui Dei conjunctionem ardenter petunt. Baptismus quoque saluta»ris accesserit (2).»

32. **Dico II.** Applicata Circumcisione, vel Remedio Legis Naturae, effundebatur parvulis gratia, et remittebatur originale peccatum.

Patet tum ex allatis testimoniis pro priori sententia: tum ex praemit. III et IV ante Thes. I.

Utrum autem requireretur fides parentum vel ministrantium Circumcisionem, quidam affirmant, alii negant cum Augustino qui ait (3); sicut Baptismus, ita effectum habuisse Circumcisionem sine fide ministri, quod probabilius esse tenet Suarez, (Disp. X, Sec. 1). Sufficiebat nempe, ut minister ritum adhiberet intentione peragendi caeremoniam illam sacram a Deo institutam, vel pro salute infantium adhibitam, vel prout populus Dei peragebat.

33. **Dico III.** Per Circumcisionem non conferebatur adultis gratia nisi haberent charitatem vel contritionem.

Patet ex dictis supra (Dico 1): aliter similis extitisset Circumcisio Sacramentis N. L. Deinde Paulus docet (4), fuisse Circumcisionem signum justitiae acceptae per fidem, non autem illam reputatam fuisse Abrahae in justitiam.

34. Obj. Videtur ergo Circumcisionem et Remedium naturae pro adultis non fuisse Sacramentum.

Resp. Negando *consequentiam*. Conferebat enim sanctitatem legalem, et significabat gratiam suscipiendam per merita Christi, si suscipiens obicem non poneret.

Inst. Saltem erat adultis Circumcisio inutilis, si gratiam non conferebat, idem dicas de Remedio naturae.

Resp. nego illatum: posita enim Dei praescriptione, erat illa externa fidei professio necessaria ut conditio *sine qua non;* et praeterea quatenus ritus sacer, et signum gratiae ad devotionem internam conferebat.

---

(1) *Irenaeo.* ep. 74, Clas. II.– (2) *De adoratione in Spir. et verit.* 4, IX, n. 312.— (3) Contra *Crescon.* l. I, c. 31.—(4) Rom. IV, 10, 11.

35. **Dico IV.** Circumcisionem et Remedium naturae non contulisse parvulis gratiam ex opere operato.

Nota: multi cum Scoto dissentiunt; sed id probabilius asserimus cum D. Thoma, Suarezio (1) ac Bellarmino. Rationes, quas supra (Dico I) notavimus, suadent, ut expendenti patebit. Tantum manet difficultas: si non conferebat Circumcisio parvulis gratiam ex opere operato, ergo conferebatur ex opere operantis. Tamen diximus fidem ministri non fuisse necessariam. Resp. Ex privilegio divinae misericordiae pro salute infantium, remisisse Deum parvulis originale peccatum, non quidem id praestante aut exigente causalitate Sacramenti Circumcisionis vel Legis Naturae; sed quia statuerat hanc illis misericordiam propter Christi venturi merita exhibere; quod posito signo illo sacro adventus Christi, tamquam *conditione sine qua non*, fieret remissio.

36. **Dico V.** Veteris Legis Sacramenta conferebant sanctitatem legalem, et signa erant gratiae sanctificantis per merita Christi suscipiendae.

Haec propositio est communis et certa. Sanctitas legalis est mundities ab omni impedimento excludente ab usu Sacrorum; puta esu sacrificiorum, ingressu in templum, connumerari cum populo Dei, etc.

1.ª pars patet. Ex ipsa Circumcisionis institutione (2): *circumcidetis carnem praeputii vestri, in signum foederis inter me et vos. Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, deleatur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, (ibid). Paulus, de ista legali et carnali Circumcisionis sanctitate ait: *Quamquam ego habeam confidentiam et in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis; circumcisus octavo die, ex genere Israel... Verum tamen omnia detrimentum feci... et arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Jesu* (3). Et in ep. ad Rom. (c. 10), iterum distinguit, justitiam ex lege, et justitiam ex Christo, et docet hanc illius esse finem. Hinc Deus per Ezechielem (4) arguit, quod incircumcisi ingrederentur templum, quo, ut explicat Hieronymus, polluebatur Domus Dei. Quapropter praecipit Deus: *Omnis alienigena incircumcisus corde, incircumcisus carne, non ingredietur Sanctuarium meum.*

37. II.ª pars, prob. 1.° Conc. Flor. in *Decreto pro Arm.* Sacramenta antiquae Legis non causabant gratiam, «sed eam solum

---

(1) Disp. X, Sec. II.—(2) Gen. XVII, 11, 14.—(3) Phil. III, 4, 5, 8, 9. —(4) C. XLIV, 6, 7, 9.

per passionem Christi dandam esse figurabant.» Cyrill. Alex. (1) ait, «in Christo per Spiritum Circumcisionem» illa priori significari. «Petra enim erat Christus, quem tamquam in figura ille quoque »calculus praenotat. Pariter S. Hieronymus (2): Quod scri»bitur populus circumcisus, significat... a Domino Jesu Christo »spirituali circumcisione credentes esse mundandos.» Isidor. (3): «Quid aliud Circumcisio significat, nisi renovatam naturam per »Baptismum, post expoliationem veteris hominis?» Vide alios Patres supra, (**Dico I**, n. 30).

38. **Nota**. Ex dictis facile conciliabis Patrum oppositas, ut primo aspectu videtur, sententias. Qui enim negant Circumcisionem quidquam ad remissionem peccati praestitisse, respiciunt ad ejus intrinsecam efficaciam et primarium scopum, scil., legalem seu carnalem justitiam. Alii autem, cum Augustino, asserentes detersisse peccatum, quemadmodum Baptisma, perpendebant externam, seu concomitantem, Circumcisionis virtutem, et secundarium scopum ipsius. Quia enim tenebantur homines, ut a peccato mundarentur, fidem in Christum venturum profiteri, et pueros Deo offerre aliquo exteriori signo fidei in Christum; factum est, ut instituta Circumcisione tamquam signo populi Dei, et legalis justitiae adhiberetur etiam congruenter et ex mera consuetudine, ut putat Lugo, vel necessario et divina praescriptione, ut putat Suarez, ad pueros Deo offerendos et fidem in Christum profitendam. Hinc, licet ex sua institutione nullam vim haberet ad delenda peccata Circumcisio, tamen *de facto* in Circumcisione, sicut prius in Remedio naturae, remittebantur.

THESIS III.

Propter meliorem ministrum non potest haberi per Sacramentum major gratia ex opere operato; bene tamen ex opere operantis.

38. **Nota**. Censet Cajetanus cum Scoto et aliis, minorem vel majorem gratiam conferri per Sacramenta ratione sanctitatis et devotionis Ministri, vel etiam propter merita parentum. Quo sensu id concedi possit Thesis ostendit; unde pars prima probatur.

1.° Justificare ex *opere operato* in eo consistit, quod ex opere ipso in se inspecto, et ad Christum spectante non vero ex suscipientis et ministrantis merito, fiat justificatio. Atqui Sacramenta causant justificationem ex opere operato, quod autem minister sit melior

---

(1) *De Adorat., in Sp. et Ver.* l. 2.—(2) In Galat. c. III, 7.—(3) In Gen. c. III.

ad ejusdem pertinet meritum: ergo sine contradictione dici nequit, quod propter meliorem ministrum possit major gratia haberi.

2.° Vide supra (Th. II, n. 22.) Ambrosii et Augustini doctrinam. S. Chrysostomus (1): «Multi me absente bapti»zati sunt; non claudicat donum Dei... Praesente Christo sunt bap»tizati.» Gregor. Naz. (2) proposito exemplo, quod unum idemque signum existat, sive aureo, sive ferreo exprimatur in cera annulo. «Sic, ait, tibi quoque omnes qui baptizandi munere fun»guntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitae probitate antecellat, eadem tamen Baptismi vis est.»

3.° Hanc doctrinam clare, ut testatur D. Thomas, significavit Paulus (3): *Numquid* Paulus *crucifixus est pro vobis? Aut in nomine* Pauli *baptizati estis? Gratias ago Deo quod neminem vestrum baptizavi...* Nempe gloriabantur Corinthii dicentes: *Ego sum Pauli, ego vero Cephae.*

39. II.ª pars. prob. Preces et merita majoris sunt efficaciae, ceteris paribus, si ex majori gratia et sanctitate procedant. Atqui minister Sacramentorum potest in ipsa administratione deprecari et mereri etiam pro suscipientibus: ergo ex opere operantis, poterit, propter meliorem ministrum etc.

Confirm. Docet D. Thomas (4). Missam sanctioris Sacerdotis esse magis fructuosam: ergo a pari. Imo explicite (5) ait; «Effectus »Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid »tamen annexum impetrari potest recipiente Sacramentum per de»votionem ministri.»

40. Actus ministri vel suscipientis Sacramentum aliquando ad ipsum Sacramentum intrinsece pertinent: ergo si perfectiores fuerint actus, perfectius erit Sacramentum. Atqui perfectior causa et perfectiorem producit effectum; ergo propter meliorem ministrum dabitur major gratia *ex opere operato.*

Resp. Dist. 1.m *consequens.* Perfectius erit Sacramentum materialiter: conc. In virtute causativa; nego. Et pariter distinguo *min.* subsumpt. Perfectior causa materialiter; nego: formaliter, seu in virtute causativa, perfectiorem producit effectum; conc.

Cum Sacramentum signum quoddam sit causativum sanctitatis, oportet in eo distinguere formalem rationem significandi et causandi a subjecto, seu materia, in qua formalis illa ratio suscipitur.

Ad *min.* subsumptam dicendum: quod causa formaliter, seu in virtute causativa, perfectior, meliorem producit effectum; hoc autem non evenit in re de qua agitur.

---

(1) Hom. *de reditu suo* ex Asia. – (2) Orat in *Sanct. Bapt.*—(3) 1 Cor. I, 14, 14.—(4) 3, p. q. 82 a. 6.—(5) 3, p. q. 64, a. 1.

THESIS IV.

In subjectis aequaliter dispositis confert idem Sacramentum aequalem gratiam; meliorem autem in magis dispositis.

41. **Nota**: prior theseos pars est theologorum communis doctrina adversus Scotum et alios. Scilicet censent isti fuisse homines praedestinatos ut locum susciperent angelorum, qui e coelo deciderunt. Jam vero diversum angeli omnes gradum, ut illi putant, tum gratiae, tum gloriae, suscepturi erant si permansissent; hoc supposito, inferunt etiam electos omnes dispari gratia sanctificandos esse, et consequenter inaequales gratias eadem conferre Sacramenta, secundum diversam cujusque praedestinationem, quam ante praevisa merita factam fuisse existimant.

42. Prob. 1.° ex Trident. (1) docente, mensuram gratiae a Sp. Sancto singulis partiri, «secundum propriam cujusque dispositionem:» ergo aequali dispositioni respondet aequalis gratiae partitio. Deinde ait (2): «Quantum est ex parte Dei dari gratiam per »Sacramenta omnibus et singulis:» objective, seu ex parte nostri, conferri gratiam iis qui «rite ea suscipiant, et ex opere operato.» Atqui praedestinatio, aliaeve rationes extrinsecae, nec spectant ad *opus operatum*, neque ad *ritam susceptionem*, seu dispositionem: ergo aequalis gratia confertur aequaliter dispositis per idem Sacramentum.

2.° S. Cyprianus (3) ait: in Baptismo «Spiritus S. non de »mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna, aequalis omni»bus praebetur. Nam Deus ut personam non accipit, sic nec aeta»tem, cum se omnibus ad coelestis gratiae consecutionem aequali»tate librata praebeat patrem.» S. Chrysostomus (4) in ea Petri verba: *Eamdem gratiam dedit Deus*, ait: «Videsne quomodo »non permisit illos minus habere, qui semel credidissent?»

Deinde loquens de his qui statim post Baptisma decedunt, ait: «Itaque tu, si velis, majus accepisti donum: non quod illuminatus »sis: hoc enim ipse tecum commune habet; sed quod ad praeclare »agendum tempus acceperis.» In his clare tradit, quod nec in susceptione Sp. Sancti per Confirmationem, nec in regeneratione per Baptismum, gratiae disparitas est censenda.

43. Theseos pars 2.ª probatur.

---

(1) Sess. V, c. 7.—(2) Sess. VII, c. 6 et 7.—(3) Epist. 59.—(4) Hom. 24. In Act. Ap. c. X.

Nota: communiorem inter DD. hanc defendimus sententiam, cum D. Thoma. Suarezio, Scoto, etc.

Prob. 1.° Ex verbis, in praecedendi Thesi, allatis Conc. Trid. gratiam conferri docet, «Secundum cujusque dispositionem.» Sed si aequalis conferretur gratia inaequaliter dispositis, non susciperent singuli secundum suam dispositionem: ergo.

2.° Operantur Sacramenta ad modum causarum naturalium necessario agentium: atqui causae ejusmodi perfectius operantur in subjecto magis disposito; ut ignis, ait Div. Thomas plus calefăcit eum qui magis ei appropinquat.

3.° Gregor. Naz. (1) hortatur, ut pueri, nisi quod periculum urgeat. «Triennio expectato, aut aliquanto breviori vel longio»ri temporis spatio (nam tum, et mystici quiddam audire et respon»dere possunt, ac si minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur »tamen et informantur), ita demum magno perfectionis Sacramen»to, et animas et corpora sanctificent... Hic qui promptior et ala»crior est, idem quoque ditior evadit.» Cyrillus Hieros. (2) hortatur suscepturos Baptismum: «Munda vas tuum, ut gratiam »capiat abundantiorem: remissio enim peccatorum ex aequo datur »omnibus; communicatio vero Spiritus S., secundum proportionem »uniuscujusque fidei, conceditur. Si parum laboraveris, parum ac»cipies...» Ita Damascenus ait (3): «Spiritus gratiae pro fidei »et praeviae purgationis modo conceditur.» Tertullianus, (in l. de *Baptismo*) gravissimis hortatur verbis, ut Baptismum diligens praecedat praeparatio et poenitentia, ne deinde infirmi ac inconstantes inveniantur.

44. Obj. 1.° Tridentinum docet, gratiam conferre Spiritum Sanctum, *prout vult*. Ergo non respicit ad suscipientium dispositiones.

Resp. Conc. *antec.* et nego *consequentiam*. Duo enim docet S. Synodus; primo: dare Sp. Sanctum gratiam *prout vult;* secundo: *quomodo vult:* nempe vult dare gratiam secundum cujusque dispositionem; ita voluit, ita decrevit Spiritus S. ut pro tanta dispositione, tantam conferret per Sacramenta gratiam.

Obj. 2.° Omnes electos praedestinavit Deus ad inaequalem gloriam: sed gradus gloriae respondet gradibus gratiae; ergo necessum est, ut sine meritis propriis decedentes inaequalem gratiam baptismalem suscipiant.

Resp. 1.° Nego *antecedens*. Resp. 2.° Dist. Electos adultos; permitto *majorem:* parvulos, seu ratione non utentes; nego. Deinde conc. *min.* et nego *consequentiam*.

---

(1) Or. 40 in *S. Bapt.* n. 25 et 28.—(2) *Catech.* 1, c. 5.—(3) *De fide*, l. 4, c. 9.

Obj. 3.° Gratia sacramentalis confertur ex opere operato, quatenus ad Christum pertinente: atqui quaecumque sit dispositio suscipientis, idem existit opus operatum respectu Christi; ergo ex majori vel minori dispositione variari nequit effectus Sacramenti.

Resp. Dist. *min.* Idem existit in actu primo; conc. In actu secundo; nego. Eadem enim causae virtus, puta, solis, in materia aptius disposita, perfectiorem inducit actum.

Nota: licet aequaliter dispositis gratia sanctificans eadem vi Sacramenti infundatur; tamen nihil obstat, quominus gratiae actuales, quas finis cujusque Sacramenti postulat, inaequales tradantur vel praeparentur ex merito congruo ministri vel aliorum.

THESIS V.

Gratia sanctificans, quae est Sacramentorum effectus, est eadem quoad essentiam cum gratia sanctificante communi; differunt in eo, quod prior, qua Sacramentalis, est sanativa animae; altera minime, sed per se elevativa tantum. In diversis Sacramentis pro diverso cujusque fine, eadem gratia peculiaria exigit auxilia, suo tempore conferenda.

Nota. Antiqui aliqui theologi excogitarunt in entitate ipsa gratiae sanctificantis differentias aliquas, ut rationem reddere possent instituendorum Sacramentorum et diversitatis eorumdem. Has differentias in thesi rejicimus, utpote nulla innixas ratione, et communi doctrinae adversas.

45. I. Pars. prob. Tridentinum (1) describit gratiam et justificationem quae per Sacramentalem causalitatem confertur, et alibi docet (2), posse eam gratiam et justificationem per charitatem perfectam, absque ipso Sacramento, attingi.

Deinde, in Proemio de Sacramentis, docet eadem S. Synodus, quod per Sacramenta «omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.» Atqui non ita accideret si gratia sacramentalis essentialiter differret a communi: hoc enim posito, communis gratia non inciperet per Sacramenta, nec cresceret, nec repararetur; sicut una plantarum species non incipit, crescit vel reparatur, incipiente vel accedente alia. Denique in eadem Ses. VI, cap. 10 et can. 24, docet ac definit, justos per merita in ipsa gratia

(1) Ses. VI, c. 7, et can. 11.— (2) Ses. XIV, c. 4.

et justificatione, quam per Sacramenta acceperunt, crescere. Ergo eadem est, quoad essentiam, gratia quae intra Sacramentum, vel extra, a Deo datur.

Confirm. Cornelius et qui in ejus domo erant gentiles, concionem faciente Petro, gratiam acceperunt Spiritus S. (1), non quidem sacramentalem, cum non fuissent baptizati. Tamen affirmavit Petrus coram concilio judaeorum, qui sacramentis fuerant sanctificati: *Qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum* (2). Ut quid igitur discrimen fingitur essentiale inter gratiam communem Spiritus S. et gratiam sacramentalem, testante Apostolo nullum interesse discrimen?

46. II.ª Pars prob. 1.° Trident. definit, Sacramenta esse ad salutem necessaria (3). In Prooemio Sess. VII, ait: spectare doctrinam de Sacramentis ad consummationem doctrinae de *Justificatione*.

2.° Synod. Moguntina (a. 1459) ait: «Doceant Pastores »nostri, septem esse Ecclesiae Sacramenta, divinitus instituta, per »quae, velut apta remedia, etc.» S. Augustinus (4) autem: «Si non esset lapsus Adam... non opus esset ut corporaliter et »sensibiliter operarentur dispensatores tui mystica facta et dicta» scilicet Sacramenta: de his enim loquitur. Tamquam ergo medicinae instituta, medicinalem praebent gratiam.

Ambrosius quoque (5). «Unde sit Baptisma nisi de cruce »Christi, de morte Christi? Ibi est omne mysterium, quia pro te »passus est. In ipso redimeris, in ipso salvaris.»

3.° Tertio potest ratio tradi, quod medicinalis sit Sacramentorum virtus: nam si in sua mansisset homo integritate, in sensus dominium plenum habuisset mens gratia ornata; nunc vero eorum premitur pondere ut versus sensibilia feratur; sicut ergo in statu innocentiae libere ac facillime spiritualia apprehendisset, absque sensibilibus Sacramentis; ita nunc iisdem sanari et adjuvari magnopere indigebat.

47. III. Pars. In tertia parte primum innuimus eamdem in diversis Sacramentis conferri gratiam; secundo in eo positam Sacramentorum, quoad effectum, differentiam, quod gratia iis collata diversa postulet auxilia.

Quoad 1^m^ sufficit testimonia in 1.ª parte proposita expendere ut evidens fiat. De eadem enim gratia et justitia docet Tridenti-

---

(1) Act. Ap. c. X.—(2) Act. Ap. c. XV, 8, 9.—(3) Ses. VII, can. 4.—(4) *Conf.* I, 13, c. 20.—(5) *De Sacram.* l. 2, c. 2.

num, quod per Sacramenta incipiat, crescat vel amisso reparetur.

Quoad 2.m autem, a) cum singula Sacramenta ad diversa officia et munera, vel fines ordinata sint, oportet ut suscipientem muniant ad illa sancte explenda: atqui hoc fieri non potest, nisi divina ac supernaturalia auxilia, iis finibus accommoda praeveniant, comitentur et subsequantur (1); ergo sanctificatio, collata per diversa Sacramenta, diversa quoque confert auxilia.

b) Hanc gratiarum differentiam Tertullianus explicat (2): «Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima con»secretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impo»sitione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore »et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.»

c) Vide Eugenii IV decretum *Unionis pro Armenis*, in quo effectus diversos Sacramentorum evolvit, quos supra, in prooemio praenotavimus.

48. Obj. 1. Gratia sanctificans communis secum fert virtutes supernaturales infusas. Sed virtutes ejusmodi ad omnia supernaturalia munia per congruentia auxilia disponunt: ergo cum gratia singulorum Sacramentorum sit eadem illa gratia communis, nulla superest in diversis Sacramentorum gratiis differentia.

Resp. Dist. *maj.* Ita ut gratia communis secum ferat illas virtutes eadem ordinatione, qua gratia sacramentalis; nego: ordinatione diversa; concedo. Distinguo etiam *min.* Disponunt eadem ordinatione, eodemque gradu; nego *min.* Diverso gradu et ordine; conc. *min.* et nego *consequentiam.* Virtutes, quae ut proprietates gratiae consequuntur, cum per Sacramenta dantur, ad animae sanitatem referuntur, et ad proprium cujusque Sacramenti finem; praeterea, ratione peculiaris finis, ad quem a Christo ordinantur, speciali quoque modo auxilia exigunt congruentia ad finem illum assequendum, et ideo ad intensiores gratias actuales suscipiendas animam praeparant. Placuit namque Christo D. gratias suas divisim et gradatim misericorditer praestare, tum ut multiplici Sacramentorum susceptione sanctitas excresceret; tum ut varietas ipsa devotioni pabulum praeberet; tum ut dona divina, quorum magnitudinem capere non possumus, saltem multis obumbrata Sacramentis grato animo susciperemus.

---

(1) *Symb. fidei* Leon IX. — (2) *De Resurr. Carn.* c. 8.

THESIS VI

Trium Sacramentorum Baptismi, Confirmationis et Ordinis proprium est Characterem in anima imprimere.

49. **Nota.** Nomine *Characteris* significatur indelebile et spirituale signum, quo ad statum aliquem, seu munus, deputatur ille qui Sacramento consecratur.

Prob. 1.° Trid. ses. VII can. 9. «Si quis dixerit in tribus Sa»cramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione et Ordine, non im»primi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale »et indelebile; unde ea iterari non possunt: anath. sit.»

Eamdem tradiderat fidem Conc. Flor. (*in decreto pro Armen.*) Innocentius III, c. *Majores*, etc.

2.° Ante vicleffistas et protestantes doctrinam negantes catholicam, communis Ecclesiae sensus effulgebat in consensu omnium scholarum, ut de suo tempore asserit D. Thomas (1), et deinceps doctores omnes.

50. 3.° Augustinus testis est doctrinae Ecclesiae, in seculo V, locupletissimus. a) De Baptismo (2): «Catholica (Ecclesia) »propterea non debet iterare Baptismum, qui apud haereticos datus »est, ne judicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non »habere, quod intus cum acceperint, amittere utique foras exeundo »non possunt.» Item (3): «An forte minus haerent Sacramenta »Christiana quam corporalis haec nota (character militiae), cum vi»deamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per Poe»nitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse »judicatur?» Et inferius: «Unde consequenter intelligitur... sancti»tatem Sacramenti in nullo perverso esse violandam. Constat enim »eam in perversis et sceleratis hominibus, sive in eis qui intus »sunt, sive in eis qui foras sunt, impollutam atque inviolatam per»manere.» b) De Chrismate dicit (4): «Sacrosanctum est sicut ipse Bap»tismus; sed potest esse et in hominibus pessimis...» c) De Ordinatione (5): «Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione »utrumque homini datur: illud cum baptizatur; istud cum ordinatur; »ideoque in Catholica utrumque non licet iterari... Sicut Baptisma in »eis (schismaticis), ita ordinatio mansit integra.» Item (6): «Manet »in ordinatis Sacramentum Ordinationis, et si aliqua culpa quis-

(1) 4 D. q. 1, a. 1. – (2) *Contr. Donat.* l. 3, c. 11. – (3) *Contr. ep. Parm.* c. 13. – (4) *Contr. litt. Petil.* l. 2, c. 114. – (5) *Contr. ep. Parm. ibid.* – (6) De *Bon. conj.* c. 24.

»quam ab officio removeatur. Sacramento Domini semel imposito »non carebit, quamvis ad judicium permanente.

Cyrill. Hierosoly. (1) vocat Baptismum: «Signaculum »indelebile in secula.» In Catechesi 3.ª ait recipi. «Signaculum per »aquam.» In catech 22 de Confirmatione dicit: «Oleo caput tuum »impinguavit in fronte, per signaculum quod habes Dei, ut efficia»ris effigies signaculi. sanctificatio Dei.» In Ordinatione autem etiam signaculum imprimi, supponit (Catech. 18, n. 33): «Sacerdo»tum in morem appellationis Christi participes facti estis... Signa»culum vobis communicationis Sancti Spiritus est datum:» comparat cum Sacerdotio Confirmationem in duobus; quod, veluti Sacerdotes, de Christo participes fiant christiani, et quod signaculum suscipiant Sp. Sancti.

S. Ephrem (2) ait: «Spiritus S. per oleum imprimit signum »suum ovibus suis, sicut annulum in cera imprimit suum sigillum, »ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur perso»nis; quando unguntur in Baptismate, (etenim unctio Confirma»tionis simul conferebatur), et signantur ipso Baptismate.»

Cyprianus docet (epist. 71): eos qui semel baptizati valide fuerunt semper esse oves Christi, licet aliquando *abalienatae* et *errabundae:* de his qui Confirmationem suscipiunt, ait: «Per nostram »orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequun»tur, et signaculo Dominico consummantur» (epis. 73).

Dionysius Areop. (vel antiquissimus A.) de Baptismate ait: «perficiens hominem divinum et communicatorem divinorum »per characterem (3).» S. Cyrillus Alex. in Ephes. Conc.: «Per Baptismum divinus nobis character imprimitur.»

51. 4.° Ratio efficax ac prima characteris est voluntas Christi decernentis, ut qui ad ejus regnum aggregantur et Spiritus Sancti virtute ad fidem fortiter propugnandam muniuntur quique aeterni sui Sacerdotii participes evadunt, signo spirituali et indelebili insigniantur. Neque hujusce rei desunt congruentes rationes quas Patres passim evolvunt. Puta: pro Baptismi sigillo, ut cives Christi discernantur; venit enim ut sibi populum, regnum, gentem sanctam, regale Sacerdotium colligeret: pro Confirmatione, ut sit nobis sigillum in custodiam et praesidium adversus daemones et sub speciali tutela simus angelorum: pro SS. Ordinibus, ut participata Sacerdotii Christi dignitas splendore sigilli fulgeat, et a reliquo populo ministrum sacrum discernat.

Inde etiam aliqualis elucet ratio, quod in aliis Sacramentis cha-

---

(1) *Procath.* n. 17.—(2) In *Bibli. Orient.* Assemani, t. 1, p. 94.—(3) *De coel. Hyerarch. c. 2.*

racter non imprimatur. Non enim per illa in regno spirituali Christi locum aliquem seu gradum obtinemus. Per Eucharistiam enim in mensa Regis tantum nutrimur: per Poenitentiam ad pristinam mentis sanitatem reparamur, quae Extrema Unctione completur: per Matrimonium subsidium suscipit servus Christi ad tantum onus salubriter portandum. Ejusmodi autem, ut patet, specialem et indelebilem characterem non postulabant.

52. 5.° Denique, praedictis perpensis rationibus, facilius elucebit argumentum ex S. Scriptura ab auctoribus communiter adhibitum. Paulus ait (1): «*Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*» In his non agitur de simplici unione, de solo accessu ad Christum, sed de perfectiori effectu gratiae, nempe, de *Confirmatione* in Christo per *Unctionem*. Praeter hunc effectum distinguit explicite alium: *qui et signavit nos* et dedit pignus Spiritus in *cordibus* nostris. Ergo, cum in Christo confirmamur, praeter unctionem et effusionem gratiae, imprimitur signaculum quoddam, seu Character. Sane haeretici, qui nihili faciunt Ecclesiae doctrinam, eadem protervia dicent, haec nihil esse aliud quam figuratas ejusdem soliusque gratiae Sacramenti locutiones.

Verum intelligere haud possum, quo pacto cordatus theologus in dubium revocet, voluisse Paulum tradere doctrinam fidei de Charactere. Quod enim ignoraverit Apostolus hunc Sacramenti effectum nemo prudens cogitabit: potuit ergo hoc verbis illis docere. Quid autem desideratur ut sciamus perspicue, id quoque voluisse? *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*» Iterum Apostolus (2) Spiritus Sancti signaculum, quo omnes in Christum credentes discernuntur, explicite memorat: «*In quo et vos cum audissetis Verbum veritatis, in quo* (Christo) *et credentes, signati estis Spiritu promissionis Sancto. Et nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis.*»

53. Obj. 1.° Innocentius III characterem Sacramentorum invexit: nam antiquiores theologi non noverunt; imo id fatetur Cajetanus, ante Innocentium traditionem hujus doctrinae non constare.

Resp. Nego assertum: nam ante Innocentium Petrus Lombardus, seu Magister Sent. (3) de Ordine agens, in charactere spirituali, quem a gratia distinguit, consistere ait.

---

(1) II Cor. I. 21, 22. – (2) Eph. I, 13; IV, 30. – (3) L. IV, d. 24.

Eamdem edocebat doctrinam Petrus Pictaviensis, Magistri discipulus. Cajetanus autem errore fallitur negans extitisse antiquam traditionem.

Inst. Ex quaestione rebaptizantium, qui, duce S. Cypriano, Baptismum iterari posse affirmabant, arguit Cajetanus cum aliis AA., tunc temporis ignotum plane fuisse characterem baptismi.

Resp. Falso supponit Cajetanus rebaptizantes credidisse, posse *validum* Baptismum iterari. Nempe illi putabant, apud haereticos Baptismum esse invalidum, ideoque eos qui ab haereticis baptizantur debere rursus in Catholica Ecclesia Baptismo ablui. Hinc nullatenus rebaptizandos asserebant haereticos prius in Ecclesia baptizatos.

54. Obj. 2.° In professione fidei stat Baptismi character: hinc Augustinus (1): «Attendo fidem in nomine Patris et Filii et »Spiritus Sancti: iste est character Imperatoris mei.»

Resp. Dist. Stat causaliter et arguitive; conc. Formaliter; nego. Oportet enim in illa fide et invocatione baptizari eum qui baptismalem characterem suscipit.

Objic. 3.° Baptizatum a non baptizato (idem dicas de aliis Sacramentis) optime tum Deus tum beati distinguunt, etiamsi ad nullum respiciant spiritualem characterem; apud nos autem solo externo Baptismi ritu discernuntur. Ergo spiritualis character inutilis dicendus.

Resp. Dist. *ant.* Distinguunt extrinsece; concedo: intrinsece; nego. Posito per Sacramentum spirituali charactere, sacratus a non sacrato discernitur intrinsece ac ontologice proprio insignitus ornatu. Sic. ex. gr., etiamsi cives omnes agnoscant regem vel sacerdotem suum, decet tamen ut peculiaribus decorentur ornamentis.

Inst. Saltem a damnatis gratia omnis et ornamentum delebitur: non ergo hoc sacramentale sigillum est indelebile.

Resp. negando *ant.* Sicut manebit apud illos naturalis imago Dei, ita et sacramentalis character: «Habet hoc qui recesserit, ad »cumulum supplicii, non ad meritum praemii.» ait Augustinus (2): nempe erit aeternum stigma traditoris, transfugae et sacrilegi.

---

(1) *Serm. de Emer. Donat.* — (2) *De Nupt. et Concupisc.* l. I, c. 10.

SCHOLIA

§ I

De natura characteris

55. Quid sit ontologice sacramentalis character inquirunt scholastici DD., nec omnium una est sententia. Putavit Durandus. cui consentire videntur Scotus et Dominic. Soto ut notat Vazquezius. esse characterem ens morale, seu rationis. quale producitur per Doctoratum seu Primam Tonsuram. Hanc sententiam damnatam judicant communiter theologi: Vazquezius tamen, licet falsam judicet. ab omni censura liberam esse censet. At Bellarminus ait: «Vix differre ab haeresi hu»jus temporis:» Suarez putat: «Non posse jam vindicari ab »errore in fide propter definitionem Conc. Flor. et Tri»dent.» Alii, ut Lugo, Arriaga. etc. non posse jam de»fendi.» dicunt; et Capreolus dicit «esse reprobatam ab »Ecclesia.»

56. **Dico.** Character Sacramentalis est in se aliquid reale; sive dicatur relativum transcendentaliter. sive absolutum.

I.ª pars fluit ex dictis in Thesi. 1.° Florentinum. Conc. et Trident. docent: Characterem esse «Spirituale quoddam sig»num et indelebile impressum in anima.» Atqui hoc nemo dicet de Doctoratu. quod imprimat aliquid simile in anima; potius in charta vel in memoria eorum ad quos notitia perveniat imprimitur.

2.° Quoad gratiam sanctificantem, quae abs dubio est aliquid reale in anima infusum, non aliter locuta est Trid. Synodus: «Diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ip»sis inhaeret;» ergo si gratia est effectus realis in anima. et character.

3.° Modus loquendi Patrum confirmat esse quid reale characterem. Nam comparant illum notis realibus, quibus milites, oves, cera, moneta consignantur: dicunt manere in anima, eique inhaerere, et secum ferre: ajunt Angelos signaculo illo dignoscere servos Christi.

57. Obj. Entia non sunt sine necessitate multiplicanda: sed non est ulla necessitas quod character Sacramentorum sit quippiam reale physicum; possunt enim ea quae ad characterem pertinent de morali quadam immutatione et obsignatione intelligi.

Resp. 1.° *Major* concedi potest, si de necessitate late dicta intelli-

gatur: neque enim res dicetur perfecta et undequaque absoluta ex eo tantum, quod omnia sibi stricte necessaria fuerit assecuta. Perfectio totius mundi, ac cujuslibet rei particularis, non ex entibus rationis, sed maxime ex entitatibus realibus procedit: unde videtur quod prudens quisque potius entitatulas rationis, quam reales pertimescere deberet.

Resp. 2.° Nego *min.* Nam necessitas a posteriori sat elucet a traditis rationibus, et communi DD. sensu: necessitas a priori late dicta, scilicet, in convenientia, utilitate seu majori perfectione innixa est evidens.

58. II.ª pars ostenditur; sed ante nota: entitas realis potest vel absoluta vel relativa existere. Hinc ortum est, ut aliqui censeant characterem esse relationem realem, alii vero rem absolutam: non multum refert, sive unum, sive aliud censeas, dummodo ab aliquorum praecaveas falso et ambiguo loquendi modo, qui relationes rei advenientes pure extrinsecas, reales appellant: puta, dealbato pariete, ad eum caetera alba, similitudine, referuntur. Si ergo character relatio realis dicatur, subintelligere oportet, quod ejusmodi relativa entitas sit intrinseca et realis in suo subjecto: alias in rejectam Durandi et, fortasse, Scoti opinionem recideres, et nomine *relationis* periculose abutereris, ut multi, parum caute, saepissime faciunt.

Character quoddam est sigillum, ideoque signum, habens ad Christum respectum aliquem, nec non ad illa munera exercenda, ad quae per Baptismum, Confirmationem vel Ordinem destinamur. Signum autem significandi vim habere debet, vel ex semetipso, vel aliunde, seu extrinseca destinatione: ergo character debet esse vel entitas ex se absoluta, sed a Christo ad significandum destinata; vel ex se relativa, id est, ab intrinseco respiciens eos terminos quorum sigillum existit: quo posito, erit relatio transcendentalis.

§. II

Utrum character sit entitas absoluta vel relativa

59. Utrum vero character entitas absoluta sit vel non, sed relatio, praedicto modo intellecta, inquirunt auctores plures. Probabiliores rationes pro eo stare videntur, quod sit aliquid absolutum perficiens animam, habens aptitudinem ut in sigillum constituatur et assumatur ad ea significanda, quae de facto ex Christi institutione significat. Nam relationes transcendentales in iis rebus insunt quae ex se ipsis munus aliquod exercent erga suos terminos: sic

creatura intrinsece dependet a Deo; unio formaliter extrema conjungit, actio intrinsece emittit a causa effectum, etc.

Quid autem muneris et officii character exerceat, propter quod ejus essentia in respectu transcendentali consistat, non potest assignari; ut expendit Suarez, (q. 63. D. XI. §. II.)

§. III

De subjecto characteris

60. Characterem in anima immediate recipi, et non mediate, probabilior docet sententia cum Bellarm. Suarez. Lugo, etc., adversus Thomistas, qui putant recipi in intellectu; et Scotistas, docentes recipi in voluntate. Potior ratio ex Tridentino et Florentino sumitur, nam docent *recipi* characterem in anima. Obvius et proprius sensus, est *immediate* recipi: quemadmodum cum decernunt Christum instituisse Sacramentum, sensus proprius est instituisse *immediate*. Quod et alio patet exemplo: licet omnia accidentia vel proprietates corporum *mediate* in materia prima recipiantur, tamen recipi *simpliciter* in illa negant Thomistae et Scotistae: cur?

Quia non immediate recipiuntur. Ergo, é converso, quia character simpliciter et proprie in anima recipitur, verba enim dogmatica simpliciter sumenda sunt, fateri oportet recipi immediate. Alias rationes in laudatis AA. expendere poteris.

Ex his deducimus: ideo Scotus et graves alii antiqui auctores recipi in aliqua tantum potentia characterem probabiliter existimarunt, quia ante praedictorum Conciliorum definitiones dogmaticas extitere: eorum ergo opinionem dimittimus, ut Conciliorum doctrinam pressius retineamus.

§. IV

An in alia vita maneat character

61. Indelebilem esse characterem sacramentalem supra indicavimus. Et sane saltem in praesenti vita numquam deleri, pro certo tenendum et de fide, cum pronuntiet Trid. (ses. VII. can. 9) esse absolute signum indelebile.

Utrum autem et in alia vita permaneat, alia est quaestio. Lugo enim et alii probabile esse dicunt, post mortem non manere Sacramenti characterem. Tamen fere omnes theologi defendunt, perseverare tum in beatis, tum in damnatis: ita D. Thomas, Sua-

rez. etc. Aliqui autem explicite asserunt esse omnino certum. Mens Ecclesiae, praeter dicta Conciliorum verba, confirmare aperte videtur: numquam enim rebaptizavit eos qui e morte non raro, precibus sanctorum, suscitati sunt; sed ut vere baptizatos, et omnium Sacramentorum capaces habuit.

Nota: alia dubia spectantia ad proprietates characterum sacramentalium expendunt DD. Scholastici, uti Lugo, Vasquez, Suarez, etc. Apud eos ergo pleniorem hujusce rei notitiam facile hauries.

ARTICULUS III.

De Causalitate Sacramentorum.

THESIS VII.

Sacramenta causae sunt instrumentales, vel morales vel physicae.

62. **Nota** 1.° Sacramentorum plena notitia postulat, ut quaestionem hanc de modo causalitatis eorum non praetermittamus. Sunt enim signa practica, seu efficientia id quod significant: efficientia autem, seu causalitas, multiplex existit; igitur in quo causalitatis genere comprehendantur Sacramenta inquirendum.

2.° Causa vel est principalis vel instrumentalis: principalis (prout ab instrumentali distincta) est illa quae per se operatur; unde ejus virtus saltem adaequat perfectionem effectus: instrumentalis autem est, per quam operatur principalis, cujus virtute illa completur ad causandum.

3.° Distinguere oportet causam physicam a morali. Causa physica dicitur quae efficit per actionem physicam: moralis autem per moralem, id est, trahendo seu alliciendo voluntatem, e qua pendet actio physsica.

63. I.ª pars prob., quae certa est ac catholica.

1.° Trident. (Ses. VI. c. 7) docet de Baptismo esse causam instrumentalem justificationis; et postea in prooemio Sess. VII. de omnibus Sacramentis dicit: «per quae omnis vera justitia vel inci»pit. vel coepta angetur, vel amissa reparatur.» Cum ergo respectu ad Baptismum causalitas illa, *per quae*, ex mente Concilii sit instrumentalis, idem censebat de aliis Sacramentis.

Id quoque explicite docuit Conc. Moguntinum, cap. II. «Doceant Pastores septem esse Sacramenta..... per quae velut apta »instrumenta atque media, suae gratiae remedia nobis impertitur »Deus.»

2.° Ex notione causae instrumentalis. Deus in nobis operatur per Sacramenta, ut dictum est (Th. II): aliunde, ejusmodi sacramentalia signa ex se, seu naturaliter, non sunt sufficientia ad sanctificandum, ideoque sunt a Deo complenda: ergo.

64. 3.° Patet discurrendo per singula causarum genera; nam ad aliquod illorum pertinent, ut diximus loco nuper citato. Non sunt enim Sacramenta causa finalis, cum ad aliud ordinentur, scilicet, ad sanctificandos homines. Neque sunt hujus sanctificationis causa intrinseca, sive materialis, sive formalis: nam permanet sanctitas in anima, et Sacramentum transit. Denique non esse causas principales gratiae patet, cum in nomine Christi ab ejus ministris exerceantur actiones sacramentales, et solus Deus virtutem habeat adaequatam ad gratiam causandam: unde rogavit Patrem Jesus: «*Sanctifica eos in veritate*» (1); et Paulus ait (2); «*Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*» Sunt ergo Sacramenta causae quidem agentes gratiae, sed instrumentales tantum.

II.ª pars sponte fluit ex priori. Inter causam moralem et physicam nulla alia interponi potest: actio enim, seu causalitas, aut terminatur directe ad realem effectum, aut interposita voluntate illius productiva, seu determinativa: si ultimum accidat, causa est moralis; si autem primum eveniat, erit causa physica.

SCHOLION

Utrum physica sit vel moralis Sacramentorum causalitas.

§ I

Status quaestionis

65. Primarii theologicae scientiae doctores huic quaestioni dilucidandae operam dederunt, at eo successu ut pro utraque parte nobilissima militent ingenia, et adversae putent dissolvi posse argumenta.

1.ªm tuentur sententiam, quae physicam defendit causalitatem: Bellarminus, Suarezius, uterque Soto, Capreolus, Silvius, Cajetanus, qui, cum universa fere Schola quae dicitur thomistica, ita D. Thomam intelligit et sequitur, Salmanticenses, aliique plures.

---

(1) Jo. XVII, 17.—(2) I Cor. VI, 11.

2.am autem tenent Vazquezius, Lugo, Arriaga, Beccanus, aliique plures tum ex recentioribus, tum ex antiquioribus, inter quos laudari solent S. Bonaventura, Scotus, Durandus, etc.

D. Thomam stare pro priori sententia, licet ipse numquam explicita voce declaraverit, an essent Sacramenta causae physicae, an e contra morales, sat clarum videtur; et quidem ex illo ipso testimonio, quod sibi favere putant AA. secundae opinionis. Ait enim (1): «Instrumentum gratiae etiam instrumentaliter non per»tingit ad ipsam justificationem, seu ad ultimum effectum, quod »est gratia; sed solum ad aliquam dispositionem, quae necessaria »est ad ipsius gratiae susceptionem.» Jam vero non potuisset ita de efficacia sacramentorum loqui, si moralem solum eam esse existimasset: quis enim sanae mentis dubitare poterit, Christum gratiam sanctificantem nobis meruisse, et ad eam nobis tradendam Sacramenta instituisse? Si ergo moralis tantum est eorum efficacia, quia sunt meritorum Christi pura applicatio, apertissimum est, ejusmodi efficaciam pertingere ad ipsam gratiam sanctificantem. Idem censendum quoad efficaciam quam verbis consecrationis Angelicus Doctor tribuit; etenim docet (ibid. ad 6) illam instrumentaliter efficere transubstantionem *quoad recessum a termino a quo*, seu cessationem panis et vini; non autem quoad accessum ad terminum ad quem, id est productionem Corporis Cristi. Jam vero locus dubitandi nullus esse potuisset, si de efficientia egisset morali.

§ II

Rationes sententiae negantis physicam causalitatem Sacramentorum

66. Sententia negans physicam Sacramentorum efficentiam, his nititur rationibus, quarum vim urget et clare perpendit Suarez, uti solet, quum adversas exponit opiniones.

1.a ratio aliquas refert SS. Patrum sententias, quae soli Deo efficientiam gratiae tribuunt: ex. gr. Ambrosius ait (2): «Aliud »est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio: aqua »opus est, operatio Sp. Sancti.»

2.a Gratia actualis, quae proprius est Sacramentorum effectus, saepe longo tempore post collatum Sacramentum accipitur: item, alii effectus, ut remissio poenarum, solum morali modo effici queunt.

---

(1) 4 *Dist.* 1, a. 4, q. 1.—(2) L. I, *de Sacr.* c. 5.

3.ª Baptismus aliquando tunc causat gratiam cum reviviscit, non autem cum suscipitur. Transacto autem Sacramento, impossibilis est physica ejusdem efficacia.

4.ª Solus Deus gratiam in anima physice conservat: ergo et solus illam efficit: eadem enim requiritur actio ad producendum, et ad conservandum.

5.ª Praecipuum nostrae sanctificationis instrumentum est passio Christi: haec autem moraliter causat: ergo a fortiori ita operantur instrumenta remota, quae ab illo proximiori vim accipiunt.

6.ª Efficientia moralis sufficit ad nostram sanctificationem per Sacramenta: sed miracula Deum inutiliter fecisse non est credendum: ergo.

7.ª Ratio ponitur a Vazquezio, nescio tamen an tanti digna ingenii (1). Physica efficientia quin spectet ad Sacramentorum dignitatem, non parum illi derogare videtur: «Etenim, ait, ridicu»lum profecto apparet, totam Sacramentorum vim et efficentiam »ad extremum quoddam soni aut motus indivisibile revocare, quod »physico concursu gratiam producat.»

8.ª Recentiores aliqui aliam magni faciunt rationem. Cavere oportet, ajunt, ne difficiliora fidei nostrae dogmata reddamus. Jam vero opinio de efficientia physica Sacramentorum, non tantum ad facilem illorum intelligentiam nihil confert, sed plenam difficultatibus et fere inextricabilem doctrinam catholicam reddit; quod ex praemissis argumentis patet: hinc et in illa explicanda est non parva dissensio inter ejusdem defensores.

Latius exposita ejusmodi et similia argumenta apud Bellarminum (2) et Suarezium (3) videas: haec sufficiant, ut probabilitas hujusce sententiae elucescat.

§ III

Argumenta pro physica causalitate Sacramentorum

67. Alia sententia, pro physica stans Sacramentorum efficientia, varia etiam congerit argumenta, quae ad tria possunt capita reduci.

1.m Tum Scriptura, tum Concilia, tum Patres, docent Sacramenta sanctificare, operari, esse causas nostrae justificationis. Ex. gr. «*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto*», et alia ejusmodi Scriptura dicit. Tridentinum docet conferre

(1) In 3.ª p. q. 62, disp. 132, c. 6. n. 111. – (2) *De Sacram.* l. II, cap. XI. – (3) Disp. IX, de Sacr. Sect. II.

gratiam ex opere operato: ita et Florentinum hanc esse dicit proprietatem nostrorum Sacramentorum *causare gratiam:* «Et con»tinent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.» Et Augustinus: «Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?» Similiter loquuntur alii Patres. Ex quibus arguitur: simpliciter, proprie et litteraliter doctrina fidei intelligenda, si nihil impediat aperte. Sed praedictae sententiae ita proprie significant physicam efficentiam, ut ad hanc significandam clariora et proprio»ra verba adduci nequeant: ergo.

Confirm. Causae morales metaphorice causant effectum, et continent, quatenus alliciunt voluntatem, quae causam physicam, in qua effectus physicus proprie continetur, determinat. Causalitas ergo moralis est minus propria, et potius extrinseca quam intrinseca, potius connotativa quam formalis.

68. 2.m SS. Patres, ut Sacramentorum explicarent causalitatem, exempla passim adhibebant causalitatis physicae. Atqui si moralem existimassent illam esse efficientiam, alia sane obvia, facillima, clariora et multo plus accommodata exhibuissent exempla: ergo. *Minor* patet: prudens enim quivis, ut rem obscuram explicet, aptiores arripit similitudines. *Major* autem est quam notissima. Sint aliqua exempla. Cyrill. Alex. (1): «Quemadmodum aqua, si »admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit: ita Spiritus effica»citate sensibilis aqua ad divinam quamdam et ineffabilem vim »transformatur, omnesque demum in quibus fuerit sanctificat.» Ambrosius (supra, Cap. I. Th. II:) «Non sunt vacuae aquae.... »in hunc fontem vis divina descendit... Si superveniens Spiritus »Sanctus in Virginem, conceptionem operatus est, et generationis »munus implevit; non utique dubitandum est, quod superveniens »in fontem... veritatem regenerationis operetur.» Theophilus Alex. (epist. 98 Hieronymi n. 13) ait: «Ad aliam ejus impie»tatem veniamus... Dicit Spiritum Sanctum non operari ea quae »inanima sunt, nec ad irrationabilia pervenire. Quod asserens non »recogitat, aquas in Baptismate mysticas adventu Spiritus Sancti »consecrari: Panemque Dominicum... et sacrum calicem, quae »utique inanima sunt, per invocationem Sancti Spiritus sanctifi»cari.» Et ipse Hieronymus (2): «Neque enim aqua lavat ani»mam, sed prius ipsa lavatur a Spiritu, ut alios lavare spiritualiter »possit. *Spiritus*, inquit Moyses, *ferebatur super aquas*. Ex quo »apparet Baptisma non esse sine Spiritu Sancto.» Cyrillus Hieros. (3): «Eodem momento (Baptismi) et mortui et nati estis: illa-

(1) In Jo. l. 2, c. 3, v. 5. (147 Migne.) — (2) *Dial. adv. Lucifers.* n. 6. — (3) *Catech.* XX, n. 4.

»que unda salutaris et sepulchrum vobis, et mater effecta est.» Et iterum de Confirmatione (1): «Vide ne nudum et vile suspice»ris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiae, post in»vocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed Corpus »Christi; ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum, »neque commune unguentum est post invocationem: sed Christi »donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis ejus efficiens »factum.» S. Leo (2): «Dedit aquae quod dedit Matri. Virtus... Al»tissimi quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit ut re»generaret unda credentes.» Tertullianus (3): «Primis aquis »praeceptum est animas praeferre. Primus liquor quod viveret edi»dit, ne mirum sit in Baptismo, si aquae animare noverunt... Sub»jecta quaeque materia ejus, quae desuper imminet, qualitatem ra»piat necesse est, maxime corporalis spiritualem, et penetrare et »insidere facilem per substantiae suae facilitatem. Hac de Sancto »sanctificata natura aquarum, et ipsa sanctificare concepit... Super»venit enim Spiritus de coelis et aquis superest, sanctificans eas de »semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt... Me»dicatis quodammodo aquis per angeli interventum, et spiritus in »aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritualiter munda»tur.» Denique Gregorii Nys. (4) testimonium egregie rem hanc confirmans afferimus: «Atque haec omnia, cum materiae sint »inanimatae atque sensus expertes, postquam vim Dei accepissent, »magnis miraculis media intercesserunt. Ac simili consequentia »rationum, etiam aqua, cum nihil aliud sit quam aqua, superna »gratia benedicente ei, in eam, quae mente percipitur, hominem »renovat regenerationem. Quod si quis mihi rursus dubitando et »ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans et scisci»tans, qua ratione aqua, ea, quae per illam peragitur, initiatione »regeneret; dicam optimo jure ad eum: ostende mihi modum nati»vitatis, quae fit secundum carnem: et ego tibi vim regenerationis, »quae secundum animam fit, exponam. Dices fortasse, quasi quam»dam rationem reddens: semen causa hominis effectrix est. Audi »igitur contra a nobis: quod aqua quae benedicitur, purgat et illu»minat hominem. Quod si mihi rursus contra subjicias; quomodo? »Clamabo contra te vehementius; quomodo humida ac informis »natura homo fit? Atque de omni creatura ita oratio progrediens, »in unaquaque re exercebitur, quî coelum? quî terra? quî mare? quî »res singulares? Ubique enim ratio humana ad inventionem per»plexa haesitans ad hanc syllabam confugit, sicuti ad sellam, qui

---

(1) *Catech.* XXI. n. 3.—(2) Sermo 6. de *Nativ. Dni.*—(3) *De Baptismo*, cap. 3 et 4.—(4) *In Baptismum Christi.*

»ingredi et ambulare non possunt. Et ut rem paucis absolvam, »ubique divina vis et efficacitas incomprehensibilis est, nullaque »vel ratione, vel arte explorari potest, creans quidem atque produ»cens facile quaecumque vult, subtilem vero cognitionem efficien»tiae nos celans... Spiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui »ineffabiliter accedit... corpus quod baptizatur, et aquam quae bap»tizat, benedicit. Quare non contemnas divinum lavacrum, neque »id tamquam commune propter usum aquae parvi facias et levi »momento ducas. Nam id quod operatur magnum est, et ab illo »mirabiles existunt effectus.»

69. 3.^m^ Argumentum pro hac sententia exurgit ex eo, quod SS. Patres rem magni mysterii, plane divinam, admirandam, cum summis Dei miraculis comparabilem judicaverint Sacramentorum efficaciam. Atqui si pure moralis haec foret, nihil mysterii, admirabile nihil, vel parum, praeseferret efficientia sacramentalis: opera enim ministrorum et facta, a Domino uti propria aliquando haberi, et consequenter firmitatem eis et honorem, qui operibus Domini debetur tribuendum nemo ignorat, nullumque id postulat miraculum, nemo stupore ac admiratione dignum reputabit. Sicut enim inter miracula non accensetur quod Christus ministros habuerit, ita neque est admiratione dignum, vel loco portenti habendum, quod aliquae ministrorum actiones Christo tribuantur et propter Christum a Deo honorentur. Verum in re perspicua non immorandum: defensores enim efficientiae moralis libenter fatentur, planam esse et intelligibilem ejusmodi efficaciam; physicam autem obscuram esse, neque posse sine miraculis intelligi: imo, inde colligunt, non esse hanc admittendam. Probanda ergo *major*, et inde elucebit, num eodem modo SS. Patres fuerint philosophati.

Maj. Prob. Gregorii Nys., postremo loco, in argumento 2.°, laudatam sententiam recogites, ac videbis luculenter ostendere quod nunc probari intenditur. Testimonium accedat Tertulliani 1): «Quid ergo? Nonne mirandum et lavacro dilui »mortem? Atqui eo magis credendum, si quia mirandum est, id»circo non creditur: qualia enim decet esse opera divina, nisi super »omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credi»mus: caeterum incredulitas miratur, non credit... Nam si Deus et »sapiens et potens, quod etiam praetereuntes eum non negant, me»rito in adversariis sapientiae et potentiae, id est, in stultitia et »impossibilitate materias operationis suae instituit: quoniam vir»tus omnis ex his causam accipit, a quibus provocatur.» S. Cy-

(1) *De Bapt.* c. 2.

prianus (1): «Consecrationibus visibilibus invisibiliter manum »totius bonitatis Auctor apponit, et plenitudinem gratiae unctionis »divinae pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, et rem »Sacramenti consummat et perficit... Proprie sibi omnipotentia Dei »retinet hunc effectum... In cruce Domini gloriamur, sine quo sig»no nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. »Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas et profundum, »et longe lateque plenitudo diffunditur gratiarum.» Augustinus rem plane mirabilem esse virtutem Sacramentorum docet (2): «Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?» Et alibi (3): «Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.» Recolenda quae ex S. Ambrosio supra accepimus (Thes. II). «Crede Divinitatis illic adesse praesentiam... Aqua fit dulcis ad »gratiam... Aqua non mundat sine Spiritu...» Sed perspicua quoque sunt, et ad rem sequentia (4): «Quae impossibilia sunt apud »homines, possibilia sunt apud Deum... Nam et impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua; Nahaman Syrus lepram suam »mundari per aquam non posse credidit. Sed quod impossibile erat, »fecit Deus esse possibile, qui tantam nobis donavit gratiam.» Etiam S. Cyrillus Alex. (ubi supra) docuit, quam mira sit Sacramentalis virtus: «Spiritus efficacitate, sensibilis aqua ad »divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur, omnesque »demum in quibus fuerit sanctificat.» Denique, aliis praetermissis Patrum testimoniis, audiendus Chrysostomus (5); in illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua...* ait: «Quod si quis interroget: »quomodo ex aqua? Interrogabo et ego illum; quomodo ex terra? »Quomodo lutum in varias partes distributum est?... Unde ossa, »nervi, arteriae, venae?... Quomodo terra, accepto semine, germi»nat?... Unde ergo liquet haec ex terra esse, cum terra contrariam »exhibeat operationem, ut dixi? Id ratiocinio assequi nequeo; sola »fide accipio. Si ergo illa quae quotidie fiunt et tanguntur, fide »opus habent: multo magis illa admodum arcana et spiritualia. »Quemadmodum enim terra inanimata, immota, Deo sic volente, »virtutem accepit, ut tam mirabilia ex illa prodirent; ita, ex Spiri»tu et aqua simul, haec mirabilia et rationem superantia omnia »facile parantur.»

Haec satis, ut quam solida sint hujusce sententiae momenta, eluceat. Videant AA. illi, qui alteram praeferendam putant sententiam, quod quadam claritate ad qualemcumque Sacramentorum

---

(1) *De Baptismo Christi.* – (2) Trac. 80, in Jo. n. 3. – (3) *Contra. Faust.* l. 19, c. 11. – (4) *De Poenit.* l. 2, c. 2. – (5) In Jo. hom. XXV, (a. XXIV).

efficientiam intelligendam donata sit, utrum etiam SS. Patrum menti sit magis consentanea.

§ IV

Respondetur rationibus in contrarium

70. Rationibus, quae moralem esse tantum Sacramentorum sufficientiam suadere videntur, non eodem modo respondent AA.: unde quid possit probabilius reponi indicabimus.

Ad arg.m 1.m Verum est Patres nonnumquam ita Deo tribuere effectum Sacramentorum, ut rebus ipsis sensibilibus denegent, vel potius, negare videantur: sed prae oculis habere oportet, quod haeretici hisce Patrum abutuntur testimoniis ad errorem suum tuendum, scilicet: esse Sacramenta signa vacua, nihilque efficere. Dicendum ergo, uti supra explicatum fuit, res quidem nihil efficere *naturaliter* ac *principaliter:* instrumentaliter autem vere efficere etiam physice: cum autem ejusmodi instrumentalis actio nihil possit nisi a principali elevetur, ideo causae agenti principali effectus est referendus, quemadmodum sculptura tribuitur sculptori.

Ad 2.m Conceditur remissionem poenarum esse effectum moralem Sacramentorum: ipsum namque poenae debitum non est quid physicum, sed morale. Si ergo ipse Christus nonnisi morali modo hanc remissionem efficere valet, perspicuum est instrumenta ipsius Christi moraliter quoque illam perficere tantum posse. Ad gratias actuales Sacramenta nonnisi jus tribuunt, quatenus pro circumstantiarum opportunitate a Deo concedendae sunt, juxta supernaturalem Providentiam; pro natura ergo talium gratiarum, moralis etiam esse debet efficacia Sacramentorum, quatenus eorum intuitu sunt a Deo dandae: non est proinde efficientia physica ad effectum istum requirenda.

Ad 3.m Baptismi vel aliorum Sacramentorum, cum reviviscunt, effectus, nonnisi moraliter ab iis procedere concedi potest verum neganda est *consequentia*, scilicet, nonnisi moraliter eadem causare etiam cum actu administrantur. Nulla enim est paritas, ut possit ab uno ad alium casum fieri argumentum. Sicut diversa effectus natura diversam postulat causalitatem, ut ad 2.m dictum est: ita diversum esse causae nequit eumdem habere causandi modum. Transacto Sacramento, transit quoque ejus esse physicum, et solum existit moraliter in divina acceptatione: cum ergo Deus misericorditer providit, ut etiam nonnisi moraliter existens Sacramentum posset suum habere effectum, seu reviviscere; consequenter

etiam statuit ut in ea reviviscentia, moralem quoque efficientiam haberet ejusdem Sacramenti naturae accommodatam.

Ad 4.^m Dicendum, quod etiam in rebus naturalibus saepe effectus a suis causis pendent in fieri tantum, non vero ut conserventur. Ad producendum et ad conservandum eadem requiritur actio, id est, ejusdem virtutis, non ejusdem causae: potest enim causa ejusdem vel potioris virtutis efficentiam alterius supplere.

71. Ad 5.^m Cum dicitur, *passionem* Christi potissimum esse nostrae sanctificationis instrumentum, non est *passio* in abstracto cogitanda, id est; ut ratione a Christo distinguitur: sed in concreto, scilicet: quia Christus patiens in carne, seu in sua humanitate, est praecipuum et excellentissimum Dei instrumentum ad nos sanctificandos. Jam vero Christus pro nobis passus non est tantum causa meritoria, seu moralis, nostrae sanctificationis, sed praeterea est instrumentalis causa physice efficiens. Qua de causa D. Thomas duplicem distinguit operationem in Sacramentis profluentem a Christi passione: «Interiorem *effectum Sacramentorum* opera»tur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est »homo; aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, ope»ratur in Sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est »homo, operatur ad interiores *effectus Sacramentorum* meritorie et »*efficienter*, sed intrumentaliter. Dictum est enim (q. 48 et 49) quod »passio Christi, quae competit ei secundum naturam humanam, »causa est nostrae justificationis et meritorie et *effective*, non qui»dem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per »modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum »divinitatis ejus. Sed tamen quia est instrumentum conjunctum »divinitati, in persona habet quamdam principalitatem... quae qui»dem consistit in quatuor: primo quidem in hoc, quod meritum et »*virtus* passionis ejus operatur in Sacramentis (1).» «Principalis »autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur »humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum; Sacramentum »autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus »salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa Sacra»menta derivetur (2).» Apertum est, virtutem hanc usque ad Sacramenta a principali causa efficienti, quae est ipse Deus, derivatam, non virtutem esse meritoriam, (cum Deus non sit capax merendi), sed physicam.

Ex his, si bene perpendantur, concludes, quam incondite velint AA. aliqui concludere, efficaciam Sacramentorum esse tantum

---

(1) 1. p. q. 64, a. 3.—(2) Q. 63, a. 5.

moralem, quia sunt passionis Christi, seu Christi passi, instrumenta: contrarium potius deducendum, cum virtus Sacramentorum derivetur a Christo non solum ut a causa meritoria, sed etiam ut causa *efficienti* instrumentali ipsius Dei.

Ad 6.m Possumus permittere, quod ad nostram sanctificationem sufficeret moralis causalitas, imo et quod satis esset efficientia occasionalis: quam unice antiqui aliqui theologi Sacramentis concessere, ut supra Th. II. Scholia) vidimus. Verum ex dictis patet, non respexisse Deum tantummodo *quid sufficeret* ad nostram justificationem, sed etiam quid ad dignitatem Sacramentorum Christi pertineret: voluit, scilicet, ut Novae Legis Sacramenta essent Christi instrumenta, et haberent exinde virtutem ab ejusdem merito et efficientia derivatam. Quo posito, non sunt pertimescenda miracula quae in actionibus elucent Sacramentorum, sed laudanda potius et extollenda, exemplo SS. Patrum, uti supra probatum est: sunt enim peculiari modo opera Dei, qui *facit magna et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus* (1). Stultum, ac saepe saepius impium, ad miracula timorem rationalistae evulgarunt et plurimorum cordibus instillarunt, ita ut etiam nonnulli catholici meritum suum ac officium esse putent ventilare miracula et ad captum hominum omnia Dei opera deducere. At, experientia teste, non inde facilius errantes ad Deum redeunt, sed potius ejus audiendo mira opera, ut edocebat Angelus Tobiae patri et filio (2 : *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.* Nam ita Deus misericors providit (3 : «*Posuit oculum suum super corda* (hominum), *ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Quapropter rationalistae qui miracula execrantur, et catholici qui veluti gravissimum onus pertimescunt, *ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus* (4).

Ad 7.m Ad Vazquezii rationem responderi potest, 1.° negando suppositum. Nam qui physicam defendunt efficientiam, non eam *solam* tuentur, sed moralem etiam, ut ex doctrina D. Thomae, in Resp. ad 5.m argumentum tradita, apertum est.

2.° Verum est compleri aliquando Sacramentum *indivisibili quodam soni vel motus extremo:* cur autem sit hoc *ridiculum*, quod sonus vel motus indivisibilis, aut potius, res mobilis, physice operetur, sive miraculose, sub manu Dei, sive naturaliter sub viribus naturae; id profecto non intelligo. Si opus foret causarum efficientiam phantasia apprehendere, esto rem hanc esse ridiculam vel po-

(1) Job IX, 10. – (2) Tob. XII. 20.—(3) Eccli. XVII, 7, 8. - (4) Job XXIV, 13

tius impossibilem; phantasia enim figuram et idolum rei indivisibilis fabricare nescit.

Ut autem indirecte etiam, et *ad hominem*, respondeamus, quaerimus: si physica Sacramentorum efficientia, non ab *indivisibili extremo* soni vel motus, sed a magno tonitruo, vel universali terrae motu perfici haberet; numquid tunc aliqua major eluceret ad causandum aptitudo vel proportio? Hoc quidem vel supponere ridiculum quidem videri poterit. Aliter sane Dei virtutem commendabat Augustinus (1): «Non enim mole sed virtute, magnus est »Deus; qui providentia sua meliorem sensum formiculis et apicu»lis dedit quam asinis et camelis; qui ex grano minutissimo semi»nis tantam ficulneae arboris magnitudinem creat, cum ex multo »majoribus seminibus longe minora multa renascantur; qui pupi»llam tam parvam ditavit acie, qua per oculos emicante, in ictu »temporis coelum proprie dimidium lustratur...» «Ipsa vis semi»num, quos numeros habet, et quam vivaces, quam efficaces, quam »latenter potentes, quam in parvo magna molientes, quis adeat »animo, quis promat eloquio?»

72. Ad 8.^{m} Hujusmodi argumentum difficultatem objicit actionis physicae, facilitatem praetendit virtutis moralis, ac sub zeli specie pro doctrina fidei ad faciliora amplectenda hortatur: unde, ut videtur, ad cor potius quam ad intellectum emolliendum jactatur hoc telum.

Dicendum ergo, facilitatem vel difficultatem in exponendis fidei dogmatibus oriri posse, aut ab intrinseco aut ab extrinseco; id est ab ipso dogmate, vel ab expositione ejusdem. Hoc posito, nullus dubitabit, debere theologum aequo amplecti zelo sive difficultatem, sive facilitatem, si ab intrinseca natura dogmatis procedant; vel, e contra, utramque praecavere, si ad solam spectent expositionem, qua rei veritas, sive facilis sit, sive difficilis, dissimulatur. Ad intellectum proinde revocanda est quaestio; et si causalitas physica Sacramentorum verior existat, defendenda est, quamvis, fortasse difficilior sit ac mirabilior; si autem probabilior sit efficientia moralis, haec tenenda, etiamsi planior fuerit et vulgaris. Quo aequissimo criterio ductus Suarezius ait (2): «Haec sententia (de »physica causalitate) est jam communis in schola D. Thomae, »et mihi videtur valde consentanea dignitati Sacramentorum, et lo»cutionibus Scripturae, Conciliorum et Sanctorum et facilli»me defendi posse, et ideo non esse ab ea discedendum.»

73. Ex datis responsionibus facile alias nonnullas solves objectiones. Puta, cum Matrimonium inter absentes per procuratorem

(1) Ep. 137 (a. 3), n. 8, 9.—(2) Disp. IX, Sec. II.

contrahitur, quomodo actio physica mutua inter sponsos intercedere possit, absque novo miraculo non elucet. Aliis praetermissis solutionibus, ex dictis in Resp. ad 3.m poteris comparare ministrationem hujus matrimonii cum reviviscentia Baptismi, uti Sanchez (1) et alii AA. explicant. Nam diximus in Resp. ad 5.m, Sacramenta esse instrumenta tum physica, tum moralia Christi: quoties ergo vel propter distantiam temporis, vel propter absentiam locorum, sola moralis expediret efficentia, hanc solam tum intercedere rei naturae congruum existimandum. Sic, etiamsi in Nova Lege Christus operetur nostram sanctificationem, tum *meritorie* tum *efficienter*, ut supra (ad 5.m) ex D. Thoma notatum est; tamen ante Incarnationem nonnisi meritorie, seu moraliter, Christus operabatur. Sicut autem Christi Humanitas est Divinitatis instrumentum conjunctum, ita Sacramenta sunt ipsius Christi instrumentum separatum: proinde modum operandi assequuntur, physice quidem generatim, aliquando vero moraliter tantum, si id magis rerum adjunctis expediat.

Quod autem non consentiant defensores physicae causalitatis in explanandis difficultatibus, cum id et in aliis accidat tum fidei, tum philosophiae naturalis verissimis sententiis, nihil officit probabilitati illius. Verum, numquid alterius opinionis patroni concordes sunt in exponenda morali efficientia? Minime quidem. Vide apud Suarezium (ibid., diversos illorum opinandi modos, quorum aliqui sat aperte doctrinae catholicae refragantur.

§ V

De natura causalitatis physicae Sacramentorum

74. Quo pacto autem ejusmodi physica Sacramentorum actio perficiatur, cum non una sit Scholasticorum mens tum circa naturam actionis generatim sumptae, tum circa causae naturalis influxum in effectus supernaturales, consequenter actiones physicas Sacramentorum aliter et aliter exponere coguntur. Ne autem in hac re, plus quam temporis angustiae ferunt, immoremur, recolantur quae supra (Disq. *de Deo* (2) de productione actus supernaturalis et de natura actionis) tradita fuere.

Ex his enim intelligi poterit, non esse necessum infundi rebus materialibus vel verbis Sacramentorum qualitatem aliquam supernaturalem, neque motum seu actionem ullam spiritualem, quibus gratiam aliosque sacramentales effectus attingant; quod quidem et notat

(1) L. II, de Matrimonio, D. XI.—(2) Disq. IV, n. 108; Disq. VI, n. 202, etc.

Bellarminus (1); sed sufficit, ut illi effectus fluant a Deo, ut causa principali, actio autem vi cujus ab illo procedunt, respectum quoque transcendentalem habeat ad Sacramenta, quae a concursu Dei et Christi complentur. «Ad ultimum, ait Bellarm., rem »illis difficilem videri, quia imaginantur spiritualem qualitatem in »re corporali debere constitui: sed qui sentiunt, non esse necessa»riam ejusmodi qualitatem, nullas in hac re patiuntur angustias.» Et pariter Suarez. (2): «Explicuimus, quaenam sit illa virtus »per quam possunt instrumenta concurrere, quando elevantur. »Diximus enim, non esse rem aliquam superadditam, sed esse »ipsammet entitatem rei, quae hoc ipso quod creata est et subordi»nata primo agenti, est in potentia obedientiali activa, ut efficiat »quidquid non implicat contradictionem respectu illius. Haec enim »ratio potentiae obedientialis communis est Sacramentis, quorum »elevatio divina solum in hoc consistit, quod Deus altiori modo »concurrit dando auxilium sufficiens, ut res operetur secundum »hanc potentiam.»

CAPUT II.

De principio Sacramentorum intrinseco.

Rei cognita existentia, inquirendum superest, quae sit ejus essentia: inanis sane, et stultus videtur labor, quid et quale sit quippiam inquirere, dum utrum sit ignoras. Unde existentia praestituta Sacramentorum Ecclesiae, nec non primariis eorum effectibus perpensis, via planior erit ad eorum causas inquirendas. In hoc capite de causa intrinseca, seu essentia, agetur.

ARTICULUS I.

De materia et forma Sacramentorum.

THESIS VIII.

Novae Legis Sacramenta constituuntur rebus et verbis, veluti materia et forma, tamquam partibus essentialibus.

---

(1) *De effect Sacrament*, l. II, c. XII.—(2) Disp. IX, Sec. I, *Tertia vero difficultas.*

75. **Nota**: Duo asserimus: I.° res et verba, sive verbis equivalentes nutus (pro Sacramento Matrimonii), constituere Sacramenta: haec est communis et certa doctrina adversus Durandum, qui putavit Poenitentiam et Matrimonium solis verbis perfici.

II.° Constitui ex illis Sacramenta veluti materia et forma, tamquam partibus essentialibus: ita communis adversus aliquos AA. sententia, qui solis rebus Sacramenta constare voluerunt, verba autem nonnisi extrinsece et veluti causas eficientes concurrere autumarunt.

76. I.ª pars, prob. 1.° Conc. Flor. in *Decr. pro Arm.*: «Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tam»quam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri confe»rentis Sacramentum. ...quorum si aliquid desit, non perficitur »Sacramentum.» Et Trident. Sess. XIV, c. 2 et 3 (1): «Materia »et forma, Sacramenti essentia perficitur:» haec quidem generatim de quolibet asserit Sacramento. Deinde particulariter, in Sacramento de quo agit, quid sit forma, quidve materia docet: «Sacramenti »Poenitentiae formam... in illis ministri verbis positam esse...» «Sunt autem quasi materia ipsius poenitentis actus...»

2.° Christus D. Eucharistiam instituens, utrumque adhibuit (1), rem et verba; *accepit... panem... et ait:... hoc est Corpus meum.*» Item Jacobus, de Extrema Unctione (2): «*Ungentes oleo... et oratio fidei salvabit...*» De Confirmatione (3): *Oraverunt pro ipsis... tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum S.*

77. 3.° Augustinus necessitatem agnoscebat utriusque signi (4): «Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? accedit verbum »ad elementum, et fit Sacramentum.» Nazianzenus (5) idem: »Duabus rebus constat Baptismus, aqua scilicet, et Spiritu.» «In »cujus nomine baptizatus est? Patris? recte... Filii? praeclare... »Spiritus Sancti? optime. Numeris omnibus absolutus est Bap»tismus.»

Quamvis pro singulis Sacramentis antiquorum Patrum non occurrant testimonia, quia hanc doctrinam practice, non theorice, Ecclesia tradebat; tamen necessitate occurrente, illam explicavit. Hinc, jam ante Florentinum, Martinus V. jussit, ut suspecti errorum Wicleff et Hus interrogarentur: «Utrum credat, »quod malus Sacerdos cum debita materia et forma... vere confi»ciat... vere conferat alia Sacramenta.»

78. 4.° Rationem necessitatis utriusque elementi, et appellatio-

---

(1) Matth. XXVI, 26.—(2) V, 14, 15.—(3) Act. VIII, 15, 17.—(4) Trac. 80 in Jo.—(5) Or. 40, n. 8, et Or. 33, n. 17.

nis hujusmodi. *Materiae et Formae*, paucis tradit D. Thomas 1): «Ex verbis et rebus fit quodammodo unum in Sacra»mentis, sicut forma et materia, in quantum, scilicet, per verba »perficitur significatio rerum.» Et quidem actiones sacramentales ex se ipsis indifferentes sunt ad effectum suum significandum, licet aptitudinem ad hoc prae se ferant: oportet ergo ut ea indifferentia determinetur et compleatur. Hoc autem optime fit verbis sacris scopum, seu effectum, ipsius Sacramenti indicantibus; qua de causa, res, seu actiones, sacramentales se habent ad invicem ut materia et forma.

79. II.ª pars prob. 1.° Illae sunt Sacramentorum partes essentiales, quae se habent ad ea uti materia et forma ipsorum. Atqui res et verba se habent ad Sacramenta uti materia et forma: ergo. *Maj.* patet. Nam non solum res naturales, sed etiam artificiales, constituuntur essentialiter ex materia et forma: homo ex. gr. non ex corpore solo, sed ex corpore simul et rationali anima essentialiter existit: scamnum non ex solo ligno; horologium non ex mero metallo essentiam obtinent; sed etiam ex tali forma: si enim interrogeris, quid est scamnum? non dices, lignum; quid est horologium, non respondebis metallum. Minor patet ex dictis in priori parte.

2.° Hanc esse D. Thomae mentem (2) certum est: «Ad Sa»cramenta concurrunt verba et res et facta; sed facta pertinent ad »usum, vel dispensationem Sacramentorum: verba autem et res »sunt de essentia Sacramenti... vel dicendum quod facta ad res re»ducuntur.»

80. 3.° Prob. etiam in Eucharistia essentialia esse verba.

Illud est essentiale et intrinsecum in Eucharistia, quod assumpsit Christus ad significandum et efficiendum effectum cibi spiritualis: sed Christus non assumpsit tantum res, id est, species et Corpus suum ad eum effectum significandum, sed etiam verba consecratoria. Ergo. *Min.* patet. Nam species sacramentales et Corpus Christi sub ipsis existens, seclusis verbis, non significant gratiam; nihil enim in eis elucet sensibile gratiam referens: e contra, adjunctis verbis «*Hoc est corpus meum*,» tunc elucet formaliter ac sensibiliter, cibum esse spiritualem et gratiae collativum.

81. Obj. 1.° Nihil existere actu potest sine suis partibus essentialibus. Si ergo verba sunt forma essentialis Eucharistiae, illis transactis, non est amplius Sacramentum.

Resp. Dist. *maj.* Si partes essentiales sint physicae, et compositum etiam physicum; conc. Si partes vel compositum sint quippiam morale; subd. Nihil existere actu potest sine suis partibus es-

(1) P. 3, q. 60. a. 6, ad. I.—(2) 4 Dist. 1, q. 1, a. 3, ad I.

sentialibus moraliter existentibus; conc. Physice; nego. Scilicet partes totius moralis, vel partim moralis, partim physici, eo modo existere debent (vel de praesenti vel de praeterito, vel de futuro), quem totum illud morale postulat et non aliter. Sic, ut nunc existat senex, professus, doctor etc., non oportet ut nunc etiam longa existat centum annorum aetas, professio, et doctoratus forma et institutio: sufficit ad ejusmodi compositum, ut subjectum sit physice praesens, et forma moraliter. *Verba* licet esse physicum habeant, tamen significatio est moralis: unde ad consignificandum in Sacramento sufficit eorum moralis de praesenti existentia, quae in praeterita physica fundatur.

82. Obj. 2.° Eugenius IV in *Bulla pro Armen.* ait: «Sacer»dos in persona Christi loquens conficit hoc Sacramentum: nam »ipsorum verborum virtute...» Ergo verba concurrunt efficienter, non vero intrinsece, ad Sacramentum constituendum.

Resp. Dist. *conseq.* Concurrunt efficienter tantum; nego. Efficienter simul et formaliter; conc. Unde quatenus sunt verba efficientia, concurrunt extrinsece: verum quia simul cum speciebus et Christi Corpore significant gratiam, concurrunt formaliter et intrinsece.

Inst. Verba significant id quod efficiunt: sed efficiunt Corpus Christi; ergo solum illud efficiunt, non vero gratiam.

Resp. Dist *min.* Efficiunt Corpus Christi et simul gratiam; concedo. Corpus Christi solum, nego.

Obj. 3.° Corporis Christi Sacramentum est in Sacrario, colitur in custodia, fertur ad infirmos, etc. Sed haec verbis non conveniunt: ergo non constituunt formaliter Sacramentum.

Resp. Dist. *min.* Non conveniunt verbis physice inspectis; conc. Moraliter existentibus; nego. Nam illa omnia speciebus conveniunt sacramentalibus, ut significantibus vi verborum moraliter permanentium.

COROLLARIUM.

83. Ex dictis consequitur, mutationem verborum sacramentalium, quae alium inducat sensum, vel materiae variationem, vi cujus ad eosdem usus non jam spectet humanos, constitutionem impedire Sacramentorum. Mutatis enim intrinsecis constitutivis rei, non potest res talis subsistere.

THESIS IX.

Verba formae sacramentalis sunt consecratoria, non autem necessum est esse conciona-toria.

84. **Nota.** Ex errore suo circa justificationem, alium deduxerunt protestantes, dicentes, verba Sacramentorum esse pure concionatoria aut promissoria. Cum enim in sola fide justificationem compleri praedicarent, et aliunde Sacramenta ad nostram sanctificationem sint instituta, errorem priorem per alium palliare coacti sunt, dicentes: fidem excitari per formam sacramentalem, quasi per concionem, et hoc modo sanctificare Sacramenta eos qui illa suscipiunt, et non aliter.

85. 1.ª Pars, quae de fide est, prob. 1.° Verba esse consecratoria nihil est aliud quam consecrare, seu sanctificare, rem supra quam proferuntur, et personam cui applicantur. Atqui hoc efficiunt sacramentalia verba; ergo. Prob. min. a) Trid.m de forma Poenitentiae ait: «Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipua ipsius »vis sita est, in illis ministri verbis positam esse...» Atqui Sacramenta causant gratiam ex opere operato (1): ergo et verba illam causant et quidem praecipue. b) Sacramenta Novae Legis continent gratiam quam significant; et gratiam ipsam conferunt (2). Atqui Sacramenta constituuntur verbis etiam, et quidem essentialiter (ex Thes. praec.): ergo sacramentalia verba et efficiunt quid sacrum, ipsum nempe Sacramentum, et ipsam gratiam, quam causant Sacramenta.

86. 2.° Augustinus (3): «In aqua verbum mundat. Detrahe »verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.» Ecce duplicem explicite tribuit verbo sacramentali effectum; consecrandi aquam et mundandi baptizatum. Ambrosius (4): «Antequam consecretur, panis est; ubi autem »verba Christi accesserint, Corpus est Christi... Et ante verba »Christi, calix est vini et aquae plenus: ubi verba Christi operata »fuerint, ibi sanguis Christi efficitur.» Et iterum (5): «Si operatus »est sermo coelestis in aliis rebus, non operatur in coelestibus »Sacramentis?» Irenaeus (6): «Quando mixtus calix et factus »panis percipit Verbum Dei, et fit Eucharistia Sanguinis et Corpo»ris Christi.»

---

(1) Supra, Cap. I, Thes. II.—(2) Trid. Sess. VII, can. 6.—(3) Trac. 80 in Jo. n. 3.—(4) *De sacr.* l. 4, c. 5.—(5) Ibid. c. 4.—(6) L. 5, c. 8.

3.° Infantibus ministrari potest Baptismus et necessarius est. Sed pro illis nequeunt verba esse concionatoria aut promissoria ad fidem excitandam: ergo sunt consecratoria.

87. II. Pars prob. **Nota.** Non est negandum verba sacramentalia apta esse ex se ad fidem et spem excitandam, cum sciamus a Christo esse instituta, et ab eo efficaciam suscipere: tamen dicimus, illorum efficaciam non pendere ex eo, quod ad modum promissionis vel concionis fidem suscipientis Sacramenta excitent, ut per fidem hanc illi proficiant.

1.° Sacramenta justitiam causant ex opere operato, ut supra ostensum est. Sed non ita esset, si solum agerent ad modum concionis vel promissionis: ergo.

2.° Sacramenta administrari possunt ratione non utentibus, ut fatentur ipsi haeretici. Sed apud illos concio vel promissionis memoria nihil potest efficere, imo nec a mente sanis proponi: ergo.

88. Obj. 1.° Augustinus ait (ubi supra): «Unde ista tanta »virtus aquae ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? »non quia dicitur, sed quia creditur.» Ergo quatenus excitant ad fidem, verba Sacramentorum operantur; ideoque sunt mere concionatoria.

Resp. Explico Augustini intentum: *non quia dicitur*, non quia est materialis et humanus sonus: *sed quia creditur*, quia est verbum Dei, ideoque objectum fidei credendum, et sic creditur explicite vel implicite a tota Ecclesia: concedo. *Non quia dicitur*, quasi non opus sit illud dici: *sed quia creditur*, explicite et in actu secundo a dante vel suscipiente Sacramentum: nego. Hanc esse Augustini mentem patet, non tantum universim ex ejus doctrina: docebat enim validum esse Baptisma ab haeretico datum vel susceptum, et valide baptizari infantes ad eorum salutem; sed etiam ex ipso contextu: subjicit enim: «Nam et in ipso verbo aliud »est sonus transiens (materialis), aliud virtus manens: hoc est ver»bum fidei.» Ecce non *in actu credentis* ponit sacramentalem virtutem, sed in verbo fidei, seu in verbis sacramentalibus quatenus a Deo procedunt. Alias invenies illius Augustini sententiae interpretationes, sed ut videtur, minus obvias.

89. Obj. 2.° Petrus (1) explicat in quo posita sit efficacia Baptismi: *Salvos facit Baptisma; non carnis depositio sordium, sed bonae conscientiae interrogatio in Deum:* per actum ergo internum conscientiae, quo fiducialiter in Deum ferimur, salvamur.

Resp. Nego falsam ejusmodi interpretationem, et explico verba

---

(1) I Petr. III, 21.

Petri. Nam tradit Apostolus 1.° Quis sit proprius et salutaris Baptismi effectus, seu salus in actu secundo. 2.° In quo reposita sit virtus proxima et immediata illius salutis, seu salus in actu primo. 3.° Quo pacto deduxerit nos Deus ad ejusmodi salutem, seu quae sit remota causa nostrae salutis. Primum, nempe, salutem in actu secundo dicit non in munditia carnali, sed in puritate conscientiae reponi. Secundum, ipse est Baptismus: *Salvos facit Baptisma.* Tertium, est Christi potentia, gloria et resurrectio, qua in fidem et in Baptismum perducti sumus.

90. Obj. 3.° Ambrosius (1) ait: «In hunc fontem Sacerdos »praedicationem Dominicae Crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gra»tiam.» Ergo verba Sacramentorum sunt concionatoria.

Resp. negando *conseq.* Non enim per Crucis *praedicationem*, intelligit Ambrosius concionem, sed invocationem SSmae. Trinitatis, qua virtus Crucis in Baptismum descendit. Id patet in l. 2. *de Sacram.* c. 5. ubi Ambrosius refert, quo pacto ministretur Baptismus. Et sane, concio non in aquam mittitur, sed in aures populi.

91. Obj. 4.° a) Infantes credere possunt miraculose, et sic eis prodesse poterit forma concionatoria, ut dicit Lutherus; b) vel saltem per Ecclesiam in cujus fide baptizantur, ut docet Augustinus.

Resp. ad 1.^{m} Tale miraculum neque ulla revelatione, neque ullo indicatur signo; ideoque ficta est doctrina quae fictis indiget haereticorum miraculis.

Ad 2.^{m} Conceditur per fidem Ecclesiae infantes ad Baptismum pervenire: si enim non esset in Ecclesia fides, quis in nomine Trinitatis baptizari infantes curaret? Negatur autem virtutem Baptismi non esse aliud nisi fidem Ecclesiae concione baptizantis excitatam: non hoc dixit umquam Augustinus.

92. Obj. 5.° Verba illa Apostoli (2): «*Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.*» quae sane ad Baptismum referuntur, Hieronymus de praedicatione divinae doctrinae interpretatur: verba ergo Baptismi concionatoria sunt.

Resp. Dist. *ant.* Interpretatur, quasi iste sit sensus litteralis; nego. Respiciens quemdam tropologicum sensum, ut ibi fatetur ipse Hieronymus; conc.

93. Obj. 6.° In thesi I notatum fuit nonnullos AA. opinari, quod Sacramenti Eucharistiae verba non spectent ad essentiam illius, sed extrinsece, uti causa efficiens, ad illam requirantur. Ergo non

---

(1) L. *De Myst.*, c. 4.—(2) Eph. V, 26.

ita esse possunt consecratoria verba eucharistica, ut suscipientes sanctificent.

Resp. 1.° In primis saltem rem Sacramenti, panem et vinum sanctificant seu consecrant.

Resp. 2.° Etiam data, et non concessa AA. illorum opinione, verba eucharistica suscipientes sanctificant *mediate*. Nam Eucharistia sanctificat ex opere operato, non autem per fidem suscipientis; et verba Eucharistiam conficiunt: utrumque est fide certum.

Ex veriori autem sententia spectant intrinsece ad Eucharistiam, etiam ut permanentem, seu in facto esse, verba consecrationis: ex illis enim significatio sensibilis hujus Sacramenti subsistit, quatenus moraliter cum eodem permanent: ideo immediate ad suscipientium sanctificationem operantur.

ARTICULUS II.

De intentione in Sacramentorum confectione.

THESIS X.

Intentio ministri necessaria est ad perficiendum Sacramentum, et quidem intrinsece seu constitutive.

94. **Nota** 1.° Non est sermo de intentione respiciente finem extrinsecum Sacramento, puta gloriam Dei, meritum vel coronam ministrantis, Ecclesiae incrementum etc.. sed attingente ipsum Sacramentum, quatenus ad illud conficiendum actus suos Minister ordinat.

2.° Vazquez docet (in 3. p. Disp. 129. n. 39): Sacramentum non constare (intrinsece) intentione ministri, sed perfici tantum; quod esse perspicuum dicit: cum eodem sentiunt Salmantic. et alii non pauci. Verum Arriaga, Lugo. etc., dicunt, constitui intrinsece omnia Sacramenta etiam intentione Ministri.

95. I.ª Pars est de fide et prob. 1.° Trid. (1): «Si quis dixerit, »in ministris, dum Sacramenta conficiunt vel conferunt, non re»quiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: anath. sit.»

Sensus hujusce canonis ex errore opposito, quem reprobare voquit Concilium, elucet. Ipsum externum et nudum ritum sacramentalem, etiam simulate ac jocose positum, sufficere dicebant protestantes: nam non aliter agere putant Sacramenta nisi quate-

(1) Sess. VII, can. 11.

nus fidem excitant. ad hoc autem nihil confert interna ministri intentio; sed sufficit externus ritus. Ideo agens Concilium (1) de Sacramento Poenitentiae, definit actum esse judicialem, serio, non jocose, ponendum, nec satis esse poenitentem se credere absolutum. Florent. Conc. prius docuerat (2): «Omnia (Sacramenta) »tribus perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tam»quam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum »intentione faciendi quod facit Ecclesia.» Vide et Martinum V. cum Conc. Constant., supra (Thes. II, pars. II, n. 21).

96. 2.° Dupliciter ministeriale munus concipi potest: 1.° quatenus simplex nuntius existit domini, seu agentis principalis; ex. gr. rex mandatum praescribit, et minister illud defert, notumque subdito facit. 2.° Quatenus constituitur minister ut nomine domini, vel principis mandet, disponat, uno verbo, auctoritate domini fungatur, prout expedire judicaverit. In prima hypothesi valor actus a domino solum oritur, sive minister actum illum velit, sive nolit: in secundo autem, nisi velit minister, seu intendat, mandare, disponere nempe, auctoritate sua fungi ministeriali, nihil prorsus fiet. His positis, fit argumentum:

Ministri Sacramentorum non sunt meri nuntii, quod Christus perficiat et conferat tale Sacramentum; quod baptizet, quod absolvat, etc., talem personam: verum sunt ministri ad hoc constituti ut conficiant Sacramentum, ut baptizent ipsi, ut absolvant, ut ordinent, etc., prout expedire judicaverint. Sed ejusmodi ministerium postulat voluntatem in ministro, conficiendi Sacramentum, puta baptizandi, etc. Ergo. *Maj.* patet. Nam Christus munus et officium dedit baptizandi, quod cum discretione et judicio exercerent, ut patet verbis illis: «*ite docete... baptizantes...*» (3). Unde Petrus non sine magna discretione judicavit, baptizandum esse Cornelium, et Philippus Eunuchum, etc., (4). Item: commisit ministris ut absolverent, non ut declararent fieri vel factam esse remissionem: «*Quorum remiseritis peccata...*» (5). Pariter, quanta discretione Ordinis Sacramentum conferri debeat, patet ex epistolis Pauli ad Titum et Timotheum. De Confirmatione: «*Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum S. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum S.*» (6). Similiter de Extrema Unctione: «*Orent super eum, ungentes...*» (7). Quae fieri poterit oratio, cum sola externa et jocosa unctione, sine intentione remedium illud salutare adhibendi?

Unde apertissimum est, voluisse Christum ut ministri sui aucto-

---

(1) Sess. XIV, c. 9.—(2) *Decret. Eugenii.*—(3) Math. XXVIII, 19.—(4) Act. VIII, X.—(5) Jo. XX, 23.—(6) Act. VIII, 15, 17.—(7) Jac. V, 14.

ritate fungerentur ad *conficienda Sacramenta* et ad ea conferenda: quod clare docuit Apostolus dicendo: «*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*» (1). Quis bonorum dispensatorem vocabit illum, qui solum signum vel nuntium exhibet praescriptionis domini sui, ita ut, ipse nihil decernat et praescribat? *Minor* etiam perspicua est. Cum enim eligitur minister rationalis, vult dominus eum morali et rationali modo agere: hoc autem fieri nequit, nisi velit ac intendat minister actum sui ministerii exercere. Quod si in rebus etiam minoris momenti id postulat ratio; in administratione Sacramentorum maxime necessarium est, ne in ruinam cedant quae ad salutem instituta sunt.

97. II.ª Pars. prob. 1.°: Verba et actiones sacramentales, id est practice significantes gratiam, eatenus tales sunt, quatenus sunt verba et actiones Christi: operantur enim Sacramenta tamquam causae instrumentales Christi (2). Sed constituuntur intrinsece ut Christi instrumenta per intentionem ministri: ergo haec est necessaria essentialiter et constitutive. *Min.* probr. Praecise sublata intentione conficiendi Sacramentum, agit minister nomine proprio, seu actionem profanam: e contra praecise adjuncta ea intentione verbis et actionibus sacramentalibus, jam agit nomine Christi. Atqui id quo praecise posito res existit, et praecise sublatores non existit, est rei constitutivum intrinsecum: ergo verba et actiones sacramentales constituuntur intrinsece ut Christi instrumenta per intentionem ministri.

98. 2.° Ideo concurrunt Sacramenta et habent virtutem causativam gratiae, quia sunt moraliter actiones Christi. Sed sunt moraliter actiones Christi, quatenus per intentionem agit minister nomine illius: ergo intentio ministri est constitutiva efficaciae et virtutis sacramentalis. *Minor.* patet: a) primum, exemplo cujuslibet ministri bona aliena administrantis. b) Secundo, ex priori parte theseos: Christus praescripsit ad validitatem Sacramenti, ideoque saltem tamquam conditionem *sine qua non*, ut haberent ministri sui intentionem Sacramentum faciendi. Sed repugnat, Christum habere tamquam suas, (hoc enim importat esse moralem actionem Christi) actiones sacramentales, quibus deest conditio necessaria ut sint sacrae: ergo Sacramenta sunt moraliter actiones Christi, quatenus per intentionem...

99. Obj. in 1.ᵐ partem. 1.° Antiquos Patres de sola debita forma et materia fuisse sollicitos patet ex eorum scriptis et actibus Conciliorum: ergo intentio non requiritur.

---

(1) I Cor. IV, I.– (2) Trid. Sess. VI, cap. 7.

Resp. Dist. *ant.* Non fuisse sollicitos quia actus interni supponuntur cum externis, nisi aliter constet; conc. Quia intentio non sit necessaria; nego. *ant.*

Obj. 2.° Incredulus intentionem faciendi Sacramentum habere non potest. At validum est Sacramentum a ministro collatum infideli: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Intentionem explicitam; conc. Habere non potest implicitam et virtualem; nego. Cum enim vult infidelis facere quod christiani faciunt, implicite vult verum Sacramentum conferre.

100. Obj. 3.° Augustinus cum Cresconio disputans de ministro Baptismi, ait (1): «Qua mente operetur, qua laboret intentio»ne non curent.»

Resp. Ad mentem haec profert errantis Cresconii, qui volebat, ut: «In Sacramento Baptismi non nisi et fidelis et justissimus opera»rius adhiberetur.» Unde post objecta verba prosequitur Augustinus: «Non curent, utrum dominum agri fideliter diligat, an »sua, non illius lucra conquirat.» Non ergo de intentione ministrandi Sacramenti, sed de interno merito et virtute agebat cum Cresconio Augustinus.

Inst. Augustinus non reprobat Baptismum (2), etiamsi «To»tum ludicre et mimice et joculariter ageretur.»

Resp. Talem Baptismum nec approbat, nec improbat, sed humiliter dicit Augustinus. «Divinum judicium... implorandum» idque se dixisse «Sine praejudicio diligentioris inquisitionis et »majoris auctoritatis.» Cedant ergo cum Augustino auctoritati Ecclesiae haeretici.

101. Obj. 1.° in II.m partem. Intentio est insensibilis: ergo nequit esse constitutiva signi sensibilis.

Resp. Dist. *ant.* Est insensibilis per se et immediate; conc. Mediate et per effectus; nego. Idem objici solet circa actus poenitentis in Sacramento Poenitentiae.

Obj. 2.° Sicut sublata intentione ministri, tollitur Sacramentum, ita, a fortiori, sublato ministro: ergo et minister est pars constitutiva.

Resp. Nego paritatem. Nam eatenus sublata ministri persona, deficit Sacramentum, quia exinde deficere debet *aliud*, nempe actio et intentio ministri. E contra: *praecise* sublata intentione, Sacramentum non est Sacramentum, quia non est actio Christi et signum practicum gratiae.

102. Obj. 3.° Juxta Concilia et Patres, Sacramenta constant re-

---

(1) L. 3, c. 8.—(2) *Contra Donat.* l. VII, c. 53.

bus ut materia, verbis tamquam forma. Sed intentio nec materia est, nec verbum seu forma: ergo.

Resp. Dist. *min.* Non est materia, neque forma; totaliter, conc. Partialiter, nego. Nam forma et materia, non quomodo libet intellecta sunt pars Sacramenti: etenim verba, si mere physice spectentur, non sunt forma Sacramenti, sed prout sunt moraliter Christi; item et materia, est Sacramenti materia, quatenus ad Sacramentum subordinatur. Jam vero hoc locum habet, quatenus informantur res et verba intentione ministri, vel, aliquando etiam, suscipientis intentione.

SCHOLION.

An cum intentio suscipientis est necessaria, sit de intrinseca constitutione Sacramenti.

103. Intentio est quandoque necessaria, ut postea dicetur, ex parte suscipientis Sacramentum. ad ejusdem valorem. Inde quaeri potest, utrum spectet etiam, uti dictum est de intentione ministri, ad intrinsecam constitutionem Sacramenti.

Affirmant cum fundamento AA. aliqui: quia susceptio Sacramentorum est practica professio Religionis Christi: ergo Sacramenta quae in ipsa consistunt susceptione seu in usu, sunt *intrinsece* professio Religionis Christianae. Atqui non concipitur ejusmodi professio absque ulla profitentis intentione; ergo ubi desit suscipientis intentio, illa materia et forma nequeunt esse sacramentalia ex defectu intrinseco; nempe quia non ordinantur ad Christum, nec acceptantur a Christo ut instrumenta collativa gratiae.

Sicut enim voluit Christus ut ex parte ministri ad eum intentione ordinarentur res et verba, et ita essent materia et forma Sacramenti; similiter id statuit ex parte suscipientis: quia quemadmodum administratio debet esse opus morale Christi, ita susceptio est moralis subjectio ad Christum: unde sub hoc duplici respectu tantum res et verba poterunt aptam constituere formam et materiam.

THESIS XI.

Intentio, quae in ministro, ut verum conficiat Sacramentum, requiritur, talis sit oportet; ut non solum ritum illum specialem verbis et rebus coalescentem nude, seu materialiter, ac serio velit; sed insuper oportet ut illum velit

ut sacramentalis est, seu formaliter, saltem confuse et implicite, puta; intendendo facere id quod facit Ecclesia.

104. **Nota.** Haec quaestio inter catholicos agitatur non intelligentes eodem sensu doctrinam Ecclesiae, in prima parte praecedentis theseos expositam. Omnes quidem volunt reprobare haereticorum errorem, quod scilicet, sufficiat quomodo libet adhibere res ac proferre verba Sacramentorum; ita ut Sacramentum perficiatur, quantumvis minister irrisorie, ficte, mendaciter, se gerat. Unde catholici omnes dicuunt, quod minister debeat serio intendere, adhibendo res et verba Sacramentorum, *saltem facere id quod facit Ecclesia*. Hoc quidem definitum et omnibus certum; sed alii dicunt: sufficit velle id quod facit Ecclesia, *materialiter* et nude sumptum; nempe, ritum illum externum, tales res, talia verba; hoc enim facit Ecclesia: alii e contra, ajunt: saltem requiritur velle facere id quod facit Ecclesia *formaliter* sumptum, seu sub hoc conceptu et formalitate, *quod id fiat ab Ecclesia*. Pro illa priori opinione stant Catharinus O. P., in Conc. Tridentino theologus, et non pauci alii. Pro secunda autem militat communissima sententia, quam defendimus. Bellarminus ait, hanc esse *immediate* de fide, et Suarez *mediate;* illam autem plures AA. gravibus notant censuris.

105. Prob. 1.° Illa intentio ministri quae est materialis, scilicet terminata ad res et verba, materiam et formam, subintelligitur obvie et naturaliter in illis Florentini Decreti verbis: «Per»sona ministri conferentis Sacramentum.» Atqui praeter hoc, necessum esse docet: «Cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.» Ergo non materialiter solum, sed etiam formaliter debet intentio ministri terminari ad materiam et formam. *Maj.* est evidens. Nam cum de actibus agitur creaturae rationalis, per se supponitur eam noscere et velle quod agit; sic stulte quis moneret ementem, ut curaret velle, seu intendere id quod emit; dantem eleemosynam, ut velit dare id quod dat; etc.

106. 2.° Ex praecedenti Thesi constat, ideo necessariam esse ministri intentionem, quia necessum illi est, a) facere seu administrare rem sacram; b) agere nomine Christi. Sed cum sola intentione rerum et verborum, nude et materialiter, neque administrat rem sacram, neque nomine Christi agit; ergo talis intentio non sufficit. *Min.* prob. Res et verba, nude ac materialiter inspecta, prorsus indifferentia sunt ut evadant sacra, et fiant nomine Christi, ideoque ut talia evadant debent determinari. Atqui non determinantur si sola adsit materialis illa intentio: ergo. *Min.* patet. Nam determinatio esset vel objectiva, scil., ex ipsis rebus et verbis; et

hoc non, ut dictum est: vel subjectiva, seu, ex parte ministri; et neque id eveniret, cum, uti supponitur, nihil respiciat et velit, nisi res et verba materialiter; actus enim ab objecto specificantur ac determinantur. Neque absurde et contra fidem catholicam dicas, res et verba a Christo solo determinari: nam Christus *per ministrum* facit principaliter, quod minister ministerialiter; eatenus ergo Christus determinat quatenus et determinat minister. En exemplum: Diaconus ministrat Sacerdoti. Numquid dici potest esse ministrum consecrationis, et Sacerdotem consecrare per Diaconum? Nequaquam. Est minister dispensationis Sanguinis Christi, et praeparationis Sacrificii et aliarum actionum quae per Diaconum fiunt. Jam vero ministri Christi sunt ministri baptizandi, non lavandi solum; confirmandi, non manus imponendi; absolvendi, non loquendi; etc. Ait enim Paulus: «*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Et Trident. (2): «Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacer»dotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pro»nuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti... anath. »sit.»

107. 3.° Argumentor ad hominem. Eatenus requireretur ac sufficeret ministro intentio pure materialis, seu terminata ad res et verba solum, quatenus Ecclesia nihil aliud facit. Sed quod Ecclesia facit non est caeremonia pure materialis, quam magna et externa serietate possunt pagani et histriones facere, sed administrat Sacramentum formale et verum: ergo opus est ut minister intendat Sacramentum formaliter, et non mere materialiter. *Maj.* patet. Ut enim fatentur adversae opinionis AA. «In ministris, dum Sacra»menta conficiunt requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ec»clesia:» sic enim definivit Tridentinum. *Min.* constat ex dictis in praecedenti argumento, quod confirmatur: «Quare agnos»cens Sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacra»mentorum auctoritatem (3).» «Si quis dixerit in ministris, dum Sa»cramenta conficiunt et conferunt... (4). Pius V damnavit hanc Mich. Baji propositionem 58. «Peccator poenitens non vivificatur »ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui... vivificat »eum et resuscitat: ministerio autem Sacerdotis absolventis solum »reatus tollitur.»

Item (5): «Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdo»tium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam con»secrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et pec-

---

(1) I Cor. IV, 1.—(2) Sess. XIV, can. 9.—(3) Trid. sess. XXI, cap. 2.—(4) Sess. VII, can. 11, supr. n. 95.—(5) Trid. Sess. XXIII, can. 1.

»cata remittendi: sed officium tantum et nudum ministerium...»

Ex quibus sic. Vivificare, consecrare, remittere peccata, Sacramenti significatio et veritas, non spectant ad ritum externum, res nempe, et verba, *materialiter* sumpta; sed *formaliter*, seu, quatenus sunt Sacramentum. Sed eatenus illa fieri ab Ecclesia possunt, quatenus conficit formaliter Sacramenta: ergo Ecclesia facit Sacramenta non materialiter solum, sed formaliter: ergo ministri Christi debent intendere Sacramenta formaliter sumpta.

108. Obj. 1.° Ex dictis, Ecclesia non solum facit Sacramentum formaliter sumptum, sed etiam effectum; vivificat consecrat, remittit peccata etc. Sed minister debet intendere facere id quod facit Ecclesia: ergo debet intendere etiam effectum Sacramenti.

Resp. Dist. *consequens*. Debet indirecte, et implicite intendere effectum Sacramenti; conc. Directe et explicite; nego.

109. Obj. 2.° Repugnat ponere formam et materiam Sacramenti, et non ponere Sacramentum: sicut ponere aquae vel scamni materiam et formam, et non facere aquam vel scamnum; ergo et sufficit ad ponendum verum Sacramentum, ponere ejusdem materiam et formam, quin aliud formaliter intendatur.

Resp. 1.° Id nimis probat, et error contra fidem sequeretur; nempe nullam requiri intentionem, neque materialem Sacramenti.

Resp. 2.° Dist. *consequens:* sufficit ponere materiam et formam adaequate, conc. Inadaequate nego. (Vide Thes. X, *Obj.* 3.° supra.)

110. Obj. 3.° Intentio ideo necessaria est, ut moveat media ad finem. Atqui causae instrumentales, quales sunt ministri Sacramentorum, ab alio moventur: ergo non indigent intentione. Sic ex. gr., quidquid intendat, sive nihil intendat, servus deferens eleemosynam ad pauperes, actus domini finem attingit et suam perfectionem.

Resp. Dist. *min.* Ab alio moventur, si nihil debeant determinare; conc. Si aliquid ab iisdem determinandum sit; subd, moventur ab alio et a se; conc. Ab alio tantum; nego. (Vide Thes. X, **Nota.**)

111. Obj. 4.° Haeretici non intendunt conferre gratiam, neque characterem per Sacramenta, sed excitare fidem tantum; tamen conferunt gratiam et characterem: ergo intentio formalis non est necessaria.

Resp. Dist. *Ant.* Directe et explicite non intendunt; conc. Implicite et indirecte, nempe in causa; quatenus Sacramentum volunt conferre; nego.

Inst. Non intendunt facere quod facit Ecclesia Catholica, quae est unica Christi Ecclesia: ergo intentio faciendi quod facit Ecclesia, non requiritur.

Respondetur eodem modo.

112. Obj. 5.° Sacramenta sunt signa. Sed signa semel constituta et deputata non pendent ab intentione exhibentis: ergo.

Resp. Sunt signa practica; conc. Speculativa; nego. Contradistincta minore, nego *conseq.* Nam Sacramenta non sunt signa practica, nisi quatenus Sacramenta sunt: hoc autem postulat intentionem et quidem constitutive ut dictum est.

113. Obj. 6.° Si fuerit necessaria ministri interna intentio, erit nostra salus incerta: sed non est credendum id voluisse Dominum: ergo.

Resp. Erit incerta metaphysice; conc. Moraliter; nego. Est enim praedicta intentio summe obvia et facilis.

Inst. D. Thomas (1) docet: sufficere ad perfectionem Sacramenti, intentionem Ecclesiae in verbis expressam, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri. Ergo nulla ministri requiritur interna intentio, ex sententia D. Thomae.

Resp. Circa mentem D. Thomae non una est AA. opinio. Alii fatentur, doctrina Ecclesiae nondum sufficienter definita, stetisse illum pro contraria. Alii, ut Nicolaus, Bellarminus, etc. dicunt, non de perfectione Sacramenti absolute locutum esse, sed relate ad suscipientes, ne incerti essent: objectio enim de his agebat; ideo respondit D. Thomas, posita externa illa intentione, securos esse debere, nisi minister exterius oppositam prodat intentionem.

SCHOLIA

§ I

Quo pacto cum intentione contraria stet Sacramentum

114. Accidit nonnumquam, ut homo scienter, vel ex ignorantia, intendat ea quae invicem sunt contraria, quod quidem et intentioni ministri Sacramenta conficientis evenire potest. Puta vult contrahere matrimonium, sed dissolubile, vel ita ut non sint Sacramentum: intendit Baptismum Christi conferre, sed non illum quem confert Romana Ecclesia. Fieri verum Sacramentum in his circumstantiis censent AA., verum in ratione assignanda non consentiunt. In eo autem reponenda, quod illa duplex voluntas duo et opposita respiciens objecta, unum efficaciori et universaliori attingat modo, qua de causa voluntas illius praevalet. Unde si reflec-

(1) P. 3, q, 64, a. 8, ad. 2.m

tens advertat quid ex duobus vellet intentis, si non posset ea simul assequi, signum erit a posteriori, illud fuisse efficacius volitum. Verum nisi reflexionem hanc, durante ipsa intentione objectorum, fecerit vel saltem stantibus iisdem circumstantiis, fallere haec regula poterit, cum adeo inconstans nostra sit voluntas. Ideo alii dicunt, naturam objectorum perpendendam, et modum in ea tendendi juxta talem naturam. Modus ille tendendi, qui ex se est magis universalis, est alterius magis particularis illi oppositi revocativus. Intentio matrimonii validi est universalior quam voluntas illud dissolvendi; haec enim praesupponit primam. Intentio baptizandi est universalior quam illa vitandi Baptismum Romanae Ecclesiae; ideo enim vult ab hoc abstinere, quia putat alium veriorem dandum Baptismum.

§ II

De intentione virtuali

115. Intentio dividitur in actualem, habitualem et virtualem. Illa est quae physice existit: quae autem physice extitit et non fuit revocata, dicitur habitualis; quamvis aliqui habitualem dicant etiam illam, quae pure est interpretativa; scilicet, quam haberet quis, si ei in mentem res veniret. Virtualis illa habetur, quae in aliqua sui relicta virtute agendo perseverat: nempe, vi intentionis media fuerunt electa, executioni suo ordine succesive mandata, per actus phantasiae, sensuum externorum, corporis motuum, donec actus intentus perficeretur. Quomodo autem perseveret influxus intentionis in his mediis usque ad actum ex intentione perficiendum, non eodem modo concipiunt AA.

Si de permanentia et influxu *morali* intentionis agatur, facile concipitur: nam quid unum moraliter efficiunt intentio, electio mediorum, motus executivi et tandem Sacramenti confectio: unde omnia ista tamquam invicem connexa et intentione incepta, ex intentione eadem saltem moraliter, procedere patet. At quomodo locum habeat influxus physicus intentionis usque ad Sacramenti administrationem, non ita facile elucet. Aliqui putant cum Lugone, Oviedo, etc. manere voluntatis actum remissum, et reflexione haud perceptibilem propter divagationem mentis ad plura, et per talem actum attingere priorem illam reflexam intentionem usque ad confectionem Sacramenti. Alii censent potentias sensitivas et locomotivas, vi prioris intentionis, esse determinatas ad talem ordinem motuum usque ad ultimum actum, et sic hujusmodi

motuum directio et terminus procedit ex virtute relicta intentionis: ita cum Scoto et aliis Suarez (1). Nonnulli cogitarunt voluntatem intentivam imprimere potentiis inferioribus qualitatem aliquam, vi cujus eo modo agunt et procedunt ad finem intentum; sicut impulsus movet lapidem projectum donec extinguatur.

His positis; communis est doctrina, non sufficere ad Sacramenta conficienda (excepto Matrimonio naturam habente contractus) intentionem habitualem: quia ex illa sola nullus est in Sacramentum influxus, ut procedere possit a ministro Christi formaliter tali. Unde patet requiri saltem intentionem virtualem: hanc autem sufficere omnes sentiunt AA. Intentio enim actualis, licet perfectior sit, et a ministro procuranda, saepe ex humana infirmitate, est moraliter impossibilis in actibus humanae vitae: jam vero non possumus existimare, media moraliter impossibilia Deum communiter praescripsisse, in rebus ad salutem necessariis.

§ III

De intentione Sacramenti in causa

116. De alia disputari quoque solet intentione: utrum intentio, seu volitio, Sacramenti in causa possit esse sufficiens? Qui enim vult causam et vult effectum, si illum praevideat. Haec in causa voluntas dupliciter se habere ad effectum potest: 1.° ita, ut ex intentione effectus ponatur causa: 2.° ut causa quidem sit volita cum praevisione effectus, sed non ex intentione hujus, permittendo tamen illum. Puta si quis sciens se in ebrietate absolutiones dare, vel verba consecrationis in panem et vinum proferre, tamen se inebriet. Igitur, si secundo modo minister procedat, *permissive se habens*, patet non posse Sacramentum perficere; intentio enim nulla fuit, saltem humana, quae possit Sacramentum determinare.

Si autem priori modo se gerat ponendo causam ex intentione effectus, putant nonnulli posse id sufficere ad Sacramenti valorem. Sed potius negandum cum Lugone, Vazquezio, Suarezio, etc. Ratio est, quia licet dum ponit causam ex intentione effectus, ut homo procedat et moraliter agat; deinde in executione actiones non sunt humanae et morales, nec influit in eas prior moralis intentio: extincto enim rationis usu per ebrietatem vel somnum, extinguitur omnis moralis influxus.

Dices: Augustinus (2) docet, valide baptizare ebriosum.

---

(1) Q. 64, a. 10; Disp. XIII, Sec. III. — (2) In Joan Trac. V, n. 17.

Resp. Ex universo patet contextu, loqui Augustinum de vitioso homine qui inebriari solet, sicut et loquitur de homicidis, raptoribus etc. Ideo non dixit *ebrium*, sed *ebriosum*, qui sane non semper ebrius existit. Praeterea nimis probares si concederes de ebrio locutum Augustinum, et in errorem aperte damnatum incideres ut ex Thesi X patet.

CAPUT III.

De Sacramentorum definitione et causa principali.

ARTICULUS I.

De Sacramentorum definitione.

THESIS XII.

Recte definitur Sacramentum, signum sensibile, practicum rei sacrae sanctificantis homines. Quae autem a pluribus adjiciuntur proprietates, scilicet quod sit signum permanens et a Deo institutum, ad definitionem descriptivam sane pertinent, non autem essentialem.

117. Prob. 1.° Sacramenta esse *signa sensibilia* constat ex dictis in Thes. I, nec non Thes. VIII (1).

2.° Esse signa *practica*, patet ex Thes. II et Shol. IV (2). Quod autem significent rem sacram sanctificantem hominem, constat ibidem. Sacramenta enim Legis Vet. significabant, tum gratiam in Nova Lege dandam, tum sanctitatem legalem quam tunc conferebant.

3.° Sacramentum esse signuum *permanens* patet ex alio scopo propter quem fuerunt, teste Augustino, Sacramenta instituta (3); «In nullum enim nomen Religionis, seu verum seu falsum, «coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacra«mentorum visibilium consortio colligentur.» Si ergo sunt Sacramenta unionis vinculum; in Religione perpetua, oportet esse per-

---

(1) Supra, nn. 8, 75.– (2) Nn. 17, 31.– (3) *Contra Faust.*, l. 19, c. 11.

manentia, ut ipsa Religio, ne in Religionis membris confusio generetur.

118. Dicitur etiam Sacramentum esse signum a Deo *institutum*. Hanc proprietatem omnibus convenire Sacramentis perspicuum erit, cum probaverimus Christum institutorem esse Sacramentorum. (Thes. XIII).

Dicimus in Thesi, non spectare has duas notas. *permanentiam*, nempe, et divinam *institutionem* nisi ad definitionem descriptivam. Et quidem permanentia rei, nisi agatur de entibus successivis, ut motus, praesupponit existentem rem quae permanet; ergo a fortiori praesupponit rei essentiam; sed quod preasupponit rei essentiam, non est de essentia: ergo.

Quoad Sacramentorum *institutionem*, infra (1) docebimus factam fuisse a Christo ut homine, et posse purae creaturae committi. Quod si sermo sit de institutione *auctoritativa*, seu e propria auctoritate procedens, ad solum Deum quidem spectare potest: tamen, neque ejusmodi institutio essentialem definitionem ingredi debet; quemadmodum neque in definitione angeli, hominis, vel alius substantiae dici debet quod a Deo creati sunt. Scilicet, rei dependentia a sua causa, est prior quam res, et ejus essentia, ideoque et extra rei essentiam.

SCHOLION

Utrum definitio univoca sacramentis Novae et Antiquae Legis conveniat

119. Quaestio fit inter theologos, utrum definitio univoca Sacramentis Novae et Antiquae Legis conveniat. Quidam docent, non convenire univoce utriusque Legis Sacramenta, quia sanctitas quae ab illis procedit diversissima est. Alii cum Bellarmino, Suarez, Lugo, Salmant. etc., ajunt, sub una ratione univoca omnia comprehendi.

Haec verior sententia. 1.° Quia Tridentinum et Florentinum, fuisse Sacramenta in Vet. Lege explicite supponunt: sed doctrina circa fidem in sensu proprio est intelligenda; ergo vera et propria Sacramenti ratio illis conveniebat, ideoque sub una ratione omnia comprehenduntur.

2.° Augustinus (supra) necessaria esse ad Religionem Sacramenta docet. Cum ergo vera et proprie dicta esset Vet. Legis Religio, idem censendum de Sacramentis.

---

(1) Schol. nn. 132, 133.

3.° Definitio tradita utrisque convenit Sacramentis; ergo univoce conveniunt: erant illa etiam. signa sensibilia. practica rei sacrae sanctificantis homines.

120. Obj. 1.° Ad definitionem Sacramenti res sacra, seu sanctitas pertinet: sed sanctitas illa legalis veterum Sacramentorum, non convenit univoce cum gratia sanctificante Novae Legis: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Pertinet ut terminus, seu in obliquo; conc. Pertinet praecise ut virtus significativa et causativa rei sacrae, seu in recto; nego. Unde de ratione Sacramenti, ut sic, est ut aliquam significet ac efficiat sanctitatem. seu ad Deum consecrationem: quod autem sanctitas sit talis vel talis, ad illius spectat perfectionem. Quemadmodum ergo animal homo et animal brutum perfectione differunt, sed sub una ratione animalis conveniunt; ita et Sacramenta nova et antiqua inter se comparantur, teste Augustino (1): «Prima Sacramenta... ablata sunt: et ideo ablata, quia im»pleta... Et alia instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu »faciliora, numero pauciora.»

Obj. 2.° Perfectum et minus perfectum non possunt sub una comprehendi ratione univoca. Ergo...

Resp. Dist. *ant.* Sub una adaequata et perfecta ratione; conc. *ant.* Inadaequata et praecisiva; nego. Patet exemplo supra posito hominis et bruti.

COROLLARIUM

121. I.° Ritus quibus utitur Ecclesia in administratione aliquorum Sacramentorum, puta, in Baptismo unctiones, insufflationes, etc., non sunt vera Sacramenta: licet enim significent gratiam vel alia Spiritus Sancti dona, non conferunt sanctitatem; et orationes quas tunc effundit Ecclesia vim solam habent impetratoriam. Idem dicendum de Sacramentalibus, nempe, Aqua benedicta, Pane benedicto, Confessione generali, etc.

122. II.° Sacrificium, qua tale, non est Sacramentum: nam non est institutum inmediate ad significandam et conferendam sanctitatem; sed in testimonium divinae excellentiae, seu ad Deum colendum.

---

(1) *Contr. Faust.* l. 19, c. 13.

ARTICULUS II.

De causa principali Sacramentorum.

THESIS XIII.

Eclesiae Sacramenta omnia a Christo Domino fuerunt immediate instituta.

123. **Nota** I. Non materialiter. sed formaliter, id est, non quatenus sunt tales res. vel actiones sensibiles, sed quatenus vim habent significandi et causandi sanctitatem, sumuntur hic Sacramenta. Igitur cum nullae res naturales habeant ex semetipsis ejusmodi vim, quis eisdem contulerit inquiritur.

Nota II. Alia est causa *institutiva*, alia *executiva*. *Executiva* causa facit Sacramenta. quatenus ponit quidquid ex parte rei vel actionis sensibilis requiritur ut significatio sanctitatis et vis ejusdem effectiva illi accedat. *Institutiva* autem est, quae legem seu connexionem hanc constituit, ut positis talibus rebus et actionibus sub hac vel illa ratione, et non aliter, significaretur et conferretur sanctitas.

Nota III. Gratia sanctificans est ordinis supernaturalis, et supra omnem puram creaturam constituta, ac participatio quaedam divinae naturae. Hinc patet solum Deum posse auctoritate propria sanctitatem conferre et sanctificandi virtutem communicare. Christus ergo potest, ut Deus, Sacramenta instituere; qua Homo autem hypostatice Deus, ut sanctitatem conferre posset, meruit; habetque, ut omnes AA. cum D. Thoma supponunt, potestatem *excellentiae* instituendi Sacramenta, quae sint instrumenta ipsius ad nos sanctificandos; et ideo, ex mente D. Thomae (1): «Secundum »quod est Deus, operatur in Sacramentis per auctoritatem, secun»dum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacra»mentorum meritorie et *efficienter*, sed instrumentaliter.» Haec autem Christi potestas excellentiae, ait (ibid.) D. Thomas, consistit in quatuor: «primo quidem in hoc, quod meritum et vir»tus passionis ejus operatur in Sacramentis, ut dictum est, q. 62, »a. 5. Secundo, ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in »Sacramentis, pertinet quod in ejus nomine Sacramenta sanctifi»centur... Tertio, quod ipse, qui dedit virtutem Sacramentis, possit »instituere Sacramenta. Et quia causa non pendet ab effectu, sed »potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi

(1) P. 3, q. 64, a. 3.

»pertinet quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori »Sacramento conferre.»

124. 1.ª Pars prob. 1.° ex Trid. (1): «Si quis dixerit Sacra- »menta Novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nos- »tro instituta etc., anath. sit.» Unde vel mediate vel immediate Christum Sacramenta instituisse, fide catholica certo constat.

2.° S. Ambrosius (2): «Ergo auctor Sacramentorum quis »est nisi Dominus Jesus? De coelo ista Sacramenta venerunt.» Augustinus (3): «Primo itaque tenere te volo, Dominum nos- »trum Jesum Christum, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinae »levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facilli- »mis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colli- »gavit; sicut est Baptismus,» etc. Et alibi (4) ait: «Ab ipsa Dei Sa- »pientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pau- »ca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quae societatem populi »christiani, hoc est sub uno Deo liberae multitudinis, continerent.»

125. 3.° Trident. Conc. (5) docet; nihil posse Ecclesiam circa Sacramenta, nisi salva eorum substantia. Sed si non fuissent a Deo instituta Sacramenta, etiam quoad substantiam potestati subjicerentur Ecclesiae; ergo.

4.° Sacramenta sanctificantsus cipientes et miraculose operantur, ut ex dictis patet. Sed sanctitatis et miraculorum solus Deus auctor esse potet: ergo.

5.° Ait Apostolus (6): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed ministri et dispensatoris opera nullius sunt roboris, nisi quia a domino procedunt: ergo Sacramenta omnia a Christo auctore sunt. Confirm. Omnia Sacramenta ab Ecclesia ministrantur et conferuntur nomine Dei et Christi; ergo.

126. II.ª Pars. **Nota** Quorumdam theologorum fuit opinio, quod aliqua Sacramenta ab Ecclesia fuerunt instituta, scilicet, potestate a Christo suscepta: ita Alensis. S. Bonaventura, Hugo V., Magister Sent.ᵐ etc. Hoc autem opinati sunt ante Tridentinam Synodum. Imo vero et post Tridentinum aliqui Lovanienses Doctores cum Estio putarunt quod id possit adhuc probabiliter defendi. Communis autem est doctrina, Christum immediate instituisse omnia Sacramenta, idque, ait Suarez, (7), esse *omnino certum* ex Tridentino, de *cujus mente vix potest dubitari;* tamen quia omisit Concilium vocem *im-*

(1) Sess. VII, can 1.—(2) *De Sacram.* l. IV, c. 4.—(3) Epist. 54, (a. 11 8), c. 1.—(4) *De vera religione*, c. 17, n. 33.—(5) Sess. XXI, c. 2.—(6) I Cor. IV, 1. —(7) D. 12, Sec. 1.

mediate, non dicendum esse *de fide*. Vazquez autem asserit esse omnino de fide (1); et Sotus (2) scripsit ante Tridentinum, non posse sine temeritate illam teneri opinionem.

127. Prob. 1.° ex Tridentino. Conciliorum definitiones intelligendae sunt in sensu propriissimo et magis obvio. Sed verba illa Tridentini, «Omnia Sacramenta N. L. fuisse a Christo institu»ta,» proprie ac obvie significant instituisse *immediate*: ergo. *Minor* patet. a) Exemplis. Leges principum vel Ecclesiae, ritus ipsi quibus Sacramenta administrantur, mediate a Deo procedunt, auctoritate, nempe, principum et Ecclesiae a Deo accepta. Atqui nemo dicit, et impropriissime diceretur, instituisse Deum ejusmodi leges et ritus: ergo verba illa Tridentini... b) Deinde, si accurate quid sit institutio perpendatur, est quaedam contradictio in hoc; quod Christus absolute instituerit Sacramenta, Ecclesia autem seu Apostoli eadem *immediate* instituerint. Nam cujusvis rei *institutio* tria importat: primum, quod res talis antea non extiterit, sed tum, cum instituitur, ad esse determinetur; nemo enim fingere poterit, posse nunc institui equitandi usum, vel carnibus vescendi etc. Secundo oportet ut *instituens* aliquid praestet seu influat ad rei illius inchoandam existentiam: aliter omnes homines, imo et omnia entia, rei cujusvis novae institutores dici possent. Tertio opus est ut *instituentis* influxus sit determinativus simpliciter rei ad essendum, ita ut antecedenter ad talem influxum sit res adhuc indifferens ad esse vel non esse. Ex. gr. Qui primus voluit efficaciter equitare, aut equitari, ille fuit equitationis institutor; non autem servus qui jussus stravit equum, vel miles qui coactus a duce equitavit: ratio est, quia neque servi, neque militis influxus erant simpliciter determinativi, sed potius determinati ad equitationem promovendam vel exequendam, ideoque supponebatur equitatio determinata, seu instituta.

128. His positis, fit altera *min.* probatio. Christus instituens simpliciter Sacramenta, determinavit esse illorum, seu abstulit eorum ad esse indifferentiam; sed si ejusmodi institutio fuit tantum mediata, Christi influxus non fuisset determinativus; ergo institutio Sacramentorum per Christum fuit immediata.

Min. prob. Si Christi institutio fuit mediata, opus fuit alia institutione (per Ecclesiam vel Apostolos) immediata. Atqui ejusmodi immediata institutio Sacramentorum supponit seu requirit, ut non sint determinata sed indifferentia ad esse. Ergo si institutio per Christum fuit tantum mediata, Christi influxus non fuit determinativus. *Maj.* est ex terminis evidens: *minor* autem ex praenotatis patet.

---

(1) Disp. 135, c. 1.—(2) In 4, dist. 1, q. 5.

129. Obj. 1.° Christus eamdem tradidit Ecclesiae potestatem, quam a Patre acceperat: ergo habet etiam Ecclesia potestatem instituendi Sacramenta, ideoque probabiliter dicitur aliqua instituisse. *Ant.* prob. Ait Christus: «*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*» (1).

Resp. Negatur *ant.* et probatio exponenda: «*Sicut misit...*» id est, similitudine quadam: conc. Aequalem tribuens Apostolis potestatem; nego.

Obj. 2.° Ille instituit Sacramenta, qui eorum determinavit materiam et formam: Sed Ecclesia materias aliquas Sacramentorum assignavit, puta, Ordinis et Matrimonii; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Qui materiam et formam determinavit in ratione signi practici gratiae, seu formali determinatione, conc. Qui determinavit sub alia materiali ratione: nego. Dein dist. *min.* Assignavit materias aliquas Sacramentorum determinatione formali; nego *min.* Determinatione materiali, quae sub Christi formali determinatione comprehenderetur; conc. Sic ex. gr., determinavit Christus Matrimonii legitimum contractum ad esse formale Sacramenti; conditiones sub quibus contractus existat verus ac legitimus determinat Ecclesia. A pari de Ordine ait Bellarminus (2): «Credibile est Dominum statuisse istas omnes materias »Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim.»

Obj. 3.° Si Christus mandatum Apostolis tradidisset instituendi aliqua Sacramenta, determinasset illa ad existentiam, ideoque ea mediate instituisset: ergo ex eo quod Christus instituerit Sacramenta, non sequitur ea immediate instituisse.

Resp. Dist. *ant.* Determinasset in radice, seu virtualiter ac late; conc. Formaliter et stricte; nego *ant.* Quemadmodum qui mandat servo colere agrum, non proprie ipse colit; et qui jubet poenitere, non formaliter ipsum poenitet: ita qui jubet instituere Sacramenta, non ipse stricte et formaliter instituit, sed virtualiter et lato sensu tantum.

SCHOLIA

§ I

Institutionis notio amplius declaratur.

130. Ut aliquorum AA. ambigua dicta facilius intelligantur, quid sibi velit *institutio*, seu formalis determinatio Sacramentorum ad existendum, breviter explicandum est.

---

(1) Jo. XX, 21.—(2) De *Ord.* c. 9.

Sacramentum non est quid simplex, sed valde complexum: scilicet, signum sensibile et practicum gratiae, et quidem permanens. Importat ergo rem sensibilem, et, uti diximus supra, duplici compositam elemento; altero quasi forma et altero veluti materia: deinde gratiae significationem, et tandem ejusdem efficientiae vim, idque modo permanenti.

Jam vero, rem aliquam sensibilem *instituere* nullius superat potestatem, et Ecclesia multos sacros instituit ritus, puta, ad res benedicendas, ad sacra cum ornatu celebranda, etc. Neque virtutem superat hominum, quod signa gratiae instituant: unde ad excellentem Beatorum sanctitatem significandam certas destinavit Ecclesia sensibiles caeremonias, puta, aureolas, genuflexiones, incensi oblationes, etc. Ut autem Sacramentum instituatur, oportet ut signum sensibile gratiae vim illius perficiendae, seu causandae, suscipiat: hoc enim posito, Sacramentum adaequate ac formaliter ad existendum determinatur.

§ II

An pura creatura Sacramenta possit instituere.

131. His notatis, poterit facilius intelligi quaedam inter theologos quaestio: utrum, nempe, pura creatura Sacramenta possit instituere, potestate ad id accepta a Deo?

Posse hanc potestatem creaturae communicari, negant aliqui cum Vazquezio et Scoto, etc.: affirmant autem alii cum D. Thoma, Suarezio, Lugone, etc. At fateri oportet saepe non de re, sed de voce disputari solum, quatenus alii contendunt non debere dici *institutionem* id quod dicitur ab aliis ad instituendum sufficere.

132. **Dico** I. Christus vere et proprie Sacramenta instituit non tantum ut Deus, sed etiam ut homo Persona Verbi dignificatus.

1.° Ratio est, quia si ut Deus tantum instituisset Christus Sacramenta, simpliciter deberet tribus Personis institutio tribui. Atqui simpliciter ac peculiari modo Christo tribuuntur a Tridentino et SS. Patribus. Hinc S. Augustinus saepe docet: «De latere »Christi in Cruce pendentis lancea percusso Sacramenta Ecclesiae »profluxerunt (1); et Ambrosius (supra Th. XIII, n. 124): «Sacramentorum autem auctor quis est, nisi Dominus Jesus?»

2.° Confirm. Eatenus negandum esset, Christum ut hominem

(1) In Jo. trac. 15, n. 8.

instituisse Sacramenta, quia id repugnat creaturae. Sed nulla in hoc est repugnantia: ergo. *Major* patet: quia cum humanitas a Verbo infinite dignificetur, et merita ejus sint infinita, et donata sit plenitudine gratiae, non potest ulla ratione talis potestas negari humanitati, si possibilis sit. *Min.* prob. Institutio Sacramentorum in eo sita est, quod signa sensibilia ad sanctificandum determinentur: sed ejusmodi determinatio committi potest creaturae; ergo. Prob. *Min.* Potest Deus committere arbitrio creaturae ut fiat sanctificatio hoc vel illo medio, prout ipsa elegerit; quo posito, seligere poterit, ut tradatur gratia per talia signa sensibilia. Sed tunc determinaret ea ad causandam sanctitatem: ergo ejusmodi determinatio...

3.° Sacramenta operandi efficaciam habent ex meritis Christi, quatenus hisce mediis voluit Christus sanctificationem nostram operari; poterat namque vel per Sacramenta, vel absque Sacramentis gratiam conferre. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus* (1). Item, ipsa Sacramenta sunt ordinis supernaturalis pretiosa dona, ideoque a Christo nobis merita. Atqui voluntati Christi commissum est, ut quaecumque meruit perfici possint; ergo potuit Christus, ut homo, efficaciam ac existentiam determinare Sacramentorum, ideoque de Christo, ut homine, intelligitur, quod Sacramenta instituerit.

133. **Dico II.** Etiam purae creaturae, puta Apostolis, committere Christus potuit ut Sacramenta instituerent.

Ita D. Thomas cum aliis laudatis AA.

Probatur eadem ratione secundo loco exposita in praecedenti propositione.

§ III

De causa meritoria Sacramentorum.

134. **Nota:** Sacramenta conferunt gratiam, tum justificativam, seu peccatorum remissivam, tum pure sanctificativam, seu justitiae incrementum afferentem. Christus, ut dictum est in Disq. de *Deo Incarnato* (n. 281), meruit de condigno justificationem nostram; pura autem creatura eam demereri non poterat (Ibid. 342): meritis ergo suis potuit Jesus Christus institutor esse Sacramentorum, quibus a peccatis justificamur; nullatenus autem hanc virtutem habere possunt purae creaturae merita.

---

(1) Jo. XIII, 3.

Juxta autem plures, gravesque AA. cum Suarezio, non repugnat justum gratia ornatum demereri de condigno pro altero innocente gratiam sanctificantem: consequenter nulla existeret repugnantia in eo, quod Deus purae creaturae potestatem ex propriis meritis Sacramenta instituendi traderet, quibus gratia sanctificans conferretur. Verum in praesenti Dei providentia merita cujusvis purae creaturae ad propriam tantum sanctificationem ordinantur; solum ergo merita Christi possunt causa esse institutionis Sacramentorum; quod si Apostolis potestatem ea instituendi fecisset, non meritis illorum, sed Christi solum, ea Sacramenta eorumque efficacia fuissent tribuenda.

135. Obj. 1.° Christus tum in efficientia Sacramentorum, tum in eorum institutione, est instrumentum Divinitatis. Sed instrumentum non agit nisi a causa principali determinatus: ergo si Christus, ut homo, instituit Sacramenta, supponitur eadem esse prius a Divinitate determinata, ideo non a Christo instituta.

Resp. Dist. *maj*. Est instrumentum Divinitatis morale; conc. *maj*. Physicum; subd. Quoad efficientiam Sacramentorum physicam; conc. Quoad moralem efficaciam Sacramentorum et eorumdem existentiam; nego. Item dist. *min*. Instrumentum physicum non agit nisi... conc. *min*. Si sit morale et liberum instrumentum, nego.

Causas mere physicas, vel morales necessarias, Deus ad causandum determinat, ideoque illas quidquam instituere non est dicendum: morales autem ac liberas causas ita Deus movet ad agendum ut actionum determinatio ab iis non auferatur; ut alibi dictum est (Disq. VI, *de Deo Creatore*, nn. 121, 127), cum de divina causalitate ageretur.

136. Obj. 2.° Ab eo institui potest Sacramentum, qui efficaciam eidem conferre valet. Sed efficacia Sacramentorum, praesertim si physica fuerit, seu ex potentia obedientiali, ad divinam unice Omnipotentiam pertinet; ergo.

Resp. Dist. *maj*. Qui efficaciam eis conferre, id est, determinare valet; conc. Conferre, id est, exequi valet; nego. Efficacia Sacramentorum principaliter et auctoritative necessario a Deo procedit, sive moralis illa sit, sive physica: nam meritum dari non potest sine divina gratia et praemii promissione; neque efficientia supernaturalis absque concursu supernaturali. Verum quemadmodum Deus obligatur ac determinatur ad praemium dandum, posita libera ac meritoria determinatione creaturae; ita si committat creaturae Sacramentorum institutionem, ea volente, Deus necessario efficaciam illis tribuet, quia conditionatus ac suspensus erat effectus divinae voluntatis ab electione creaturae.

CAPUT IV.

De causa secundaria Sacramentorum.

ARTICULUS I.

De Ministro Sacramentorum.

THESIS XIV.

Minister ordinarius Sacramentorum est solus homo et quidem viator.

137. **Nota** 1.° Qui Sacramenta ministrant juxta communem Providentiam a Deo per Christum statutam, dicuntur ministri *ordinarii* illorum. Illi autem qui potestatem haberent praeter communem ordinem a Deo susceptam, essent ministri extraordinarii.

138. 2.° Communis ordo, seu Providentia, dupliciter variare potest: primo, ex parte casus seu eventus; puta, si Sacerdos simplex administret Confirmationem, vel Diaconus Eucharistiam; hoc enim communiter non evenit: secundo ex parte principii; quia ipsa administrandi potestas est extra ordinem a Christo statutum; ex. gr. si mitteret Deus Angelum ad Communionem administrandam. Cum ergo in thesi dicimus. minister ordinarius est *solus homo*, hoc secundo sensu intelligas, nempe ex parte principii; quod autem adjicitur; et *quidem viator*, priori sensu sumendum.

3.° Thesis communi consensu defenditur theologorum, et jure dicit Vazquezius (1), esse doctrinam catholicam. Lutheri adversatur errori, qui effutiebat, non tantum angelos bonos, et B. Virginem, sed etiam daemones esse ministros omnium Sacramentorum.

139. Prob. 1.° Ille est Sacramentorum ordinarius minister, quem Christus constituit. Sed hominem viatorem, non alium, puta Angelum vel beatum, constituit Christus: ergo. *Maj.* patet. Est enim Ecclesia cum suis Sacramentis a Christo capite instituta. *Min.* constat ex SS. Litteris et traditione. Quoties enim de administrandis Sacramentis sermo est, non alios SS. Scripturae exhibent ministros

(1) D. 138, c. 1.

nisi homines viatores. De Baptismo ait Christus ad Apostolos: *Ite docete... baptizantes...* De Eucharistia; *Hoc facite in meam...* De Confirmatione: «*Imponebant manus* (Petrus et Joan.) *super illos* et *accipiebant Spiritum Sanctum* (1). Neque Simon magus putavit potestatem hanc episcopalem a daemone accipi posse: sed ab Apostolis: «*Obtulit eis pecuniam, dicens: date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus...*» De Extrema Unctione dixit S. Jacobus (2) «*Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum...* Ecce non Angeli expectandi; vel daemones invocandi. De Poenitentia autem (3): «*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis... quorum retinueritis...*» Et Paulus generatim (4): «*Sic nos existimet homo... dispensatores mysteriorum Dei.* Et iterum: «*Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum... qui condolere possit iis qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.*

Ex quibus ita arguendum: ministri Sacramentorum certo innotescere debent. Sed non alii ministri nisi homines nobis innotescunt: ergo soli homines...

140. Confirm. 1.° Post a Christo fundatam Ecclesiam, numquam suscepit illa Angelum aliquem, vel hominem beatum, ut ordinarium Sacramentorum ministrum: sicut ergo arguimus non posse colligi de spinis uvas, quia numquam produxerunt: a pari arguendum, non habere potestatem ordinariam ad Sacramenta administranda nisi solos homines, et quidem viatores.

Confirm. 2.° Tum Sacramenta tum usus illorum pertinent ad Ecclesiam militantem, et intrinsece iis rebus et actionibus constant, quae ad praesentem vitam pertinent. Atqui non minus necessaria est proportio inter ministrantes Sacramenta et suscipientes, quam inter ipsa Sacramenta et subjectum illorum; ergo ministri Sacramentorum debent soli homines et quidem viatores esse.

141. Obj. 1.° Altiori dignitate eminent Angeli ac beati, quam homines viatores: ergo potestate ministeriali in Sacramenta non carent.

Resp. Dist. *ant.* Dignitate ad Ecclesiam triumphantem spectante; conc. Ad militantem; nego *ant.* Altiore quoque praefulget dignitate homo quam arbor, nec tamen poma ab eo expectabis, quia est dignitas in diverso genere.

Obj. 2.° Augustinus (5) dicit: «Baptismi sanctitatem »adest Deus qui det, sive per se ipsum donante Deo, sive per An-

---

(1) Act. VIII, 17.—(2) V, 14.—(3) Jo. XX, 23.—(4) I Cor. IV, 1; Hebr. V, 1, 2.—(5) *Contra Parmen.* l. 2, c. 15.

»gelum sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sicut »per Joannem; sive per hominem iniquum...» Ergo Angelus potest, sicut et homo, administrare Baptismum.

Resp. Mens Augustini est docere, sanctitatem, quae per Baptismum confertur, semper e coelo, seu a Deo esse, sive immediate per se donet illam, sive per Angelum, sive per hominem. Unde dist. *consequens:* Angelus potest hypothetice, seu de potentia absoluta; conc. Tamquam minister habens potestatem ordinariam; nego conseq.

Aliter, juxta D. Thomam, intelligi potest Angeli in baptismo ministerium (1): «Illud quod faciunt homines inferiori »modo, scilicet per sensibilia Sacramenta, quae sint proportionata »naturae ipsorum, faciunt Angeli tamquam superiores ministri su»periori modo, scilicet, invisibiliter purgando, illuminando et per»ficiendo.»

SCHOLIA

142. I.° Quaeri potest, utrum si homo beatus ministraret, a Deo missus et in vitam revocatus, aliquod Sacramentum, novam susceпturus esset potestatem, vel potius sufficeret illa quam, in hac vita degens, habuerat. Hanc futuram illi sufficientem censet D. Thomas (ibid.) cum pluribus aliis, Soto, Suarezio, Arriaga, Salmanticensibus, etc., adversus Lugonem, Vazquezium, etc.

Prior quidem magis probanda sententia. Nam cum permaneat in alia vita character, Sacerdos beatus resurgens a mortuis esset verus Sacerdos et potestatem sui ordinis retineret. Confirm. De his qui resurgunt ut iterum moriantur, nullus dubitat priorem cum charactere eos retinere potestatem: ergo a pari, non enim opponitur beatitudo sacerdotali potestati; nam, teste Apostolo, (2) Jesus »*sempiternum habet sacerdotium:*» imo et ante mortem ac inter homines degens, beatifica fruebatur visione verus existens Sacerdos.

143. Dices: Sacramenta eorumque ministrandorum potestas tradita fuere Ecclesiae militanti; sed beati non sunt membra Ecclesiae hujus: ergo neque habent ullam potestatem in Sacramenta.

Resp. Dist. *maj.* Ita ut potestas administrandi non exerceatur ordinarie nisi per Ecclesiam militantem; conc. Ita ut potestas ministrandi evacuetur, transeunte ministro ad Ecclesiam triumphantem; nego. Vide *Praenot.* ad Thes. I.

Inst. Non est proportio inter statum viatorum et statum eorum

---

(1) 3 p. q. 64, a. 7, ad 1.m – (2) Hebr. VII, 24.

qui vita fruuntur immortali. Sed susceptio Sacramentorum ad viatores pertinet; ergo administratio a beatis exerceri non potest.

Resp. dist. *maj.* Non est proportio omnimoda; conc. Qualis requiritur inter dantem et suscipientem; nego *maj.* Equidem defectus inter utrumque statum proportionis ostendit congruum esse quod per viatores ordinarie perficiatur Sacramentorum administratio; non autem arguit dedecere beatos permanenter ornatos esse illa potentia administrandi, ita ut validum conficerent Sacramentum si sua uterentur potestate.

144. II. Possent valide a Sanctis Angelis, vel animabus beatis, administrari Sacramenta; non quatenus ex Christi institutione ad id destinationem seu potestatem habeant; sed quia potest a Deo ejusmodi officium ac potestas committi. Ita cum Angelico D. plures Theologi, uti Suarez, Lugo, Arriaga, Gonet, etc.

Ratio, qua probatur a D. Thoma, est perspicua (1). Sicut Deus non alligavit virtutem suam Sacramentis, ita ut nequeat absque Sacramentis nos justificare; ita neque dicendum ita alligatam esse Ecclesiae ministris, ut nequeat ministerio uti Angelorum.

Confirm. Historiae referunt nonnunquam administrata ab Angelis Sacramenta; ut S. Stanislao, et S. Raymundo Nonnato S. Eucharistiam, S. Amphilochio consecrationem episcopalem, etc.

Dices: Sacramenta constant actionibus humanis: sed actiones Angelorum nequeunt esse humanae; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Constant materialiter; conc. Formaliter nego *maj.* Proinde Sacramenta ab Angelis ministrata non essent physice eadem ac nostra Sacramenta; essent tamen moraliter, quia significatione ac efficientia non differrent.

THESIS XV.

Non est necessaria in Ministro fides ut validum conferat Sacramentum.

145. **Nota**. In tertio seculo suscitata quaestio fuit de necessitate fidei in ministro Sacramentorum. S. Cyprianus, cum non paucis tum africanis, tum asiaticis Episcopis, censebat invalidum esse Baptismum ab haereticis, schismaticis, paganis vel judaeis collatum; adeoque rebaptizandos eos qui extra Ecclesiam suscepissent Baptismum. Nullum hac de re superest dubium, cum fides catholica sit explicita.

---

(1) 3, p. q. 64, a. 7.

146. Prob. 1.° Trident. Conc. (1) definivit: «Si quis dixe»rit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis... non esse verum »Baptismum; anath. sit.» Teste S. Cypriano (2), id docuit ac decrevit S. Pont. Stephanus: «Si quis a quacumque »haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut »manus illi imponatur ad poenitentiam.»

Hanc doctrinam deinde confirmarunt Conc. Arelatense I, can. 8, et Generale Nicaenum.

2.° Hanc fuisse Ecclesiae traditionem patet decreto ipso S. Stephani: «nihil innovetur, nisi quod traditum...» Unde ait Augustinus (3): «Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, »et haec sola opponebatur inducere volentibus novitatem.» Imo testis hujusce consuetudinis est S. Cyprianus (4): «Sed di»cet aliquis; quid ergo fiet de iis qui in praeteritum de haeresi ad »Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt?» Quibus verbis, ut ait Augustinus (ibid.): «Aperte indicat fuisse aliam Ecclesiae consuetudinem.»

3.° Rationes theologicas adhibebis, quas supra (Thes. II), tradidimus, ubi de efficacia Sacramentorum ex opere operato egimus.

147. Obj. 1.° Inter canones *Apostolorum* dictos, in can. 49 et 45, damnantur ii qui Baptismum approbant haereticorum: ergo antiqua traditio non stetit pro validitate hujusce Sacramenti a ministro haeretico suscepti.

Resp. Canones apostolici, paucis exceptis ex quibus nomen desumptum fuit, non sunt temporis apostolici, seu apostolici, sed posteriores; sic isti, de quibus fit objectio, a particulari concilio errorem illorum africanorum sequente deprompti fuere.

Obj. 2.° Dionysius Alex., ut tradit Hieronymus (5), consentiebat Cypriano, aliisque africanis Episcopis, eosque defendebat. Cum ergo tanta ille floreret eruditione, videtur pro Cypriano ejusque doctrina traditionem stetisse.

Resp. Mediatorem quidem apud Rom. Pontificem extitisse Dionysium, ne damnaret africanos: hac de causa putavit forsan Hieronymus in eorum fuisse sententia. At nec *africani* unquam pro se Dionysium laudant, cum magnae esset auctoritatis; nec apud Romanos Pontifices fuit erroris suspectus; nec munus sumere potuisset mediatoris, si *africanorum* secutus esset partes.

Obj. 3.° S. Basilius testatur, quod ab haereticis venientes

---

(1) Sess. VII, can. 4, *de Bapt.*—(2) Epist. *ad Pompeium.*—(3) L. 2, de *Bapt. contra Donat.* c. 9.—(4) Ep. 73, *ad Jubaian.* n. 28.—(5) *De Scrip. eccles.* c. 69.

rebaptizabat (1). Item alii Patres docent, haereticos Baptismum non habere; et Ambrosius. non sanare Baptismum perfidorum. asserit (2).

Resp. Concedendum Patres nonnullos putasse. quaestionem hanc disciplinarem esse. adeoque persistebant in rebaptizantium errore: alii autem, ut S. Ambrosius, Augustinus etc., eatanus reprobabant Baptismum haereticorum, quatenus gratiam conferre non poterat iis. qui culpabiliter societatem illorum sectabantur.

Obj. 4.° Christus Ecclesiae Sacramenta sua tradidit. Sed haeretici non spectant ad Ecclesiam: ergo neque habent Sacramenta.

Resp. Dist. *min.* Non spectant adaequate; conc. Inadaequate; nego. Cum enim accidat, ut multi bona fide post haereticos abducantur, misericors Dominus noluit omnes fructu Sacramentorum privari, ideoque permisit valide etiam apud haereticos posse administrari.

COROLLARIUM

148. Probitatem, seu sanctitatem, non requiri in ministro ut valide conficiat Sacramenta, ex dictis elucet. Cum enim fides non sit ad hoc necessaria, neque gratia et charitas necessaria erit. Praeterea elucet ex testimoniis allatis, (Thes. II.ª, pro 2.ª parte, n. 21). Insuper; ex humana infirmitate non raro accidit ut probitas in ministris Sacramentorum desideretur; in magnam ergo cederet Ecclesiae ruinam, si ex illa suspensa haereret virtus Sacramentorum. Quod autem legitur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere* (3); intellige de fructibus qui a bonitate arboris enascuntur: jam vero non a virtute ministri, sed Christi, existunt efficacia Sacramenta, ut (ibid.) dictum est.

THESIS XVI

Minister in peccato mortali existens, et Sacramentum ministrans, peccat mortaliter si consecratus sit ad ministrandum, et ex officio, seu solemniter ministret.

149. **Nota.** I.° De his quae pertinent ad ministri Sacramentorum intentionem, egimus (in Thes. XI), dum de natura illorum et ad eamdem spectantibus naturam disputaretur. Nunc ergo generatim inquirimus, quid sit ministro Sacramenti necessarium ut licite, seu honeste administret.

---

(1) Epis. 2 ad Amphil. can. 47. — (2) De myst. c. 4. — (3) Matth. VII, 18.

II.° Aliquorum fuit 1.ª sententia, sacerdotem ministrantem, seu conficientem Sacramentum, in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter.

2.ª Sent. tuetur, quemlibet, sive laicum sive sacerdotem, qui Sacramentum ministret in mortali, peccare mortaliter. Sic plurimi cum Lugo, Vazquez, Navarro, etc.

3.ª ait: tunc peccare mortaliter, cum minister est consecratus, et administrat ex officio, seu solemniter, in statu peccati mortalis. Praeter AA. 2.ae sententiae, id docent: D. Thomas, Suarez, Valentia, Salmant., Gonet, etc. «De hoc dubitari non »posse.» ait Suarez; «esse doctrinam constantem ac indubitatam »inter Scholasticos,» dicit Vazquez.

4.ª excusat a gravi culpa tum laicum, tum Sacerdotem, qui privatim ex necessitate ministrat aliquod Sacramentum. Ita Suarez Valentia, Salmant., Gonet, Sanchez, etc.

150. Prob. 1.° Doctrinam hanc approbavit Paulus V in *Rituali Romano* traditam: «cum in Ecclesia Dei nihil sanctius... aut »magis divinum habeatur quam Sacramenta...; Parochus, vel qui»vis alius Sacerdos... meminisse in primis debet, se sancta tractare »atque omni temporis momento ad tam sanctae administrationis »officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo cura»bit, ut integre, caste, pieque vitam agat: nam etsi Sacramenta ab »impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum »effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in ae»ternae mortis reatum incurrunt.» Nicolaus I ait (1) de ministris: «mali bona administrando se tantummodo laedunt.» Gregor. IX (2): «Si non poenituerint, admonendi sunt (Sacerdotes), »et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium »suae damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.»

151. 2.° S. Augustinus (3): «Omnia Sacramenta cum ob»sint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumenti»bus.» S. Chrysostomus (4): «Necesse est, Sacerdotem sic »esse purum, ut si in coelis ipsis collocatus inter coelestes illas vir»tutes medius staret: terribilia namque, atque horribilia sunt, quae »administrat.» Tandem aliis praetermissis Patrum sententiis, grave nobis suppeditat argumentum communis theologorum consensus, a quo sine temeritate recedere nequimus.

3.° Inordinatio gravis in materia morali gravi est peccatum grave. Sed administratio Sacramenti per ministrum peccatorem est inordinatio gravis in materia gravi: ergo, *Min.* prob., seu potius de-

---

(1) *Ad Consult. Bulgar* tit. II, c. 15.—(2) *De tempor. ord.* c. ult.—(3) L. 2 *contra Parmen.* c. 12.—(4) *De Sacerdotio.*

claratur. Ministrans Sacramentum gerit personam Dei et Christi tamquam fontem sanctitatis, et ipsa actio ministri est constitutiva Sacramenti, quod continet et confert gratiam sanctificantem. Atqui gravis est inordinatio quod peccator personam Dei et Christi teneat, qua fontem sanctitatis, et sanctitatem ipsam suis actionibus contineat et conferat: ergo.

152. Confirm. 1.° Si regius legatus, in ipso muneris sui actu dum regis personam sustinet, habitum vilem et spurcum sciens et volens indueret; id in contemptum regis cederet, et gravem offensam. Item: si ad sacra celebranda vel asservanda, vasa adhiberentur sordida et turpia, gravis foret inordinatio ac irreverentia: ergo, a pari, impuritas ministri Sacramentorum in Dei gravem redundat contemptum et offensam.

Confirm. 2.° In Veteri Lege erat sub gravi praescripta sanctitas saltem legalis ministris rerum sacrarum: sed non minus indigent sanctitate vera res sacrae Legis Novae; ergo. *Maj.* passim ostendunt SS. Litterae. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino* (1). *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos* (2). *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo* (3).

153. Obj. 1.° Non constat de praecepto ullo gravi, vel positivo, vel naturali, obligante ad Sacramenta in statu gratiae ministranda: ergo. *Ant.* prob. Praeceptum positivum, in primis, nullibi legitur. Praeceptum naturale nulla ratione ostenditur; licet enim aliquae rationes tradantur, nulla illarum ab omnibus probatur AA., sed a pluribus et quidem gravibus solvitur ac rejicitur.

Resp. Nego *ant.* Licet enim non eluceat certum praeceptum positivum, cujus origo certo constet: patet tamen ex communi consensu aliquod dari praeceptum graviter obligans; unde concludendum vel ex natura rei, vel ex aliqua lege positiva oriri tale praeceptum.

Quoad praeceptum autem positivum; quae afferuntur ex jure canonico documenta, potius videntur supponere dari praeceptum seu obligationem gravem, quam intendere illud statuere: quare, sunt saltem indirectum argumentum ejusmodi obligationis.

154. In assignanda autem ratione obligationis naturalis, ideo non conveniunt AA. quia multiplex est in ministro Sacramentorum respectus, unde magnopere eum decet sanctitate esse orna-

---

(1) Levit. XXII, 3.—(2) Exod. XIX, 22.—(3) Levit. XXI, 21.

tum; nempe, quia est consecratus ad ministrandum; et quia unam personam gerit cum Christo; et quia ipsum Sacramentum quod administrat res sancta est, utpote Sanguinis Christi dispensatio. Hinc fit ut AA. sentiant obligationis gravitatem oriri ex uno respectu, alii autem ex alio, et alii ex omnibus simul. Cum autem facilius sit agnoscere obligationem ex multis coalescentem respectibus gravem existere, quam definire, ex quo potissimum respectu gravitas generetur; nam istud profundiorem exigit analysim; inde intelligi potest, qua de causa in assignanda ratione gravitatis discrepent AA., dum in gravitate praecepti seu obligationis asserenda conveniant.

Suarez ac Vazquez, cum pluribus aliis, putant dari praeceptum positivum. Deinde ipse Suarez cum Cajetano, Sanchez, etc., putant obligationem etiam naturalem oriri, ex eo quod minister sit consecratus ad ministranda Sacramenta. Lugo autem gravitatem repetit ex duplici respectu actionis ministri ad Christum quem repraesentat, et ad sanctitatem Sacramenti quod conficit: nam inde magnam habet talis actio sanctitatem, et magnam proinde exigit reverentiam. Alii denique putant gravem hanc obligationem ex sanctitate ipsius Sacramenti procedere, quamvis augeatur ex eo quod minister ex persona Christi operetur.

THESIS XVII.

Quivis minister, sive consecratus sit, sive non, et quamvis privatim non autem solemniter agat, peccat mortaliter ministrans Sacramentum in statu peccati gravis.

155. Probabilior est haec Lugonis, Vazquezii et aliorum Sent.

Prob. 1.° Quivis minister, quomodocumque Sacramentum ministret, gerit personam Christi; item agit opus sanctissimum, quo Sanguis Christi dispensatur. Sed si fiat hoc in statu peccati mortalis, importat gravem inordinationem; ut dictum est in Thesi praecedenti: ergo.

Confirm. Plures cum Lugo docent, si consecret Chrisma in statu peccati, peccare Episcopum graviter: item, D. Antoninus, Silvius, et alii plures, Diaconum et Subdiaconum graviter delinquere, si in eo statu solemniter in altari ministrent: communis est sententia ministrare Eucharistiam in statu peccati, esse mortale. Atqui gravior est inordinatio si conficiatur Sacramentum in mortali: ergo.

Nota: plurimi AA. cum Vazquez et Lugo excusant a mortali, si quis administret ex necessitate Baptismum vel Poenitentiam in mortali, quia necessitatis ratio tollit irreverentiam.

ARTICULUS II.

De subjecto Sacramentorum.

THESIS XVIII.

Excepta Eucharistia, ad valide suscipienda Sacramenta requiritur aliqua positiva voluntas seu intentio.

156. **Nota** I.ª Supponimus solos homines, et quidem viatores, capaces esse Sacramentorum: cum enim sint signa sensibilia, solam rationalem naturam sensibus donatam, cui talia possint applicari signa, ex institutione sua requirunt: hinc Christus de Baptismo, qui est primus ac janua Sacramentorum omnium, ad homines viatores destinatum esse dixit: «*Ite docete omnes gentes...*» Deinde Sacramenta ad salutem animae ordinantur: atqui, ut ait Apostolus (1): *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis... Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus. Ergo dum tempus habemus operemur bonum.*

II.° Thesis intelligenda de adultis; infantes enim sicut in alio tantum peccaverunt, ita per alios salvari posse statuit Christus Dominus.

III.° Recolenda quae supra diximus (2) de intentione actuali, habituali, virtuali et interpretativa.

157. Prob. Innocentius III docet (3): eos characterem suscipere Sacramenti, qui «prius catechumeni extitissent et habuis»sent propositum baptizandi; unde tales in necessitatis articulo »consuevit Ecclesia baptizare», nempe etiamsi amentes sint vel dormientes. Id quoque statuerat Conc. Carthag. III, cap. 34; et Arausicanum I, c. 12.

Hinc Ecclesia prohibet (*Ritual. Rom.*) «Conferri Baptismum ei, »qui usum rationis habuit ante amentiam et numquam ostendit »voluntatem Baptismi.»

---

(1) II Cor. VI, 1, 2; Gal. VI, 9, 10. (2) Thes. XI; Schol. II, n. 115. —(3) Decret. tit. 42, c. 3, *Majores*.

Confir. Susceptio Sacramentorum est practica religionis Christianae professio: sed id postulat ut voluntarie fiat ab eo qui est volendi et eligendi capax: ergo.

Nota: diximus; excepta Eucharistia. Nam non perficitur in ipsa susceptione, sed habet esse permanens; ideo ab intentione subjecti pendere nequit.

158. Obj. 1.° Trident. Concilium et Florentinum requiri docuerunt intentionem ministri; nihil autem praescribunt de intentione suscipientis: ergo.

Resp. Conc. *ant.* et nego *conseq.* Nam docuerunt ea quae essentialiter et universim necessaria sunt: intentio autem solum in ratione utentibus essentialis existit.

Obj. 2.° Innocentius III (ibid.) statuit ac declarat, characterem suscipere christianitatis eum qui «terroribus atque sup»pliciis violenter attrahitur et Baptismi suscipit Sacramentum.» Quod et decrevit Conc. Toletan. IV; cogendos, nempe, ad fidem christianam tenendam judaeos, quos Sisebutus rex ad Baptismum coegerat; imo laudavit factum Sisebuti.

Resp. Explico: tum Innocentius, tum Tolet. Conc. agunt de coactione secundum quid, non vero absoluta excludente simpliciter consensum. Concilium autem laudavit zelum Regis, non autem factum; unde et mandavit, can. 57. «Nemini dein»ceps ad credendum vim inferre.»

159. Obj. 3.° Innocentius III (ibid.) solum exigit ad Sacramentum suscipiendum. «Obicem voluntatis contrariae non in»venire obsistentem:» ergo intentio positiva non requiritur.

Resp. Dist. Ita ut intelligat Innocentius voluntatem contrariam *positive*, quasi sola ponat obicem; negatur. Contrariam *negative*, quatenus haec excludit positivam voluntatem Sacramenti suscipiendi; conc. In hoc sensu locutum Pontificem ex contextu eruitur.

Obj. 4.° Augustinus ait (1): «Accipere Sacramentum potest nolens.»

Resp. Dist. Sacramentum Eucharistiae; conc. Alia Sacramenta; nego. vel subd. Nolens *positive;* nego. *Negative*, et id solum infantes; conc.

Obj. 5.° D. Thomas dicit (2), requiri intentionem in baptizato, «solum quasi *removens prohibens*, scilicet contrariam voluntatem.» Non opus est ergo intentione positiva.

Resp. Aliter loquitur in *Summa* (3), seu clarius, D. Thomas: «Requiritur voluntas qua intendat vitae novitatem, cujus princi-

(1) In Joan. Tract. 26.—(2) 4 Dist. 6, q, I. a. 2, q. 3.—(3) 3 p. q. 68, a. 7.

»pium est ipsa susceptio Sacramenti; et ideo ex parte baptizati »requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi Sacramentum.» Ex quibus intelligi possunt illa priora, nempe; non requiri intentionem *signatam*, seu explicitam, Sacramenti ut talis; sed sufficere implicitam et virtualem, seu *exercite* conceptam; puta, volo vivere, vel renasci in Christo.

Obj. 6.° Extrema-Unctio ministratur iis, qui nullam ejus significaverunt voluntatem: ergo.

Resp. Dist. *ant.* Nullam significaverunt signate et explicite; conc. Exercite, vel interpretative; nego. Supponit enim Ecclesia christianum habere hanc voluntatem, ut ei subveniatur spiritualiter iis mediis, quibus christiani adjuvantur; quo virtualiter intendit istud Sacramentum.

SCHOLION

160. Probabilius censendum sufficere intentionem habitualem, id est, prius conceptam nec postea retractatam.

Ita Valentia, Suarez, etc. Deducitur ex Carthag. III et Arausicano II Conciliis et aliis ecclesiasticis documentis, quibus docetur administrandum Baptismum, si antea fuerit petitum, licet postea fuerit sensibus aliquis destitutus.

In Matrimonio opus est intentione ita simpliciter voluntaria, ut non sit gravi timore per alium immisso concepta: in aliis autem Sacramentis non obstat ejusmodi coactio, dummodo sit consensus simpliciter. 1.m ex tractatu *de Matrimonio* supponimus: 2.m patet ex testimoniis supra (in obj. 2.ª) laudatis.

THESIS XIX

In subjecto Sacramentorum non est necessaria fides ad ea valide suscipienda, Sacramento excepto Poenitentiae.

161. I.ª Pars constat ex praxi Ecclesiae, quae Sacramenta in haeresi suscepta noluit reiterari, quod tamen fuisset necessarium nisi valida extitissent. Unde Augustinus (1): «Nec interest, cum »de Sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat ille »qui accipit Sacramentum... Fieri enim potest, ut homo integrum »habeat Sacramentum et perversam fidem.»

II.ª Pars elucet ex eo, quod actus aliqui supernaturales necessarii sint ad materiam Sacramenti Poenitentiae, nempe, dolor de peccatis etc. Atqui initium ejusmodi actuum supernaturalium est fides, ut declarat Trident. (2).

---

(1) *De Bapt.* l. 3, c. 14.—(2) Sess. VI, cap. 6.

Dices: etiam in Baptismo requiruntur quoad adultos dispositiones supernaturales, fidei, spei, etc.

R. Dist. ad fructuosam susceptionem requiruntur; conc. Ad validam; nego.

THESIS XX

Ad Sacramenta mortuorum fructuose suscipienda non requiritur status gratiae: per se autem requiritur ad Sacramenta vivorum; licet per accidens possint etiam primam causare gratiam.

162. **Nota** I.° Illa dicuntur Sacramenta *mortuorum*, quae a Christo sunt instituta pro mortuis morte peccati: *vivorum*, e contra, quae instituit D. Jesus Christus pro iis qui vita gratiae fruuntur. Priora sunt Baptismus ac Poenitentia: posteriora autem cetera Sacramenta.

II.° *Prima gratia* dicitur, quae non habenti datur: dicitur vero *secunda* quae gratiam prius acceptam adauget. Gratiam causat *per se* Sacramentum, quam ex adaequata significatione et primaria Christi intentione efficit: *per accidens* vero gratiam operatur, quae aliter ab ipso Sacramento procedit.

III.° Aliqui catholici, quibus consentiunt jansenistae, putarunt, numquam Sacramenta mortuorum conferre *primam gratiam*. Communis autem theologorum sententia tenet, ut certam doctrinam nostram.

163. I.ª Pars prob. Sacramenta mortuorum conferunt gratiam existentibus in peccato mortali: ergo conferunt gratiam primam, ideoque non praerequirunt statum gratiae. *Ant.* prob. a). Tum Baptismo, tum Poenitentiae Sacramento tribuitur remissio peccatorum: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (1). *Quorum remiseritis peccata...* (2). b). Gratiam conferunt Sacramenta omnibus sufficienter dispositis. Sed in peccato mortali existens potest sufficienter disponi ad Sacramenta mortuorum cum fructu suscipienda: ergo. *Min.* prob. Docet Trident. (3); peccatorem sufficienter disponi ad Sacramenta mortuorum per attritionem: sed cum attritione stat peccatum mortale; ergo.

164. Obj. Trident. Syn. docet (4), disponi peccatorem ad justificationem per Sacramentum, quatenus incipit diligere Deum. Sed dilectio Dei justificat; ergo.

---

(1) Act. II, 38.—(2) Jo. XX, 23.—(3) Sess. XIV, c. 4.—(4) Sess. VI, cap. 6.

Resp. Dist. *maj.* Incipit diligere Deum, ut bonum sibi, seu amore spei: conc. *maj.* Ita declarat ipsum Conc. «Incipit dili»gere Deum tanquam omnis justitiae fontem.» Diligere Deum propter se ipsum, seu amore charitatis: subd. Quatenus talis dispositio sit necessaria: nego; quia est valde conveniens, ac saepe occurrit; conc. Etenim inter illas dispositiones enumerat etiam aliquas, ex omnium consensu, non stricte necessarias.

165. II.ª Pars prob. De S. Eucharistia dicit Apost. (1): *Quicumque manducaverit... indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini: probet autem se ipsum homo:* quod, ut interpretatur Trident. (2), significat, nullum conscium peccati mortalis posse accedere ad hoc Sacramentum. Atqui par ratio urget pro reliquis Sacramentis vivorum: ergo. *Min.* prob. Reus est profanati Sacramenti, qui impedit effectum ejus. Sed qui conscius peccati suscipit Sacramentum vivorum, impedit ejus effectum: ergo. *Min.* patet. Nam Sacramenta vivorum instituta sunt ad gratiam augendam et perficiendam; ideoque *per se* supponunt subjectum gratia ornatum.

Confir. *Sancta sancte tractanda sunt.* Sed qui in peccato suscipit Sacramentum, quod institutum est a Christo pro justis, non illud sancte tractat: ergo. Ad rem faciunt quae supra diximus de sanctitate requisita in ministro Sacramentorum.

166. Obj. In statu peccati suscipiuntur Sacramenta mortuorum, nec tamen profanantur: ergo neque alia Sacramenta indigne tractantur cum in peccati conscientia suscipiuntur.

Resp. Nego *conseq.* et paritatem. Nam si suscipiens Sacramentum mortuorum debite dispositus accedat, ad gratiam per Sacramentum suscipiendam est dispositus: ergo multo magis ad ipsum Sacramentum, per quod gratia confertur, est dispositus; ideoque non tractat illud indigne. E contra, qui suscipit Sacramentum vivorum in mortali, est indispositus ad gratiam et ad ipsum Sacramentum quod frustatur.

167. III.ª Pars. prob.

Nota: Duplex est AA. sententia. 1.ª Vazquezii, Hugonis, etc. dicentium Sacramenta vivorum non causare primam gratiam: 2.ª D. Thomae, S. Bonaventurae, Suarezii, Valentiae, Arriaga, etc.

Ratio est: Sacramenta novae Legis conferunt gratiam omnibus non ponentibus obicem. Sed qui suscipit Sacramenta vivorum, bona fide putans se esse in statu gratiae, non ponit obicem susceptioni ejusdem: ergo. *Min.* Prob. Obex gratiae ponitur, quatenus, qui accedit ad Sacramentum non eo modo quo debet ad illud acci-

(1) I Cor. XI, 27, 28. – (2) Sess. XIII, c. 7.

piendum accedit: atqui bona fide existimans se justificatum, accedit ad Sacramentum eo modo quo debet: ergo.

Confir. Sacramentum Extremae Unctionis est vivorum: atqui bona fide a peccatore solum attrito susceptum, eum justificat, ut fatentur AA. primae sententiae. Ergo a pari et alia Sacramenta vivorum. Item, de Eucharistia ait D. Thomas (1): «Si aliquis, »facta diligenti discussione suae conscientiae, ad Corpus Christi »devote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod »cognitionem praeterfugiat: non peccat, imo magis ex vi Sacra»menti peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus »dicit in quodam sermone, quod quando Corpus Christi mandu ca»tur vivificat mortuos.» Atqui Eucharistia est Sacramentum vivorum: ergo pari ratione de ceteris idem dicendum.

168. Obj. Nequeunt Sacramenta conferre gratiam nisi rite dispositis. Sed dispositio ad Sacramenta vivorum est perfecta contritio, seu status gratiae: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Dispositis dispositione, quae talis sit *per se*, vel *per accidens;* conc. *Per se* exclusive, seu praecise; nego. Eodem modo dist. *min.* et nego *conseq.* Sane dispositio *per se* requisita est contritio perfecta, per accidens autem etiam est sufficiens dispositio illa attritio, quam quis existimat invincibiliter contritionem.

THESIS XXI

Qui ad Sacramenta haud rite dispositi accedunt, eorum fructum non participant et mortaliter peccant.

169. Prob. ex Trident. In Sess. VII, can. 6, definit, Sacramenta gratiam conferre *non ponentibus obicem:* et in can. 7. «Sem»per et omnibus, quantum est ex parte Dei, dari gratiam per Sacra»menta, si rite ea suscipiant.» Agens autem de Eucharistia ait: «Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et con»demnationem sumatur; statuit...» Sic et Augustinus (2): «Sacramenta prosunt digne sumentibus.» «Fateantur vero Baptis»mo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri.»

Indispositum autem accedere, ita ut effectus impediatur Sacramenti, esse inordinationem gravem patet ex ipsa rei gravitate. Sunt enim Sacramenta divinae operationes, quibus sanguinis Chris-

---

(1) 4 Dist. 9, q. 1, a. 3, q. 2.- (2) *Contr. Ep. Parmen.* l. 2, 22. et *de Bapt.* l. 1, c. 12.

ti merita ad nos perveniunt. Jam vero res adeo sanctas et divinas ficte et frustranee et contra Christi institutum exercere. Dei contemptum importat ac grave sacrilegium. Unde Augustinus (1): «Omnia Sacramenta Christi non ad salutem, sed ad judicium habentur sine charitate unitatis Christi: scilicet, quia omnis schismaticus indispositus est ad Sacramenta suscipienda.

170. Obj. Infantes fructuose suscipiunt Sacramenta: atqui nullam ad eam exhibent dispositionem; ergo.

Resp. Dist. *min.* Dispositionem actualem, seu adultorum propriam; conc. *min.* Habitualem, seu qualem eorum decet statum: nego. Cum enim ratione carentes ad Dei cultum et propriam salutem nequeant per se ipsos ordinari actu, Dei ordinatione et Ecclesiae ministerio ad Sacramentum Baptismi ordinantur et disponuntur, et per Baptismum ad cetera Sacramenta.

THESIS XXII

Saltem aliqua Sacramenta, ablato obice, reviviscunt; seu fructum quo prius, licet valida caruerunt, obtinent.

171. **Nota** 1.° Saepe accidit ut Sacramenta suscipiantur quidem valide, quia nihil ad essentiam eorum spectans defuerit; tamen defectu dispositionis non accipit subjectum sacramentalem gratiam. Ex perpetua et universali Ecclesiae consuetudine hoc patet: non enim unquam iterat ea Sacramenta quae quis indispositus suscepit; puta Baptismum, Ordinem, Matrimonium, etc.

II. Non paucae in hac re sunt sententiae. 1.ª docet nullum Sacramentum, neque Baptismum, gratiam causare, sublata fictione, seu impedimento. Ita Scotus, Adrianus, Vazquez, etc.

2.ª Opinio est quod solum Baptisma reviviscat: id tradit Sotus, et Vazquez hypothetice ait (2), quod si alicui Sacramento haec virtus tribuatur, ad solum spectat Baptismum.

3.ª Affirmat de Sacramentis, quae imprimunt characterem, de ceteris autem negat.

4.ª Reviviscere putat omnia Sacramenta, praeter Eucharistiam: Suarez, Lugo et alii ita judicant.

5.ª Defendit omnia Sacramenta, sublato obice, reviviscere: ita D. Thomas, Arriaga, aliique Theologi.

III. Thesis, prout a nobis posita est, communiter a Theologis defenditur.

---

(1) *Contr. Litt. Petil.* l. 3, c. 40.—(2) D. 161, cap. 11.

172. Prob. 1.° ex S. Augustino (1): «Qui Baptisma Chris»ti... in aliqua haeresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere »peccata ejus non dimittebantur; cum se correxerit et ad Ecclesiae »societatem venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei pace »praestatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate jam »prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate pro»desse non poterat.» S. Thomas (2): «Quando aliquis baptiza»tur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium »effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur au»tem quandoque per fictionem. Unde oportet, quod remota ea per »poenitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum. De poenitente peccata sua sacerdoti confitente ait D. Thomas (3): «Quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen rece»dente fictione, percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis.»

173. 2.° Causa extrinsece tantum impedita, sublato impedimento, agit. Sed Sacramenta valida nonnisi extrincese propter obicem subjecti impediuntur: ergo, sublato obice, Sacramenta effectum suum operantur.

3.° Sacramentum validum est opus Christi ejus sanguine dignificatum ad sanctificandum; sed non decet manere vacuum et inane tale opus, ubi nullum est impedimentum; ergo.

4.° Si Sacramenta quae iterari nequeunt non reviviscunt, dicendum est plurimos christianos sacramentali carere fructu. Sed id minus decet divinam bonitatem et Sacramentorum scopum, qui est in diversis vitae hujus statibus saluti animarum providere: ergo.

174. Obj. 1.° Sacramenta significant tantum effectum praesentem: «*Ego te baptizo... Te absolvo...*» Atqui efficiunt quod significant; ergo non efficiunt nisi de praesenti, ideoque nunquam reviviscunt.

Resp. Dist. *maj.* Praesentem physice vel moraliter; conc. Tantum praesentem physice; nego. Cum enim Sacramentorum efficacia sit etiam moralis, quatenus Deo propter Christum grata sunt et accepta; semper ante divinam acceptationem, cum semel fuerunt administrata, praesentia existunt: unde quod de praesenti significant respicit quoque illum effectum quem, ablato obice, habebunt.

Obj. 2.° D. Thomas (4) repetit reviviscentiam Baptismi ex eo, quod imprimat characterem, et hinc solvit objectionem istam: Eucharistia non reviviscit, ergo neque Baptismus. Ergo censet sola Sacramenta imprimentia characterem reviviscere.

Resp. Nego *consequent.* Nam, ut supra vidimus, explicite docet

---

(1) *De Bapt.* l. 1, c. 12.—(2) 3, p. q. 69, a. 10. (3) 4 Dis. 17, q. 3, a. 4, q. 1. —(4) 4 Dist. 4, q. 3, a. 2, q. 3.

S. D. Poenitentiam et cetera Sacramenta reviviscere. Hic ergo solum ostendit non dari in objecta dificultate paritatem: quia in Baptismo, ratione characteris, est peculiaris ratio ut reviviscat, licet non sit unica.

APPENDIX

De Sacramentalibus

THESIS XXIII

Dantur in Ecclesia Catholica Sacramentalia, seu ritus sacri ad Sacramenta analogiam vel ordinem aliquem habentia, laudabiliter ab Ecclesia instituta.

175. **Nota.** I. Ritus illi sacri qui non sunt Sacramenta, sed signa quaedam Sacra ad Dei externum cultum, vel Sacramentorum ministrationem pertinentia, dicuntur Sacramentalia. Praecipua, quae a Theologis adnumerantur, sunt: Aqua benedicta, Panis benedictus, Confessio generalis, Tunsio pectoris, Eleemosyna, Benedictio episcopalis, imo et cujuscumque Sacerdotis et Oratio dominica.

II. Protestantes magno odio prosequuntur Ecclesiae Sacramentalia. Nempe cum ad pietatem fovendam multum ejusmodi caeremoniae referant, qui ipsa Sacramenta delere conati sunt, eodem impietatis furore in omnia Sacramentalia debacchantur.

176. Thesis fide constat. Prob. 1.° Trid. (1) definit: «Si quis »dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in so»lemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut »contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in »novos alios per quemcumque alium Ecclesiae Pastorem mutari »posse; anath. sit.»

Martinus V jussit, suspectos errorum Wicleff et Hus interrogari: «Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens »ritum Ecclesiae, caeremonias exorcismi et catechismi, et aquae »Baptismatis consecratae, peccet mortaliter.»

177. 2.° Christus D. caeremonias ad Dei cultum, vel ad super-

(1) Ses. VI, can. 13.

naturales operationes, adhibuit: ergo pie et laudabiliter Ecclesia praescriptis caeremoniis Deum colit et Sacramenta administrat. *Ant.* patet. Oravit Christus ad Patrem flexis genibus et procidens in faciem suam: dum Eucharistiam consecraret, panes multiplicaret, mortuos suscitaret, gratias agebat, benedicebat, oculos in coelum elevabat. Caecum sanavit oculos ejus tangens, luto ex saliva confecto liniens. Muto loquelam, surdo auditum dedit digito salivam in linguam et aures immittens. Insuflavit in discipulos ut daret illis Spiritum Sanctum, etc.

3.° Apostolos etiam aliquos instituisse ritus testantur antiquiores Patres, ut Epiphanius, qui ad finem librorum de *haeresibus*, multos enumerat vel ab Apostolis acceptos, vel ab Ecclesia probatos; ut jejunia, psalmodias, genuflexiones, pro mortuis preces, etc. Caeremonias usitatas ab Apostolis fuisse testantur Scripturae. In Actibus Apostolorum legimus: *Jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*, Paulum, nempe, et Barnabam (1). Item abstinere a sanguine et suffocato, praescripsit Concilium Apost. (2). Paulus etiam (3). *Positis genibus suis oravit cum omnibus illis*, id est, congregata Ecclesia.

178. 4.° Augustinus (4) ait: Dominus non praecepit, quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, ut Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, servaret hunc locum.

Patres Conc. Mogunt. (a. 1459) decreverunt: «Similiter et »reliquas caeremonias, quae aut in cultu divino ornatum augent, »aut mentes hominum, ad pias et utiles cogitationes excitare pos»sunt, diligenter retinendas censemus; praesertim eas, quae ex »multa antiquitate profectas, et per universam Ecclesiam observa»tas quasi per manus traditas accepimus. Quales sunt quae in ad»ministratione Sacramentorum adhiberi consueverunt.... etc.

5.° Rationes, quibus caeremoniarum commendatur utilitas, vide supra, ubi de existentia Sacramentorum (5).

SCHOLIA

179. I. Sacramentalia rem aliquam sacram significant cultum Dei directe promoventem, vel spiritualem fidelium profectum. Sic tunsio pectoris internum cordis dolorem, et peccatorum malitiam innuit: Aqua benedicta, gratiam Spiritus Sancti, qua anima mundatur et salubriter refrigeratur: Panis benedictus, Dei benignita-

(1) Act. XIII, 3.—(2) Act. XV, 29.—(3) Act. XX, 36.—(4) Ep. 118. c. 6.—(5) Th. 1.ª

tem e qua omnis tum mentis tum corporis refectio procedit: Genuflexiones. Dei celsitudinem, et debitam nostram subjectionem, etc.

II. Ex Ecclesiae precibus annectuntur singulis Sacramentalibus ab ea institutis proprii effectus, prout in orationibus indicantur quibus illa benedicuntur. Ejusmodi effectus cum procedant ex Ecclesiae impetratione, usum consequuntur Sacramentalium, non absolute et infallibiliter, sed quatenus bono animarum expediat, secundum propriam orationis efficaciam.

III. Plures adnumerantur Sacramentalium effectus. 1. Effectus est gratiae incrementum. 2. Peculiaria auxilia gratiae. 3. Remissio venialium. 4. Condonatio poenae peccatis debitae. 5. Fugatio et cohibitio daemonis. 6. Aliquae temporales utilitates, ut salus corporis, dissipatio tempestatum, fructuum terrae tuitio, etc.

THESIS XXIV

Venialia Sacramentalibus remittuntur, quatenus auxilia usu illorum impetrata ad poenitentiam nos disponunt et excitant, propter quam Deus illa condonat.

180. **Nota.** Triplex est de hac re sententia 1.ª Soti, Valentiae, Cajetani, et aliorum, quos refert Suarez, dicentium remitti immediate et ex opere operato venialia usu Sacramentalium. Tamen aliqui dicunt requiri aliquam attritionem. S. Bonaventura docet, sufficere ut usus Sacramentalium informetur affectu aliquo devotionis; alii autem cum Soto et Cano censent remitti venialia, dummodo is qui pie utitur Sacramentalibus non complaceat in suis culpis.

2.ª Opinio eorum est, qui docent Sacramentalia ex opere operato remittere peccata, dummodo eorum usum comitetur contritio perfecta vel actus charitatis: ita Salmanticenses cum aliis, quibus favere videtur D. Thomas. Verum si eo modo venialia per Sacramentalia remittuntur, potiori jure dicenda essent remittere peccata mortalia: plus enim, certiusque excludit ac remittit mortalia quam venialia contritio perfecta. Deinde altiorem dispositionem postularet usus Sacramentalium ad venialia remittenda quam Sacramentorum ad mortalia; quod incredibile videbitur; ideo enim venialia sic appellantur quia faciliorem assequuntur veniam. Jam vero contritio perfecta hominibus, communiter imperfectis, difficilior evadit quam atritio.

3.ª Igitur sententia magis probanda defenditur a Suarez, Vazquez, Lugo et pluribus aliis; quod Sacramentalia non remittant peccata levia ex opere operato, sed mediate et extrinseca

Dei condonatione: quatenus intuitu pii usus Sacramentalium et orationum Ecclesiae confert Deus auxilia specialia, quibus actus formales vel virtuales contritionis vel attritionis eliciuntur, propter quos condonantur a Deo venialia peccata.

181. Prob. 1.° Non remitti in primis venialia ex opere operato per Sacramentalia fatendum est, nisi probetur tanta Sacramentalium virtus; sed non probatur: ergo. *Minor*. patet: nam neque ex se ipsis habent Sacramentalia talem virtutem; neque ex Ecclesiae institutione dici potest eam habere; quia nullibi docemur accepisse hanc potestatem Ecclesiam, alligandi, nempe, virtutem remissivam venialium rebus sensibilibus: ergo.

2.° Aliunde certum est communi theologorum sententia, usu Sacramentalium peccata levia condonari; ergo dicendum est remitti mediate et ex opere operantis, quatenus auxilia nobis collata intuitu Sacramentalium nos movent ad talem poenitentiam, ut Deus placatus venialia remittat.

182. Dices: videtur ad remissionem venialium non requiri poenitentiam; dicit enim Augustinus (1): «Delet omnino haec »oratio (Dominica) minima et quotidiana peccata. Delet et illa a »quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed poenitendo in me»lius immutata discedit.» Ergo.

Resp. Concedo Augustini sententiam, et nego *consequentiam*. Non enim excludit poenitentiam a remissione venialium: ideo autem ad remissionem mortalium eam explicite requiri dixit, quia majori opus est poenitentia, et quidem illa extrinseca quae clavibus dispensatur Ecclesiae. Eatenus enim oratione dominica mortalium indulgentiam impetramus, quatenus re ipsa, vel saltem voto, eam perfectiorem et difficiliorem adhibemus poenitentiam.

SCHOLION

183. Non est confundenda remissio poenarum, quam praestat Ecclesia ope Indulgentiarum, cum remissione venialium per Sacramentalium usum concessa. Illa quidem fit ex opere operato, cum acceperit Ecclesia potestatem in thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum; nulla etiam opus est retractatione, sed sola solutione ad satisfaciendum pro poenis. Culpa autem postulat natura sua retractationem congruam ut remittatur, et ad eam concipiendam Sacramentalibus ducimur.

---

(1) *Enchir.* c. 71.

DISQUISITIO II.

De Sacramento Baptismi.

PROOEMIUM.

Christus... his qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi (1).

De hoc primo et mirabili, prout temporis augustiae patiantur, agemus Sacramento, quod janua dicitur ceterorum Sacramentorum. Quam autem sit praecellens colligi potest ex signis quibus illud Deus praefigurari voluit. S. Petrus significatum docet in illa Arca, qua cum Noe totum genus hominum fuit ab universali ruina liberatum: Paulus autem (2) typum Baptismi fuisse declarat, *Nubem* illam ac *Mare* quibus Moyses populum illum baptizavit, id est, a tyrannide Aegiptiorum eduxit: *Omnes in* Moyse (εἰς τὸν Μωσην, per Moysen) *baptizati sunt, in nube et in mari*. Sicut enim Israel, ducente Moyse, obumbrante nube, sinum aperiente mare, cum servus esset Pharaonis, factus fuit populus Dei: sic obumbrante Spiritu Sancto, baptizante Christo, aqua mundante, a diabolo liberamur ac filii Dei efficimur, peccatis mortui ut renati justitia vivamus. Alias praetermittimus Baptismi figuras, quas SS. Patres expendunt: ut Jordanis fluminis conversio, quam exponit S. Ambrosius: Circumcisio, prout explicat Optatus, etc. Illud meminisse sufficiat, Christum D. baptizari voluisse ut aquas nostri Baptismatis consecraret, sicut passim exponunt Patres cum Nazianzeno (3): «Joannes baptizat et ac»cedit Jesus, sanctificans quidem et ipsum qui baptizat, praecipue »tamen ut et veterem Adam sepeliat in aquis... Ascendit Jesus »de aquis, secum quodammodo demersum educens et elevans

(1) I Petri, III, 19-21.—(2) I Cor. X, 2.—(3) Orat in S. *Luminaria*.

»mundum.» Et Hieronymus (1): «Salvator accepit Baptismum, »ut Jordanis aquas sanctificans, per descensionem columbae Spiri»tus Sancti in lavacro credentium monstraret adventum.»

PARTITIO GENERALIS.

Caput I. De existentia Baptismi et ejusdem effectibus.
— II. De natura Baptismi.
— III. De unitate et definitione Baptismi.
— IV. De necessitate Baptismi.
— V. De Baptismi ministro.
— VI. De subjecto Baptismi.

CAPUT I.

De Existentia Baptismi et ejusdem effectibus.

ARTICULUS I.

De Baptismi existentia.

THESIS I.

Datur in Ecclesia Baptismus a Christo institutus.

Nota 1.° *Baptismus* a voce graeca Βαπτίζω dicitur, quae immergere in aqua significat: Βαπτισμός autem immersionem seu lavacrum. Pluribus aliis nominibus SS. Patres Baptismum vocant, aliquam ejus significantes excellentiam. Diversa ejusmodi nomina explicant Nazianzenus (2), Basilius (3), Chrysostomus (4), etc. Sic ex. gr. vocatur: *Gratia, Donum, Illuminatio, Signaculum, Regeneratio, Praesidium, Coeli iter, Regni coelestis Conciliatio, Adoptio,* etc.

II. Baptismum intelligimus nunc lavacrum in aqua sub praescripta verborum forma ad sanctificationem aliquam ordinatum. Exposita deinde ejusdem natura, elucebit quae sit Baptismi definitio physica et metaphysica.

III. Thesis est de fide catholica; quam paucis exceptis veteribus quibusdam haereticis, qui a Malo Principio dixerunt profluere Bap-

(1) In Matth.—(2) Hom. 40.—(3) Exhort. ab bapt. Hom. 13.—(4) Hom. ad baptizandos.

tismum, ut Gnostici. (1) Valentiniani, etc.; et nonnullis apostatis ac rationalistis recentibus, qui omnem e revelatione ortam veritatem rejiciunt: ceteri omnes, etiam haeretici et schismatici, retinuerunt.

2. I.ª Pars evidenter patet. 1.° SS. Scripturae testantur passim. Petrus Judaeis rogantibus (2): *Quid faciemus, viri fratres?* respondit: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.*» Et Paulus (3): *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Et iterum (4). Accedamus cum vero corde in plenitudinem fidei, aspersi corde a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.

2.° In symbolo fidei Constantinopolitano dicit Ecclesia: «Confi»teor unum Baptisma in remissionem peccatorum.»

3. 3.° Gelasius Cycicenus (5) refert hunc canonem Conc. Nicaeni: «Baptisma nostrum non oculis corporis con»siderandum est sed mentis. Aquam vides: considera virtutem Dei »in aquis latentem. Per sacram invocationem plenas sanctificatio»ne Spiritus et ignis divini aquas considera.» S. Athanasius (6) quam intime spectet ad Ecclesiam Baptismus docet: «In»super sanctum Baptisma in quo totius fidei nostrae posita est »constitutio, non in Verbum, sed in Patrem et Filium et Spiritum »Sanctum datur.» Origenes autem, prout refert ipse Athanasius (7), ait: «In rationabilibus continentur catechumeni et »ethnici... Spiritus vero sanctus in iis solis est, qui sui participes »effecti sunt in Baptismatis collatione.» Hieronymus (8): «Pro »superioribus victimis et holocaustis... Evangelii mihi placet reli»gio: ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regeneratio»nis. quod solum potest peccata dimittere. Nisi enim quis renatus ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum.

4. II.ª Pars prob. 1.° Patet ex dictis supra (9), Christum D. instituisse Baptismum.

2.° Ipse Dominus dixit (10): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto non potest introire in regnum Dei.* Et iterum (11). *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.*

5. 3.° Athanasius a Christo institutum Baptismum certo praesupponit: «Nostrae quoque fidei caput (Baptismus, scil.) eodem

---

(1) Irenae. L. 1, c. 21.—(2) Act. II, 37, 38.—(3) Ad Eph. V, 25, 26.—(4) Hebr. X, 22.—(5) L. 3, c. 31.—(6) Orat. 4, *contr. Arian.* n. 21.—(7) Ep. 4 ad Serep. n. 9.—(8) In Isai. c. 1.—(9) De Sacr. Disq. I, thes. XIII.—(10) Jo. III, 5.—(11) Math. XXVIII, 19.

»voluit spectare. Nec enim nos in nomine Non-facti et Facti, vel in »nomine Non-creati et Creati baptizari jussit; sed in nomine Patris »et Filii et Spiritus Sancti.» Ambrosius autem (1): «Non me»rita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita »spectes... Petri quoque merita spectato, et Pauli qui ac»ceptum a Domino Jesu hoc nobis mysterium (Baptisma) tradide»runt.» Et Hieronymus (2): «Latus Christi percutitur lancea, »et Baptismi atque martyrii pariter Sacramenta funduntur. Mittit »Apostolos ad Gentes et praecipit eis, ut baptizent eos in mysterio »Trinitatis.» S. Gregorius. Nys. (3) ostendit: «Idem non »esse baptisma Joannis cum eo quod a Salvatore nostro Chris»to factum est... Quemadmodum lex mosaica umbram habere di»citur futurorum bonorum, non veram ipsam rerum imaginem, »ita quoque de baptismate illo in poenitentiam censendum est.» Et rursum (4): «Lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mix»tus scaturiit; quod eulogiae mysticae et sancti Baptismatis imago »quaedam erat atque primitiae. Christi enim est vere et a Christo »sanctum Baptisma, et mysticae eulogiae vis ex sancta nobis carne »prodiit.»

6. Obj. Ante Christum judaei baptismo utebantur, et prius quam baptizaret Christus, baptizabat Joannes, a quo et baptizatus Christus ipse. Ergo non est a Christo institutus Baptismus.

Resp. Dist. *ant.* Baptismo utebantur judaei et Joannes baptizabat, sub eadem significatione et efficacia, qua baptizavit Christus: nego *ant.* Sub diversa significatione et effectu; conc. *ant.* ac nego *conseq.*

Inst. Baptizavit Joannes in remissionem peccatorum (5); sed non aliud efficiebat Christi Baptismus (6); ergo eadem erat vis et significatio.

Resp. Dist. *maj.* Baptizavit Joannes in remissionem peccatorum, virtute ipsius baptismatis; nego *maj.* Virtute poenitentiae, quam significabat baptismus ille; conc. E contra: Baptismus Christi gratiam effundebat Spiritus Sancti ut testatus est Joannes (7); *Ego quidem aqua baptizo vos; ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Praeter ipsam verborum formam Baptismi Christi, in effectu etiam disparem fuisse a baptismo Joannis definivit Trident. Concilium (8): «Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse »eamdem vim cum Baptismo Christi: anath. sit.»

---

(1) De *myst.* c. 5.—(2) Ep. 69 ad *Ocean.* n. 6.—(3) In Jo. III, 24.—(4) Ibidem XII, 32.—(5) Luc. III, 3.—(6) Act. II, 38.—(7) Luc. III, 16.—(8) Sess. VII, c. 1, de *Bapt.*

SCHOLION.

De institutionis tempore.

7. Quo tempore institutus fuerit a Christo D. Baptismus, inquirunt theologi, nec una illorum est sententia.

Aliqui dicunt institutum fuisse post Passionem; dicente Domino: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos...* Haec est opinio Leonis P. M. (1), Alens. etc. et probabilem dicit Cano. Alii sentiunt ante Passionem extitisse Baptismum Christi, non tamen in Jordane, sed post fuisse institutum. Ita Sotus, Coninch, etc. Estius, cum aliis, putat, tunc fuisse statutum, cum dixit Dominus Nicodemo: *Nisi quis rēnatus fuerit ex aqua...* (2).

8. Magister Sent. D. Thomas (3), Suarez, Bellarminus, etc. ajunt instituisse Christum Baptisma, cum baptizatus est in Jordane: necessitatem autem ejusdem statutam post Resurrectionem. Hanc communiter tenent sententiam theologi, et docet Catechismus Conc. Trid. (4).

9. Confirm. SS. Patrum testimoniis. S. Hilarius (5): «Non »ille necessitatem habuit abluendi: sed per illum in aquis ablutio»nis nostrae erat sanctificanda purgatio... Atque ita et Prophetae »testimonio lavacro non eget, et exempli sui auctoritate humanae »salutis sacramenta consummat: hominem et assumptionem sanc»tificat et lavacro.» S. Ambrosius (6): «Baptizatus est ergo »Dominus non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutae per »carnem Christi, quae peccatum non cognovit, Baptismatis jus »haberent,» S. Gregor. Naz. (7): Baptizatus (Christus) quidem est ut homo; «sed peccata sustulit ut Deus: non quod lus»trationibus indigeret, sed ut aquis ipsis sanctitatem afferret.» Et »rursus: «Baptizat Joannes, Jesus accedit: forsan quidem ut »ipsum quoque, a quo baptizatur, sanctificet: procul dubio autem, »ut totum veterem Adam in aquis sepeliat, ante hos et propter hos »Jordanem sanctificans.» S. Hieronymus (8), ideo Dominum baptizari voluisse docet. «Ut Jordanis aquas sanctificans, »per descensionem columbae, Spiritus Sancti in lavacro creden»tium monstraret adventum.» S. Augstinus (9) ait: Venie«bat Dominus (ad Joannem) ad commendandam etiam in

---

(1) Ep. 16, c. 3, edit fr. Ball —(2) Jo. III, 5.—(3) 4 Dist. 3, q. 1, a. 5.—(4) De Bap. n. 20 et 21.—(5) In Matth. 2, n. 5.—(6) In Luc. II, c. ult. n. 83.—(7) Or. 29, n. 20. Et or. 39, n. 5.—(8) In Matth. 3.—(9) Serm. 293, 12.

»Baptismo humilitatem, ad ipsius Sacramenti consecrationem.» S. Damascenus (1): «Baptizatus est... ut Baptismum sanc»tificaret, ut semet suscipiendi Baptismi formam et exemplum »praeberet.»

V. Beda (2) ait: «Aquas ablutas per carnem Christi, peccati »nesciam, Baptismi jus induisse, et vim regenerativae sanctifica»tionis concepisse.» Vide quoque Epiphanium, in *Expositione fidei* eamdem tradentem doctrinam (3).

ARTICULUS II.

De Baptismi effectibus.

THESIS II.

Per Baptismum peccatum omne, tum originale tum actuale remittitur, ac gratia infunditur. Est fide certum.

10. I. Pars prob. 1.° Tridentinum (4) definivit: «Si quis »per Jesu Christi gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum »originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum »id, quod veram et propriam peccati rationem habet; aut illud di»cit tantum radi aut non imputari; anathema sit. In renatis enim »nihil odit Deus, quia nihil est damnationis.» Et Conc. Milevit. II. (a. 418), can. 2. «Etiam parvuli, qui nihil peccatorum »in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum »remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mun»detur, quod generatione traxerunt.»

2.° S. Petrus (5) dixit Judaeis: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ananias, a Domino missus, dixit Paulo (6): *Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine Jesu.* Apostolus ait (7): *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?... Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato: qui enim mortuus est, justificatus est a peccato.*»

11. 3.° Tertullianus (8): «Felix Sacramentum aquae nos»trae, qua abluti delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam li-

---

(1) L. 4, *de fide*, c. 9.—(2) In Luc. l. 1, c. 10.—(3) *Adv. Haeres.* ad finem.—(4) Sess. V, can. 5.—(5) Act. II, 38.—(6) Ibid. XXII, 16.—(7) Rom. VI, 3, 6, 7.—(8) De *Bapt.* c. 1.

»beramur.» Athanasius (1): «Est ingens inter haec discrimen »(inter Poenitentiam et Baptismum). Is enim quem poenitet, pec- »care quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem »baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur, superne geni- »tus Spiritus gratia.» Ambrosius (2): «Aqua est ergo qua »caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum. Sepelitur his »omne flagitium.»

Ita passim SS. Patres. Vide praeterea laudatos in scholio praece- dentis theseos: ajunt enim aquas vim sanctificandi a Baptismo Domini imbibisse.

12. II.ª Pars. Patet 1.° ex can. laudato Trid.

2.° Paulus (3) ait: *Abluti estis, sanctificati estis, justifica- ti estis.* Iustificatio autem fit per gratiae infusionem, ut docet Trident. (4), et supponimus ex tract. de *Gratia.*

13. 3.° Athanasius, in verbis citatis, aperte confirmat. Item Hieronymus et Beda in scholio praecedenti. Na- zianzenus, (5) pulchre donum gratiae describit: «Baptismus »splendor est animarum... Spiritus assectatio, Verbi participatio, »peccati diluvium, lucis communicatio, mentis perfectio, vitae »commutatio... Baptismus, omnium Dei beneficiorum praeclarissi- »mum est et praestantissimum... omnes alias illuminationes sanc- »titate superat.» S. Cyrillus Hier. (6) utramque theseos partem confirmat: «Descendis in aquam ferens peccata, sed gratiae »invocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo »illi submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, et ascen- »dis vivificatus in justitia.»

14. Dices: gratiam per Baptismum infundi parvulis, ut rem du- biam et controversam tradit Innocentius III, cap. *Majores.* Ergo incertum quoque videtur, quod adultis gratia infundatur vir- tute propria Baptismi; id enim solum eveniet ex dispositione sub- jecti, seu ex opere operantis. Confir. Clemens V, clementa 1. *De summa Trinitate,* dicit quoque meram opinionem, licet pro- babiliorem, esse, «Tam parvulis quam adultis conferri in Baptismo »informantem gratiam.»

Resp. Concedo inter antiquos scholasticos id fuisse controver- sum, et noluisse Pontifices illos rem definire. Cum autem postea Conc. Florentinum et Tridentinum de effectu Sacra- mentorum, et ipsius Baptismi singulariter doctrinam catholicam clarius definiverint, nullus praedictae dubitationi locus amplius subest. Parvuli enim vere justificantur in Baptismo, ut ex (7)

---

(1) Ep. ad *Serap.* 4, n. 13.—(2) De *Mys.* c. 3.—(3) I Cor. VI, 11.— (4) Sess. VI, c. 7.—(5) Or. 40, 3.—(6) Catech. 3.—(7) Sess. V, can. 3, 4.

Trident. patet: justificatio autem efficitur formaliter per gratiae infusionem, ut idem Conc. (1) docuit.

THESIS III.

Per Baptismum remittuntur poenae omnes peccatis debitae, spiritualis infunditur character, et jus conceditur ad auxilia gratiae specialia pro christiana vita ducenda.

15. I.ª Pars prob. quam tenent AA. omnes, et est doctrina catholica, licet non explicitis verbis definita.

1.° Trident. docet (2): «In renatis nihil odit Deus; quia ni»hil damnationis est iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per »Baptismum in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coe»li remoretur.» Atqui poenae ex odio peccati infliguntur, et ad damnationem spectant, et impediunt ingressum coelorum: ergo. Confir. Idem Conc. (3) ait: «Docendum est, christiani hominis poe»nitentiam post lapsum multo aliam esse a Baptismate; eaque »contineri... etiam satisfactionem per jejunia, eleemosynas... pro »poena temporali, quae ut, sacrae Litterae docent, non tota semper, »ut in Baptismo fit, dimittitur illis...» Pariter Florentinum, in Decreto pro *Arm.* ait: «Hujus Sacramenti effectus est remissio »omnis culpae... omnis quoque poenae, quae pro culpis debetur; »propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est »satisfactio.»

16. 2.° Argumentatur Cathechismus Rom. ex verbis Apostoli (4): *In morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem... vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Atqui si poenae peccatis debitae perferri post Baptismum deberent, vetus homo non esset omnino mortuus, nec corpus peccati totaliter destructum: ergo.

17. 3.° Gregor. Naz. (5) dicit: «Praestat secunda purga»tione minime indigere, verum in prima (Baptismi) consistere, »quae omnibus communis est et labore vacua... Grave enim est »facilioris medicinae loco, difficiliorem, et molestiorem adhibere, »ac projecta misericordiae gratia, suppliciis se ipsum obnoxium »reddere. Quantam enim lacrymarum vim impendemus, ut ea cum »Baptismi fonte exaequari possit? Tertullianus (6): «Que»madmodum post aquas diluvii, post baptismum mundi pacem coe»lestis irae praeco columba terris adnunciavit, dimissa ex arca et

(1) Sess. VI, c. 7.—(2) Sess. V. can. 5.—(3) Sess. VII, c. 14.—(4) Rom. VI, 3, 4, 6.—(5) Or. 40, n. 8.—(6) De *Bapt.* 8.

»cum olea reversa...; eadem etiam dispositione spiritualis effectus, »terrae, id est, carni nostrae, emergenti de lavacro post vetera de»licta, columba Spiritus Sancti advolat pacem Dei adferens emissa »de coelis.» Jam vero, dum divinae justitiae non est satisfactum, pacem non esse perfectam, patet.

18. II.ª Pars, quae ex fide constat, probata est supra, ubi de Sacramentis in genere (1).

III.ª Pars similiter ibidem (2) ostensa fuit. Confir. Per Baptismum Christo incorporamur ac conjungimur, ejusque populus efficimur. Sed ideo Christo unimur ut ejus vitam ac virtutes imitemur quod fieri nequit sine gratiae auxiliis: ergo jus ad haec auxilia per Baptismum confertur. *Maj.* elucet passim in SS. Litteris. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu: quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis* (3). Et S. Petrus (4): *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. Min.* patet iisdem testimoniis.

19. Obj. 1. Poena sequitur culpam: ergo nequit peccator poenis alienis pro suis culpis satisfacere.

Resp. Dist. *ant.* Per se et non remissa culpa, poena sequitur culpam; conc. Remissa culpa: subdist. Si non intercedat condonatio vel commutatio: conc. *ant.* Alias: nego. *ant.* Pariter dist. *conseq.* Per se et non remissa culpa, nequit peccator alienis poenis satisfacere: conc. Remissa culpa: subd. Si non insit moralis unitas inter peccatorem et satisfacientem pro illo: conc. *conseq.* Aliter: nego. «Poena passionis Christi, ait D. Th. (5), communicatur bap»tizato, in quantum fit membrum Christi.»

20. Obj. 2.° Aerumnae praesentis vitae sunt poenae peccati. Sed manent post Baptismum: ergo non remittuntur omnes poenae.

Resp. Dist. *maj.* Sunt poenae peccati solum; nego. Sunt etiam defectus consequentes naturam, justitia originali destitutam: conc. *maj.* Et Dist. *minor.* Manent quatenus habent rationem damnationis; nego *min.* Manent aliis de causis et ad tempus: conc.

Manent scilicet vitae poenalitates *ad agonem* et *meritum*, ut docet Tridentinum (6): item, ut Christo capiti conformemur, qui cum esset innocens poenalitates nostras suscepit; *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (7). Denique, ait D. Thomas (ibid. a. 3): «ne Baptismum suscipiamus propter impassibilitatem prae»sentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae.»

. (1) Disq. I, Thesis VI.—(2) Thesis V.—(3) Gal. III, 26 et 27.—(4) I Petr. II, 9, 10.—(5) 3 p. q. 69 a. 2, ad 1.—(6) Sess. V, can. 5.—(7) Rom. VIII, 17.

CAPUT II.

De Natura Baptismi.

ARTICULUS I.

De Natura Baptismi generatim sumpta.

THESIS IV.

Baptismus est Novae Legis sacramentum.

Thesis est de fide catholica, seu explicite definita.

21. Prob. 1.° ex Tridentino (1) definiente, Baptismum «esse vere et proprie Sacramentum.» Ex Lateran. IV, cap. *Firmiter:* «Sacramentum Baptismi... tam parvulis quam adultis... »proficit ad salutem.»

22. 2.° Tertullianus (2) ait: «Felix sacramentum aquae »nostrae... qua in vitam aeternam liberamur.» S. Ambrosius (3): «Quid aliud in hoc quotidie sacramento docemur, nisi »quia culpa mergitur et error aboletur, pietas autem et innocentia »tuta permansit?» S. Hilarius (4) in illa verba: *Euntes ergo docete omnes gentes...* ait: «Iussit Apostolis, ut primum universas »docerent gentes, deinde fidei tingerent sacramento, et post fidem »et Baptisma, quae essent observanda praeciperent.» S. Hieronymus (5): «Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in Bap»tismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti.» Et rursus (6): «Quia per Baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, »propterea baptizantur et parvuli.»

23. 3.° Ratio theologica ex sacramenti definitione aperte fluit. Sacramentum est signum sensibile practicum rei sacrae sanctificantis homines. Sed tale est Baptisma: ablutione enim aquae perficitur effectus significans gratiae, qua peccata mundantur, ut ex Cap. praecedenti patet.

24. Obj. Improprio et lato sensu videntur Patres locuti, dicentes Baptismum esse sacramentum. Sic S. Hilarius ait: «Et forte »si quis existimet sibi in sacramento Baptismi perfectam illam in-

---

(1) Sess. VII, can. 1.—(2) L. *de Bapt.* c. 1.—(3) *De Mysteriis*, c. 4.—(4) In Matth. c. 33.—(5) Ep. 14, ad *Heliodor.*—(6) In Luc. hom. 14.

»nocentiae et coelesti vita dignam redditam puritatem; Joan-»nem Baptistam dixisse recolat; *ego quidem baptizo in aqua »poenitentiae, qui autem post me venit, fortior me est; ipse vos bap-»tizabit Spiritu S. et igni:* ipsum autem Dominum, baptizatum a »Joanne, cum adhuc esset in corpore meminerit locutum: *adhuc »habeo baptismo baptizari.* Est ergo quantum licet existimare, per-»fectae illius emundatio puritatis etiam post Baptismi aquas repo-»sita, quae nos Sancti Spiritus sanctificet adventu (1).»

25. Resp. Nego assertum. Nec verba S. Hilarii quicquam ejusmodi suadent, sed solum in ea puritate et sanctitate, quae confertur in Baptismo, dari gradus, ideoque per adventum Spiritus S., seu per Confirmationem perfici, nec non per martyrium, et in coelo adhuc majorem futuram; quia hic sunt incentiva vitiorum, corpus corruptibile, et peccare possumus, ut inferius explicat S. Doctor. In Baptismo autem eam conferri innocentiam quae omne excludit peccatum clare docet ipse (2): «Quis non renasci in »innocentiam volet, cum peccati remissionem *Sacramentum novae »nativitatis* indulgeat? Quis non a peccato desinat jam renatus, et »in innocentia velit parvuli permanere, cum talium sciat regnum »esse coelorum?»

ARTICULUS II.

De materia Baptismi.

THESIS V.

De necessitate Baptismi est aqua vera et naturalis, ideoque est ejusdem materia.

26. **Nota.** Cum duplex sit sacramenti materia, proxima et remota; intelligenda thesis de materia remota, quae non nisi aliqua mediante applicatione aut mutatione sacramentum constituere potest. Propositio est de fide catholica, quoad primam partem, et doctrina catholica certa quoad secundam.

27. I.ª Pars prob. 1.° Tridentinum (3) definivit: «Si quis »dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptis-»mi; anath. sit.» Concil. Later. IV. cap. *Firmiter:* «Bap-»tismi Sacramentum... consecratur in aqua.»

(1) In Ps. 118, litt. III, n. 5.—(2) In Ps. 63, n. 11.—(3) Sess. VII, can. 2.

2.° Dominus sic praescripsit (1). *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei.* Quae verba, non metaphorice, sed proprie intelligenda, definivit (ibid.) Tridentinum. Et Paulus (2): *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Sic cum Philippi praedicationem audiisset Eunuchus, dixit (3): *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?*

28. 3.° Ex SS. Patribus vide supra (4) Gelasium Cycin. et alios. Praeterea; Nazianzenus (5): «Duabus rebus constat »Baptismus, aqua scilicet et Spiritu.» S. Ambrosius (6): «Vi»des, aquam... Aqua est ergo qua caro mergitur, et omne abluitur »peccatum.» Et inferius: «Nec sine aqua regenerationis mysterium »est.»

4.° Ratio a priori est Christi voluntas ita statuentis: argumentum autem congruentiae est, quia aqua, propter ejus naturam, aptissima est ad significandam munditiem a peccatis: et propter abundantiam necessitati Baptismi accomodata et ubique prompta est, ut notavit D. Thomas (7).

29. II.ª Pars prob. 1.° Eugenius IV cum Florent. Con. (8) docuit: «Materia hujus sacramenti est aqua vera et na»turalis.»

2.° Juxta Tridentinum (9), et doctrinam supra traditam (10), essentia sacramenti perficitur materia et forma. Atqui praeter aquam nulla est alia materia necessaria in Baptismo: ergo materia hujus sacramenti est aqua.

3.° SS. Patres passim aquae efficaciam collaudant et mirantur in Baptismo, ut supra vidimus (11). Ergo constituit aqua Baptismum vel quasi materia, vel quasi forma: atqui non est forma, cum verba aquae adjuncta perfectius significent, et usum aquae determinent; ergo aqua est Baptismi materia.

4.° Quo pacto autem recte materiam esse Baptismi aqua dicatur, intelligi potest ex Nazianzeno (12); «Quemadmodum duabus »partibus, hoc est, anima et corpore, constamus, quarum altera in »aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque re»bus constat Baptismus, aqua scilicet et spiritu; illa visibili et cor»poreo modo accepta, hoc vero incorporeo et invisibili modo con»currente: illa typica, hoc vero et intimos animi fines purgante.»

30. Obj. Metaphorice solum fuisse locutum Dominum, ipse sig-

---

(1) Jo. III, 5.—(2) Ephes. V, 25, 26.—(3) Act. VIII, 36.—(4) Cap. 1. Thesis 1. et Schol.—(5) Orat. in *Sanctum Bapt.*—(6) De *myster:* c. 3, et 4.—(7) 3 p. q. 69, a. 3.—(8) Decret. *pro Arm.*—(9) Sess. XIV, cap. 2.—(10) Disq. I, de *Sacr. in gen.* Thes. VIII.—(11) Cap. I, Th. 1, et III.—(12) Or. in *S. Bapt.* n. 8.

nificavit, cum ait (1): *Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.* Quod et praenuntiaverat Joannes (2): *Ego quidem baptizo vos in aqua... Ipse* (Christus) *vos baptizabit in Spiritu S. et igni.* Quatenus, nempe, aqua symbolum est Spiritus S. (3), figurate dixit Christus; *Nisi quis renatus fuerit...*

Resp. Nego assertum et *conseq.* et explico testimonia laudata. Baptismus Christi et baptismus Joannis in aliquo conveniebant: scilicet, quod corpus aqua lavarent; in alio autem differebant, nempe, quod gratia Spiritus Sancti danda in Baptismo Christi erat, non autem in baptismo Joannis. Joannes ergo, in quo differret suus baptismus a Christi Baptismo explicare voluit, non autem in quo convenire debebant.

31. Christus D. sane adventum Spiritus Sancti baptizationem metaphorice appellavit, quia per illum vitiorum perfectiorem purgationem, et sanctitatis augmentum suscepturi erant Apostoli; sicut etiam figurate dixit se in passione proprio baptizandum sanguine: negatur tamen inde sequi, quod aqua Baptismi Christi non vera sed figurata esse debeat; figuratae enim locutiones non excludunt veras et proprias, sed potius eas supponunt, sicut umbra corpus. Idque facto ipso apertum est, cum Christus vera aqua baptizaret (4), et postea discipuli ejus (5).

SCHOLION

32. Cum nomine aquae naturalis solum obvie intelligatur aqua qualem natura praebet, non autem alii liquores etiamsi aquosi sint; inde juxta Ecclesiae mentem et communem DD. sententiam non potest valide conferri Baptisma, lacte, vino, succis herbaceis, saliva, etc. Potest tamen valide adhiberi aqua marina, fluvialis, licet turbida et lutea, thermalis ac sulphureo, etc. Tamen ex Ecclesiae instituto debet, sub gravi, Baptismus solemnis conferri in aqua benedicta.

Cum autem aquae miscetur liquor alius, sive mixtum illud sit perfectum, sive imperfectum; si solvatur species aquae, ita ut quid tertium fiat, non erit amplius materia valida Baptismi.

THESIS VI.

Aquae usus in Baptismo est corporis externa ablutio, quae dici solet materia proxima.

---

(1) Act. I, 5.—(2) Matth. III, 11.—(3) Joan. III, 5.—(4) Ibid. III, 26.—(5) Act. VIII, 38.

33. Propositio est fide certa.

Prob. 1.° Ablutionem fieri oportere et quidem necessario, Christus dixit: *Euntes docete... baptizantes... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Et Paulus: *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquae.* Et S. Lucas (1): *Descendit uterque in aquam,* Philippus *et* Eunuchus, *et baptizavit eum.*

2.° Ecclesiae usus perennis et universalis rem confirmat: semper enim Baptismum per actualem ablutionem ministravit.

3.° Augustinus ait (2): «Quid est Baptismus Christi? Lava»crum aquae in verbo.» Et Ambrosius (3): «Aqua est ergo »qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum.»

SCHOLION

34. «Ablutio fieri potest. ait D. Thomas (4), non solum »per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel »effusionis.» Et quidem.

1.° Immersionem ad Baptismum conferendum sufficere praxis Ecclesiae demonstrat. Dionysius Areop. ait (5): «Hierar»cha in loco superiore stans ter illum demergit» scil. eum qui baptizatur. S. Basilius quoque (6): «Jam ter immergi hominem, »unde est traditum? Nonne ex privata et arcana hac traditione?» S. Joannes Chrysost. (7). «In aqua tamquam in sepulcro »caput immergentibus vetus homo sepelitur...» Tertullianus (8): «Aquam adituri, prius... contestamur nos renuntiare »diabolo... Dein ter mergitamur.»

35. 2.° Per aspersionem seu effusionem valide fieri Baptismum, patet etiam usu Ecclesiae. Nam prioribus etiam saeculis, cum per immersionem communiter fiebat Baptismus, tamen infirmi in lectulo baptizabantur per aspersionem seu effusionem, nec deinde iterabatur Sacramentum. Hinc S. Cyprianus (9): «Unde appa»ret, aspersionem quoque aquae instar lavacri salutaris obtinere: »et quando haec in Ecclesia fiunt... stare omnia et consummari ac »perfici posse majestate Domini et fidei veritate.» Hoc autem modo etiam baptizasse Apostolos sat innuitur in Act. Apost. (10): *Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Nam una die tot baptizatos christianos per immersionem, non est verisimile. Deinde, tum in Actibus Ap. (11), tum in Actibus Martyrum passim legitur,

---

(1) Act. VIII, 38.—(2) Tract. 15 in Joan.—(3) De *Myst.* c. 3.—(4) III, p. q. 66, a. 7.—(5) De *Eccles. Hier.* c. 2.—(6) De *Spiritu S.* c. 27.—(7) Hom. 24 in Jo. —(8) De *Corona mil.* c. 3.—(9) Ep. 64 ad *Magn.*—(10) II 41.—(11) XVI, 25-33.

in ipso carcere, vel intempesta hora noctis urgente periculo, fuisse ab Apostolis vel martyribus plures baptizatos: atqui tunc immersionem adhibitam fuisse non videtur. Praeterea in antiquis monumentis, picturae referunt baptizandi ritum per aquae effusionem; et S. Laurentium baptizasse Romanum, aqua ex urceo effusa, refertur in Actis ipsius.

Ratio optima a D. Thoma exhibetur (ibid). «Aqua assumi»tur in sacramento Baptismi ad usum ablutionis corporalis, per »quem significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fie»ri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed »etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo...»

36. Dices 1.° Quae Apostoli tradiderunt nequeunt ab Ecclesia aboleri. Sed Baptismus per immersionem est ab Apostolis traditus: ergo.

Resp. Dist. *maj*. Quae tradiderunt Apostoli tamquam juris divini nequit aboleri; conc. Tamquam juris ecclesiastici, seu mere Apostolici: nego *maj*. Sic ritum illum de *sanguine* et *suffocato* (1), cessante causa illius, Ecclesia dimisit. Deinde, licet per immersionem baptizaverint Apostoli, non inde sequitur ritum ejusmodi vel unice, vel tamquam necessarium adhibitum fuisse.

Dices 2.° *Canone Apost*. 42 praescriptum erat, deponendum Episcopum vel Presbyterum, qui non baptizaret trina immersione. Ergo non sufficit aquae effusio vel aspersio.

Resp. Conc. *ant*. et nego *conseq*. 1.° Quia jure potest deponi qui Ecclesiae consuetudinem vel mandatum de re gravi contemnit: non deducitur ergo immersionem esse ad validum Baptisma necessariam.

2.° Ideo aliqui (Eunomiani) trinam contemnebant immersionem, quia nolebant Trinitatem personarum confiteri, et baptizabant in morte Domini: quod ut significaretur baptizabant unica immersione tantum. Hac de causa jussit Gen. Conc. II, can. 7, rebaptizari Eunomianos, ad Ecclesiae unitatem redeuntes. Et opposita ratione Tolet. Conc. IV, statuit, unam solam adhibendam immersionem, ne putarentur catholici consentire Arianis, qui tribus immersionibus, ajebant, tres personas essentialiter distinctas profiteri.

---

(1) Act. XV, 29.

ARTICULUS III

De Baptismi forma.

THESIS VII.

Distincta divinarum personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti invocatio est necessaria ad validum Baptismum.

37. **Nota** I.° Thesis est certa adversus gnosticos, montanistas, sabellianos, aliosque haereticos, qui formulas baptizandi erroribus suis consonas effinxerunt: sic Montani discipuli tingebant in nomine Patris et Filii et Montani ac Priscillae. Tamen sentiunt eruditi theologi (1), antiquos illos haereticos perversam quidem fidem sub invocatione Sanctissimae Trinitatis effinxisse, tamen exterius evangelicam ac legitimam verborum formam in Baptismo retinuisse. Ad rem Augustinus (2): «Quis nesciat non esse Baptis»mum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, »illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non »baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.» Protestantes tamen non pauci, cum Luthero et Zuinglio, asserere non erubuerunt, Baptismum conferri posse in solo Nomine Dei, vel etiam absque ulla forma.

38. II.° Nonnulli theologi, ambiguis nonnullorum Patrum ducti sententiis, et praeposteris S. Scripturae interpretationibus, putarunt, validum fore Baptismum in Nomine Christi collatum: alii autem censuerunt in Ecclesiae primordiis, ut fides in Christum penitus radices immitteret, ex dispensatione in nomine Christi baptizasse Apostolos. Verum haec inter sommia jure amandabis.

39. Prob. 1.° Conc. Arelat I, can. 8, tempore Constantini et Sylvestri PP., jussit, rebaptizandos haereticos, qui non fuerant «In Patre et Filio et Spiritu S. baptizati.» Idem statuit Synod. Nicaena I, ut memorat Innocentius I (3).

2.° Iustinus (Apol. 1. n. 61): dixit Christus; «*Nisi regene»rati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum*... Ut remissio»nem peccatorum, quae prius commisimus, consequamur in »aqua; super eo qui remunerari voluerit... Parentis omnium et »Domini Dei nomen pronuntiatur... Sed et in nomine Jesu Chris-

(1) Thesaur. theolog. l. X, Op. 4.—(2) De *Bapt. contra Donat.* l. 6, c. 25.—(3) Ep. 17, ad episc. Macedon.

»ti, et in nomine Spiritus Sancti abluitur. Tertullianus (1) »ait; mandasse Christum; «Ut tingerent in Patrem et Filium et »Spiritum Sanctum, non in unum.» Origenes (2): Non ha- «betur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis.» Athanasius (3): «Nostrae quoque fidei caput eodem voluit spec- »tare... Baptizari jussit in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sanc- »ti; ita enim nos initiati vere efficimur filii Dei. Et rursum (4): «Isti (Ariani) in periculum veniunt amittendae mysterii integrita- »tis (de Baptismo loquor). Nam si in Patris et Filii nomen initia- »mur; illi autem verum non pronuntiant Patrem... verum iidem »negant Filium, aliumque nominant... Qui fieri potest ut prorsus »vacuus ac inutilis non sit Baptismus qui ab illis datur?... Unde »quemadmodum res creata alia est a Filio; ita Baptismus, quem illi »dare putantur, a vero Baptismo alius est, etiamsi nomen Patris et »Filii, ut praecipit Scriptura, proferre assimulent.»

40. S. Basilius (5) duplicem Baptismi respectum ad baptizantem et ad baptizatum explicans, rectum SS. Scripturarum sensum aperit non paucis auctoribus impervium. «Videtur interdum »Apostolus etiam solius Spiritus Sancti fecisse mentionem in »Baptismate: Ipse vos baptizabit in Spiritu (6), etc. At non ideo »quis dixerit perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus no- »men invocatur. Oportet enim inviolabilem semper manere tradi- »tionem, quae in vivifica gratia data est... Proinde si in Baptismo »separare Spiritum a Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, »ita Baptismum accipienti inutile: quomodo nobis tutum fuerit, a »Patre et Filio distrahere Spiritum? Fides autem et Baptisma, duo »sunt modi parandae salutis, inter se cognati et inseparabiles. Nam »fides perficitur per Baptismum. Baptismus vero fundatur per »fidem, et utraque res per eadem nomina impletur. Sicut enim cre- »dimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptiza- »mur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ac praecedit qui- »dem professio ad salutem perducens, sequitur autem Baptisma »consignans assensum nostrum.»

S. Cyprianus (7): «A Domino Apostoli ad gentes mittun- »tur, et nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare gentiles »jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt... modo in nomine Jesu »Christi gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi »posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et »adunata Trinitate?» Augustinus (8): «Deus adest verbis evan-

---

(1) *Adv. Prax.* c. 26.—(2) In c. VI, ad Rom.—(3) De *decret. Nicaen.* n. 31. —(4) Or. 2, *contra Arianos*, n. 42.—(5) L. De Spiritu S. cap. 12.—(6) L. 3, 16. —(7) Ep. 70, ad *Jubaj.* (8) *De Bapt.* l. 6, c. 25, et l. 3, c. 15.

»gelicis suis, sine quibus Christi Baptismus consecrari non potest.» Et alibi: «Si evangelicis verbis, in nomine Patris et Filii et Spiri»tus S., Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat sacramen»tum.» Hieronymus (1): «Cum in Patre et Filio et Spiritu S. »baptizatus homo, templum Domini fiat... Quomodo dicis, sine ad»ventu Spiritus Sancti peccata posse dimitti?»

41. 3.° Si autem hujusce necessitatis causam perconteris et rationem, validiorem non invenies quam supra traditam a S. Cypriano; quod in tali sacramento, quo fides obsignatur, Deo renascimur, peccato morimur, coelesti vita donamur; mandatum Christi, tanta intimatum auctoritate, promulgatum majestate, dum Apostolos ad omnes docendas ac salvandas mitteret gentes, et in ipso institutionis Ecclesiae exordio, dispensari oportuerit, mens cogitare refugit, ac videtur inter prima maximaque absurda reputandum. Videas ea de re Suarezium, Bellarminum, ac Vazquezium, qui SS. Patrum magnam referunt manum, et ostendunt, quam necessum erat, in ipso exordio fundari Ecclesiam in fide explicita Trinitatis. Quod autem etiam oporteret *fidem in Christum fundare* et cordibus firmiter inurere, id quidem fatendum; sed id jam praestabant Apostoli, dum neminem Baptismo obsignabant, nisi invocato *Nomine Jesu*, id est profitentem fidem in Jesum Christum; Christi autem gloria, majestas ac divinitas multo praestantius commendabatur, dum simul cum Patre et Spiritu Sancto, ut unus aequalis et consubstantialis Deus invocabatur; quam si unum Jesu nomen in collatione Baptismi fuisset invocatum: tunc enim potius *simplex auctor* Baptismi, quam verus Deus in ea invocatione fuisset exhibitus.

42. Obj. 1.° Saepe collatum ab Apostolis Baptismum *in Nomine Christi* testantur Scripturae: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, et mulieres* (2), etc., etc.

Resp. Nego assertum; sensus enim hic intentus, et ex testimoniis laudatis eductus, est plane falsus ac confictus.

Ut haec igitur intelligantur testimonia, distinguere oportet officium conferentis Baptismum a munere eundem suscipientis. Susceturus Christi Baptismum, tenebatur nomen Jesu invocare, seu credere in Jesum: non enim per baptismata mosayca, vel Joannis baptismum, sed per Christi Baptisma et fidem in Christum salus dabatur. *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* (3). Credere ergo in Jesum Christum et exinde baptizari Baptismo Christi, id dicebatur, ut notavit

---

(1) *Adver. Lucif.* n. 6.—(2) Act. VIII, 12, 16; II, 38; X, 48; XIX, 5.—(3) Ibid. IV, 12.

Damascenus (1), baptizari in nomine Jesu; quod Christus praescripsit dicens: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (2). Cum ergo dicunt Scripturae, quod baptizabantur nomine Jesu, munus illud invocandi Nomen Jesu, significatur, quae quidem invocatio est praeparatio ad Baptismum et ab eodem distincta, ut clare patet in Eunucho per Philippum baptizato (3): *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et descenderunt uterque in aquam,* Philippus et Eunuchus, *et baptizavit eum.* Pari modo perspicere licet hanc Baptismum suscepturi dispositionem in Pauli Baptismate, dixit enim illi Ananias (4): *Et nunc quid moraris? Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* (Jesu).

Cum ergo passim dicitur, quod baptizabantur *Nomine Jesu,* fides et munus suscipientium Baptisma notatur; quia credentes in Jesum et invocantes nomen ejus, Christi Baptismum suscipiebant; propterea non nisi *passive* id dicitur in Scriptura; *baptizari* Nomine Jesu: nunquam autem leges aliquem *Baptizasse Nomine Jesu.* Officium enim baptizantis aliud erat; nempe, baptizare in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, secundum solemnissimum Domini mandatum.

43. Obj. 2.° S. Ambrosius ait (5): «Aethiops eunuchus »baptizatus in Christo, plenum mysterium assequutus est.» Ergo sufficit in nomine Christi baptizari. Deinde adjicit: «Illi qui nega»verunt se scire Spiritum Sanctum baptizati sunt in nomine Chris»ti, nec iteratum est in his Baptisma, sed novatum: unum enim est »Baptisma.»

Resp. Amplector Ambrosii sententias, sed neganda *consequentia.* Ad sensum enim loquitur Scripturarum: scilicet in Nomine seu fide Christi suscipere Baptismum, sat esse ad eum fructuose accipiendum. Non agit ergo de forma adhibenda a baptizante, sed de professione illius qui baptizatur: ait enim: «Si unum »neges, totum subrues. Et si unum in sermone comprehendas, aut »Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum: fide autem nec Pa»trem nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei »Sacramentum.»

44. Obj. 3.° Nicolaus I. (6) interrogatus quid censendum de Baptismo plurium a quodam Judaeo baptizatorum, quem nesciebant, an paganus esset an christianus, respondit: «Hi profecto, si in Nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in Nomine Christi,

---

(1) L. 4 *de Fide* c. 8.—(2) Marc. XVI, 16.—(3) Act. VIII, 36-38.—(4) Ibid. XXII, 16.—(5) *De Spir. S.* c. 3.—(6) *Resp. ad Bulg.* c. 104.

»sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt »(unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), »constat eos non esse denuo baptizandos.» Videtur ergo sufficere baptizare in nomine Christi.

Resp. 1.° Quidam plane fatentur erravisse Nicolaum, cum in illa responsione non loqueretur ex cathedra, imo incidenter egit de forma, cum interrogatio solum de ministro posita esset.

Resp. 2.° Casus Nicolao propositus, ut ex responsione elucet, vagus et confusus referebatur: unde conjecturaliter et hypothetice respondet Pontifex. Jam vero tum judaei, tum pagani, quorum multi in Bulgaria existebant, suis utebantur baptismis: necessum ergo erat dijudicare, utrum judaeus ille paganum, judaicum vel christianum praebuisset baptismum. Quo pacto autem id conjectandum, cum nescirent utrum paganus, vel christianus judaeus foret? Interrogandi, nempe, erant christiani illi baptizati a judeo, utrum Baptisma christianum ab eo petierant, id est Baptismum SSmae. Trinitatis, seu Baptismum Christi. Hoc enim supposito, si judaeus ille ingenuus erat, nec non rituum christianorum gnarus, credendum erat rite fuisse baptizatos. Aliunde etiam haec mentis Nicolai interpretatio confirmatur: affert Act. Apostolorum exempla, et S. Ambrosii sententiam: atqui in his non est de forma Baptismi sermo, sed de confessione et fide eorum qui baptizantur, ut dictum est supra: ergo idem censendum de Nicolai sententia, non referri scilicet ad formam Baptismi: cum enim id *explicite* non declaret, de sensu est judicandum ex adjunctis.

45. Obj. 4.° S. Hilarius (1) ait: «Pereant quoque, si videtur, »omnia divina illa et sancta Evangelia salutis humanae... ne pos- »tremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine »Patris, Filii et Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine bapti- »zaverunt.»

Resp. Dist. et explico Hilarii verba: «Tantum in Jesu nomi- »ne baptizaverunt,» apparenter: seu perpenso tantum cortice narrationis evangelicae; conc. Realiter ita baptizaverunt: nego.

Hanc esse Hilarii mentem, ex toto patet contextu. Proponit plura Scripturarum dicta, quae invicem contraria ex falsa interpretatione videri possunt. Supponit autem illa recte posse intelligi, quomodo autem sint intelligenda non exponit, quia ejusmodi explanatio non erat ad rem. Igitur quid dicendum? Quod Apostoli reperiantur in crimine, id reputat Hilarius absurdum. Quod autem jussit Dominus baptizare in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, non est dubitandum; quod et alibi (2) absolute affirmat

(1) *De Synod* n. 85.—(2) L. 2, *de Trini.* n. 1.

S. Doctor. Sequitur ergo quod procedat haec contrarietas et difficultas ex ambiguo sensu et falsa intelligentia illius dicti; nempe quod *baptizaverint Apostoli in nomine Jesu,* scilicet, nihil aliud hoc significat; nisi credentibus in Nomine Jesu. tradidisse Apostolos Baptismum a Jesu institutum.

THESIS VIII.

Actus baptizandi est distincte significandus ad validum Baptismum conferendum: unde forma Baptismi hisce verbis continetur: Ego te baptizo in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec est doctrina catholica et certa.

46. I. Pars prob. 1.° Alexander III (1) decrevit: «Si quis »puerum ter in aqua immerserit in Nomine Patris, Filii, et Sp. »Sancti, Amen; et non dixerit: Ego te baptizo in nomine, etc. puer »non est baptizatus.» Pariter Alexander VIII propositionem (inter damnatas, n. 27) damnavit, quae oppositam asserebat doctrinam.

2.° Patet ex Ecclesiae universali et perpetua praxi. In suis enim etiam antiquissimis ritualibus, tum Ecclesia graeca, tum latina, actionem baptizandi referunt explicite. Unde ait Conc. Tridentini *Catechismus* (n. 13): «Ex illo verbo *baptizantes*, catho»lica Ecclesia divinitus edocta optime intellexit, in hujus sacra»menti forma actionem ministri exprimendam esse; quod quidem »fit, cum dicitur: *Ego te baptizo*, etc.

3.° Actus lavandi est quid indifferens; potest enim lavacrum mere naturale, salutis vel munditiei causa, fieri, etiam sub invocatione trium personarum. Atqui Baptismus debet natura sua esse actus religiosus, quo inter membra Ecclesiae Christi aggregemur; ergo verba adjicienda sunt, quibus actus ipse Baptismi significetur: hoc autem indicatur dicendo: *Ego te baptizo.*

47. II Pars prob. 1.° Concil. Florent. docet (2): hujus Sacramenti. «Forma est: Ego te baptizo in Nomine Patris et Filii et »Spiritus Sancti.»

2.° Sacramenta perficiuntur rebus tamquam materia, et verbis veluti forma (3). Atqui verba haec: «Ego te baptizo, in Nomine »Patris etc.» sunt constitutiva Baptismi, nec alia requiruntur; ergo »sunt vera forma Baptismi. *Min.* patet ex dictis; praesertim ex

---

(1) Cap. Si quis. 1, Extr. *de Bapt.*—(2) Decret. *pro Arm.*—(3) De Sacr. Disq. I, Thes. VIII.

Alexandro III (1): «Si quis non dixerit: *Ego te baptizo in No-*»*mine Patris et Filii et Spiritus Sancti; amen:* puer non est baptiza-»tus. De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his »verbis: *Si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine*, etc.»

3.° Illa verba sunt Baptismi forma, quibus consecratur (2). Atqui Baptismus: «Ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, vi-»delicet, Patris et Filii et Spiritus Sancti, consecratur in aqua (3).» Ergo.

COROLLARIUM

48. Aeque subsistit et valide confertur Baptismus si dicatur: «Baptizatur talis servus Christi in Nomine Patris, etc., vel bapti-»zatur manibus meis talis in Nomine etc.» Ita etiam explicite de-claravit Concil. Florent. in dicto decreto.

Ratio est, quia tum actus baptizandi, tum Trinitatis invocatio, in his formis aeque significantur: praeterea, graeci ea verborum forma utuntur, approbante Ecclesia.

Utrum autem validus esset Baptismus, dicente ministro: «Ego te »baptizo in nomine Genitoris et Geniti, et ab utroque Procedentis;» dissentiunt AA. Affirmant probabiliter plures cum Cajetano. Opposita tamen sententia communior tenenda cum D. Thoma, Suarez, Vazquez, etc. Nam Christus D. mandavit, non per *actus notionales* sed per *proprietates* constitutivas invocandas esse divinas Personas, et per nomina illa populo magis nota et usitata. Ideo censendum gratiam adnexam esse invocationi illi a Domino praescriptae. Unde sub conditione oporteret iterari Baptismum, si aliter fuisset collatus, uti monent praedicti AA.

49. Unde universim haec duplex regula tenenda. 1.ª Quaevis mutatio, sive addendo, sive subtrahendo, quae mutet sensum formae, invalidum reddit Baptismum. 2.° Mutatio quae eumdem retineat sensum, non impedit sacramentum. Proinde cum de ea dubitatur mutatione significationis, iterare oportet Baptismum sub conditione. Ex gr. si diceret praelatus. «Nos baptizamus Vestram »Celsitudinem in Nomine, etc.,» valide baptizaret. E contra, mutatio formae, quae induceret pluralitatem naturarum in Deo; puta: ego te baptizo in nominibus Patris, etc; vel qua significaretur creatam esse aliquam personam; sensum certo mutaret et esset invalida.

Conveniunt quoque AA. in eo, quod significare oporteat perso-

---

(1) L. 3, Decr. tit. 42.—(2) Disq. I, Thes. VIII, 76.—(3) Lat. IV, c. *Firmiter.*

nam quae baptizatur, uti et Christus praescripsit, dicendo: *Baptizantes eos in Nomine, etc.*

Obj. Illa forma. «Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti,» etc. vere et distincte significat tres personas Trinitatis. Ergo quoad substantiam eadem est forma.

Resp. Dist. *Ant.* Significant tres Personas metaphysice: conc. Significatione communi et vulgari, quam Christus mandavit: nego *ant.*

CAPUT III.

De unitate et definitione Baptismi.

ARTICULUS I.

De unitate Baptismi.

THESIS IX.

Baptismus unus est, seu iterari nunquam potest.

50. **Nota.** Thesis est de fide. Nonnulli haeretici, validum Baptisma iterari posse putarunt, uti marcionistae, quorum errorem refert Epiphanius. (*Haeres*, 42).

Prob. 1.° Trident. definivit, tria non posse iterari sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Ordinem (Sess. VII, c. 9).

Item in Symbolo Constan. dicitur: «Confiteor *unum* »Baptisma in remissionem peccatorum.» Papa Stephanus definivit. non posse Baptismum iterari. juxta Ecclesiae traditionem.

Prob. 2.° Dicit Apostolus (1): *Unus Deus, una fides, unum Baptisma.*

51. Prob. 3.° Patres Conc. Africani, seu Carthag. I, (an. 258) definiverunt, non posse rebaptizari eos, qui prius in Ecclesia baptizati, deinde haeretici facti ab haeresi convertuntur. Licet autem Cyprianus et alii putarent rebaptizandos eos qui ab haereticis Baptismum acceperant, tamen de unitate Baptismi minime dubitabant: censebant enim verum Baptisma ab haereticis non conferri.

---

(1) Eph. IV, 5.

S. Cyril. Hieros (1): «Non licet bis aut ter hoc lavacro »uti... *Unus enim Dominus, et una fides, et unum Baptisma.*» Vide etiam supra (2) Gregorium Nazianzenum. Theodoretus (3): «Multa adhibebantur (baptismata) apud hebraeos. Hic »autem unus est, ut qui salutaris passionis et resurrectionis typum »habeat.» Damascenus (4): «Quemadmodum Dominus semel »morte perfunctus est, sic nos etiam semel baptizari necesse est... »Quocirca qui in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum baptizati... »Baptismum repetunt, ii Christum rursus in crucem agunt...» Tertullianus (5): «Unus omnino Baptismus est nobis, tam ex »Domini Evangelio, quam ex Apostoli litteris... Semel ergo lava»crum inimus, semel delicta diluuntur... Felix aqua, quae semel »abluit, quae ludibrio peccatoribus non est.» Cyprianus (6): «Baptisma semel sumitur, nec rursus iteratur.» Ambrosius (7): «Semel crucifixus est Christus. semel peccato mortuus, et ideo »unum, non plura baptismata.» In verba autem Apostoli (8); *Impossibile est... lapsos iterum renovari in poenitentiam:* ait: «De »Baptismo dictum, ne quis iteraret.» S. Augustinus (Tract. 11 in Joan), docet: «Una est nativitas de terra, alia de coelo; »una est de carne, alia de Spiritu; una est de masculo et foemina. »alia est de Deo et Ecclesia. Sed ipsae singulae sunt; nec illa potest »repeti, nec ista... Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Bap»tismus.» Et in ep. ad *Maxim.* 203. «Rebaptizare haereticum homi»nem, omnino peccatum est; rebaptizare vero catholicum, imma»nissimum scelus est.

52. Prob. 4.° Ratio a priori non est nisi Christi voluntas. Congruens autem argumentum expendit D. Thomas, nec differt ab illo Augustini. «Unius non est nisi una generatio: et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio.» (q. 66, a. 9.) Alias rationes innuunt SS. Patres supra laudati.

53. Obj. 1.° Institutus est Baptismus ad mundanda peccata: ergo sicut haec iterantur, ita rebaptizare oportet.

Resp. Dist. *ant.* Ad mundanda peccata simpliciter; nego. Ad renascendum in Christo, et *consequenter* abluenda peccata; conc. *ant.* Deinde, nego *consequen.* Licet enim iterentur peccata, non est iteranda nativitas in Christo, cum permaneat *character* Baptismatis per quem Christi signaculum semper gerimus.

Obj. 2.° Nicaenum Conc. decrevit quosdam haereticos esse rebaptizandos: id quoque defendebat multis argumentis san-

---

(1) *Praef. Catech.*—(2) Cap. I, *Thes.* III.—(3) In Ep. ad Hebr. VI.—(4) L. 4, c. 10.—(5) *De Bapt.* c. 15.—(6) Epis. 68, ad *Coecil.*—(7) De *Poenit.* l. 2, c. 2.—(8) Hebr. VI, 4, 6.

tus Cyprianus, cum pluribus Africanis Patribus et Conciliis.

Resp. Neque Nicoen. Concilium decrevit, neque Africani cum Cypriano. id defendebant, quoad eos qui validum Baptisma susceperant. Cyprianus cum collegis putabat, et in hoc inscius erravit, fidem esse necessariam in ministro veri Baptismatis. Nicoenum autem de haereticis agebat, qui forma legitima Baptismi non utebantur. Proinde, ut supra notavimus, haec facta thesim potius confirmant.

SCHOLION

Dico. Sub conditione deberi non nunquam iterari Baptismum, certum est.

54. I.° Quoties dubium existit rationabile, aliquem non esse baptizatum, est sub conditione baptizandus.

Quod patet ex Cap. *Placuit de Consecrat.* seu ex Carthagin. V. can. 6. «Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos (in»fantes) baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sint »per aetatem idonei, de traditis sibi sacramentis respondere, abs»que ullo scrupulo baptizandos esse...» Vide supra (1) Alexandrum III, quem alii plures Pontifices secuti eamdem tradiderunt doctrinam.

55. II. Si autem quaeratur, quod dubium sit rationabile censendum; dicimus cum Suarezio. Lugone et aliis: tunc in hac re dari dubium rationabile, (sive agatur de dubio *juris*, seu de validitate Baptismi; sive de dubio *facti*, seu de Baptismi existentia) quando pro parte negante est prudens conjectura, seu probabilis opinio, quamvis pro parte affirmativa stet etiam judicium prudens, seu probabile. Ratio fluit ex laudatis testimoniis: nam tum *non constat, nescitur* esse baptizatum: et salus maneret incerta, si medium ad salutem necessarium sit incertum.

56. Hac de causa, omnes ab haereticis horum temporum baptizati, iterum sub conditione baptizantur, quia fere sectae omnes errore aliquo laborant circa substantiam Baptismi; praeterea innumeri, inter ministros illos Satanae, sunt rationalistae, ac jure timendum est, ne debitam praetermiserint curam ad validum conferendum Baptismum. Item si quis urgente necessitate, Baptismum a muliere, vel persona suspectae aptitudinis, suscepisset, illum iterare oporteret. Pariter infantes expositi, sive afferant, sive non afferant schedam attestantem baptizatos fuisse, baptizandi etiam sunt; quia personae ignotae testimonium nullius est momenti: ita in multis particularibus Synodis prudenter praescriptum est.

---

(1) Thes. VIII, pars II, n. 47.

57. III. Notant plures auctores, ejusmodi baptismata sub conditione collata, si invaliditas non sit notoria, fieri posse, sine patrinis et caeremoniis, a quocumque et in quocumque loco, etsi facile haberi posset sacerdos vel parochus: si autem esset notoria, publice a debito sacerdote esset Baptismus ministrandus, cum debitis caeremoniis. Ita Gobat, Quintad. Joannes Marin, etc.

58. Dum autem Baptismus est incertus, dummodo sit probabilis, dicit Dicastillo, posse alia suscipi interim sacramenta ex quibus detrimentum aliis nequeat provenire; puta Eucharistiam, Poenitentiam etc.; nullatenus autem Ordinem. Verum; uti dictum est, cum prudens oriatur dubium de Baptismi validitate, non est in his tricis permanendum, sed certus quamprimum suscipiendus Baptismus.

ARTICULUS II.

De Definitione Baptismi.

THESIS X

Baptismus physice definitur: Lavacrum aquae sub praescripta verborum forma cum debita intentione; metaphysice autem, est: Sacramentum spiritualis regenerationis in Christo.

59. I.ª Pars prob. Sacramenta constant physice materia et forma, nec non ministri intentione, ut dictum est, Disq. I. de Sacram. in Gen. nn. 75, 94. Ergo definitio physica Baptismi debet ejusmodi constitutiva comprehendere: atqui dicta definitio, *Lavacrum aquae* etc. explicat materiam, formam et intentionem: ergo.

II.ª Pars prob. Definitio rei metaphysica genus ipsius et differentiam declarare debet. Sed dum Baptismus *sacramentum dicitur,* explicatur genus ipsius: et per illa verba, *spiritualis regenerationis in Christo,* elucet differentia: ergo.

60. Dices: nequit causa per suum constitui effectum. Sed spiritualis regeneratio est effectus Baptismi: ergo non est ipsius constitutivum.

Resp. Dist. *maj.* Causa, cujus esse est absolutum, nequit constitui per effectum; conc. Si esse causae est relativum; subd. Causa relativa nequit constitui per effectum, adaequate; conc. *maj.* Inadaequate nego. Nempe sacramenta sunt signa, ideoque habent *esse relativum,* et constituuntur subjecto, fundamento et *termino;*

sunt autem signa practica, seu efficiunt id quod significant, id est suum terminum.

Inst. Causa ut agat debet existere; si ergo causa relativa suo constituitur termino et effectu, hic debet existere antequam fiat.

Resp. Dist. *conseq.* Debet existere *physice*, antequam fiat; nego. Debet existere *moraliter*, seu ut significatus, et *potens significari; conc. conseq.*

CAPUT IV.

De Necessitate Baptismi.

ARTICULUS I.

De Baptismo fluminis.

THESIS XI.

Excepto casu martyrii, Baptismus est necessarius necessitate medii: adultis, nempe in re, vel in voto; parvulis autem in re.

61. **Nota.** I.° Dicimus, excepto casu martyrii; nam quae sint martyrii privilegia, postea dicendum.

II.° Necessitas medii a praecepti necessitate in eo differt; quod illa profluat ex hoc, quod finis indigeat medio, seu via, ut possit adipisci, et unum tantum sit hoc medium, unica via: sic lux est ad videndum necessaria. Necessitas praecepti in eo tantum nititur, quod res aliqua sit sub gravi mandata, et nequit, consequenter, culpabiliter omitti, sine detrimento salutis. Unde ex simplici et sola absentia rei necessariae *tamquam medii*, impeditur finis, seu salus: e contra, non ex simplici absentia, sed ex culpabili carentia rei necessariae *tamquam praeceptae*, amittitur salus.

III.° Necessitatem Baptismi, post Wicleffum, negarunt non pauci protestantes, cum Zwinglio, Bucero, Calvino, etc. Aliqui autem catholici, cum Gersone et Cajetano, existimarunt, infantes posse, per votum Baptismi a parentibus habitum, assequi salutem; quod communiter ut doctrinae fidei dissonum rejicitur, et Pius V. mandavit talem opinationem a Commentariis Cajetani expungi.

62. Prob. thesis 1.° Concil. Milevit. et Conc. Cartag., ab Ecclesia approbata, decreverunt: can. 2. «Quicumque par»vulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat... anath. sit.» Et in can. 3. «Nam cum Dominus dicat. *Nisi quis renatus fuerit ex »aqua et Spiritu S., non intrabit in regnum coelorum;* quis catholi»cus dubitet participem fieri diaboli eum, qui cohaeres esse non me»ruit Christi?» Id quoque confirmavit Tridentinum (1): «Prop»ter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum, etiam par»vuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potue»runt ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur... *Nisi »enim quis renatus fuerit ex aqua»* etc. Et iterum (2): «Translatio »ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae in statum »gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum *Adam* Jesum »Christum... sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non »potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit»* etc.

2.° Dominus absolute dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei* (3).

63. 3.° Ex SS. Patribus nonnullos exhibebimus. Irenaeus (4): «Omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per ip»sum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et ju»venes, et seniores.» Tertullianus (5): «Nos pisciculi, secun»dum ἰχθὺν nostrum, Jesum Christum, in aqua nascimur, nec aliter »quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstruo»sissima... optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.» S. Cyrillus Hieros. (6): «Neque si quis etiam virtutum operi»bus instructus, signaculum per aquam non recipiat, ille coelorum »regnum ingressurus est. Audax videatur haec oratio, sed non »mea: Jesus est qui hanc sententiam tulit.» Et iterum: «Si quis »Baptisma non recipiat, salutem non habet; solis martyribus ex»ceptis.» S. Ambrosius (7): «*Nisi quis renatus fuerit*... Uti»que nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum neces»sitate.» Et iterum (n. 79): «Nemo ascendit in regnum coelorum »nisi per Baptismum.» S. Hieronymus (8): «Generatio spiritalis lavacro indiget salutari: *nullus enim mundus a corde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus.*» S. Augustinus (9): «Quis»quis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui »sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto »et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat »Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et

---

(1) Sess. V, can. 4.—(2) Sess. VI, c. 4.—(3) Joan III 5.—(4) L. 2, c. 22, n. 4. (5) De *Bapt.* c. 1.—(6) Catech. 3, n. 4, 10, —(7) L. 2, de Abrah. c. II, n. 84.—(8) In Ezech. c. 16, 3.—(9) Ep. 28 ad *Hier.*

»curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari »omnino non posse.»

64. 4.° Ratio a priori est divina Providentia, quae definivit, ut Christus, *secundus* Adam (1), vivificaret spiritu gratiae; quemadmodum *primus* Adam omnes occiderat infectione peccati. Non autem infecit primus homo, nisi eos qui carne ab eo generantur: cum ergo Baptismus sit sacramentum *regenerationis* in Christo; oportuit ut non nisi illi spiritum gratiae susciperent, qui Baptismo regenerantur. Proinde, instituente Christo Baptismum, ut sacramentum regenerationis, inde consequebatur necessitas hujusce *medii* ad salutem assequendam: non possumus enim, nisi in Christo salvari. Hoc proposuit argumentum Synodus Tridentina (2): «Ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione con»traxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, »non potest introire in regnum Dei.*»

65. Obj. 1.° S. Cyprianus, cum caeteris africanis episcopis, putabat invalidum esse Baptismum haereticorum: neque tamen Papam Stephanum et alios damnabat, qui nolebant haereticos rebaptizare; ajebatque; suam quisque retineat sententiam et consuetudinem; ergo censebat non esse necessarium Baptismum.

Resp. Non semel apertissime docet Cyprianus, necessarium esse ad salutem Baptismum: praeter verba in thesi posita, in Epist. ad Fidum (ep. 59), reprobat differri infantibus Baptismum usque ad diem octavum nativitatis; quia, ait; «Quantum in nobis est, »si fieri potest, nulla anima perdenda est.» Propterea, non approbasse, sed tolerasse dicendum est Stephanum et alios qui rebaptizare haereticos nolebant: iis autem invalide baptizatis, Baptismum in voto ad salutem valere Cyprianus judicare potuit.

Obj. 2.° Viri insignes in antiqua Ecclesia usque ad mortem, vel senectam, vel plurimos saltem annos Baptismum differebant: ergo non credebatur necessarius ad salutem.

Resp. Permitto *ant.* et nego laudatam a SS. Patribus ejusmodi praxim: proinde, qui absque congrua et peculiari ratione differebant Baptismum, saltem propter salutis periculum, culpae immunes dici nequeunt.

66. Obj. 3.° Apostolus, sanctos nasci filios, si saltem unus ex parentibus fidelis existat, docet (3); ergo illis Baptismus non est necesarius.

Resp. Huic difficultati respondit Hieronymus, interrogante

---

(1) I Cor. XV, 45.—(2) Ses. V, c. 4.—(3) I Cor. VII, 14.

Paulino (1): «Quomodo sancti sunt, qui de fidelibus, id est, bap»tizatis nascuntur: quum sine dono gratiae postea acceptae et cus»toditae, salvi esse non possint?» Cui Hieronymus: «De se»cundo problemate tuo, Tertullianus disseruit, asserens; »sanctos dici fidelium filios, quod quasi candidati sint fidei, et nul»lius idololatriae sordibus polluantur. Simulque considera, quod »et vasa sacra in tabernaculo legimus, et cetera quae ad ritum cae»remoniarum pertinent: quum utique sancta esse non possint, nisi »ea quae sentiunt et venerantur Deum.» Unde de sanctitate quadam relativa, seu analogica, locutus est Apostolus.

Obj. 4.° Praeter Baptismum, sufficit martyrium ad salutem: sed si duo ad salutem sufficiunt media, nullum eorum est necessarium medium: ergo.

Resp. Nego *conseq.* Non enim sequitur necessarium non esse, secluso martyrio, Baptismum, uti in thesi dicitur: sed, supposito martyrio, non requiri hoc sacramentum tamquam medium; quod fatemur.

67. Obj. 5.° Non minus opus est voto Baptismatis ad salutem, quam voto omnia Dei mandata custodiendi: qui enim Deum super omnia amat, aequali affectu omne divinum amplectitur mandatum. Ergo Baptismus non est majoris necessitatis quam singula Dei mandata.

Resp. Nego *maj.* Nam mandatum servandum tantum ubi ejus omissio sit culpabilis, ideoque est necessitas contingens et *subjectiva*. E contra Baptismus adhibendus, etiam cum omissio sit absque culpa, ideoque est objective necessarius: unde non tantum ut vitetur culpa voto amplectendus Baptismus, seu ut removens prohibens; sed etiam ut salutis via, seu ut dans salutem.

Obj. 6.° Saepe nequeunt infantes Baptismo regenerari, vel defectu aquae, vel in materno utero morientes; non quia nolint eos parentes baptizare, ait Augustinus (2), sed quia non vult Deus. Ergo non vult Deus omnium salutem, vel non est necessarius Baptismus.

Resp. Dist. Augustini sententiam: quia non vult Deus neque voluntate sufficiente; nego. Non vult Deus voluntate undequaque efficaci; conc. Posset sane Dei potentia omnia removere obstacula Baptismi; et hoc non vult semper. Quia vero statuit divina Providentia infantes, tum quoad esse naturale, tum quoad elevationem supernaturalem, perficere, cooperantibus causis liberis; has deficere aliquando permittit, et infantes non baptizari. Credendum proinde est nullum perire infantem ex sola Dei voluntate; sed ex

(1) Ep. 85.—(2) De *dono Persev.* c. 12, n. 31.

libero aliquo defectu aliarum causarum, proximo vel remoto, aperto vel occulto, positivo vel negativo.

SCHOLION

68. I.° Etiam necessitate praecepti necessarius est Baptismus. Nam absolutam Dei voluntatem et strictam obligationem indicant illa verba Domini: «*Nisi quis renatus fuerit...*» Deinde Ecclesia, ex illis Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis... non habebitis vitam in vobis* (1); intellexit praeceptum Communionis: ergo a pari.

Tandem ex praecepto naturali charitatis obligamur ad nostram salutem aeternam assequendam: ergo et ad media necessaria, quale est Baptismus.

Unde deduces, non solum praecepto divino naturali charitatis, ut, nempe, salutem aeternam assequamur; sed etiam divino praecepto positivo ad Baptismum obligamur. Quod elucet etiam ex eo, quod Apostoli omnes indifferenter baptizabant, etiam judaeos qui ante Baptismi promulgationem in Lege Moysis et circumcisionis fuerant ad Dei populum aggregati et justificati; imo Cornelium, qui *vir* dicitur *religiosus*, *timens* Deum, et *justus*, quique susceperat Spiritum cum omni domo sua, tamen cum suis baptizandum esse, judicavit S. Petrus.

69. II. Nonnulli cum Cajetano sentiunt obligare etiam praeceptum ecclesiasticum ad Baptismi susceptionem. Verius tamen docent alii cum Suarezio et Vazquezio, directe mandata Ecclesia non obligare eos qui membra adhuc Ecclesiae non sunt: potest tamen declarare praeceptum divinum circa tempus vel circumstantias, in quibus ad Baptismum homines obligantur. Primum patet ex Trident., Sess. XIV. cap. 2. «Ecclesia in »neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi »januam fuerit ingressus: quid enim mihi (inquit Apostolus) »*de iis, qui foris sunt, judicare?*» (1 Cor. V, 12).

70. III. Quando autem praecepta haec obligare coeperint, et subdi homines necessitati Baptismi, non est unquam definitum. Nonnulli (2) putarunt ex eo tempore fuisse necessarium, quo dixit Dominus (Joan. III): «*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S...* etc.» Communis autem sententia tenet ante Christi mortem et Veteris Testamenti abrogationem non fuisse Baptismum necessarium. Unde Vazquez (3) in ipsa morte Christi

---

(1) Joan. VI, 54.—(2) Hanc sentent. non esse probabilem, ait *Suarez* (L. 10, de Leg. c. 4).—(3) Haec opinio mihi nullo modo probari potest. (Ibid.)

vigorem habuisse Baptismi legem censet. *Catechismus* Conc. Trid. docet legem Baptismi ex tunc obligasse, cum Dominus post Resurrectionem dixit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.*

Plures AA. cum Suarezio docent tunc coepisse Baptismi necessitatem, cum mandatum illud, Apostolis indictum, promulgatum die Pentecostes fuit: quam promulgationem, ad obligationem in mundum universum inducendam, fuisse sufficientem, asserit Coninch; Suarez vero ait, coepisse obligationem in unaquaque Provincia, cum in ea fuit Evangelium sufficienter promulgatum.

ARTICULUS II.

De Baptismo flaminis.

THESIS XII

Baptismus flaminis, id est, actus perfectae contritionis vel charitatis, quatenus Baptismatis votum continet, sufficit ad justificationem assequendam, et vitam aeternam.

71. **Nota** 1.° Diximus in thesi praecedenti, in re, vel in voto necessarium esse Baptisma: votum ergo ejusmodi, seu desiderium, ejusque sufficientiam hic ostendimus. Non defuerunt enim haeretici, praesertim inter jansenistas, virtutem hanc charitatis et contritionis negantes: thesis tamen est omnino certa et catholica.

II. Cum dicimus sufficere ad vitam aeternam, intelligendum, nisi quis gravi negligentia susceptionem omittat Baptismi: hoc enim peccatum amissionem gratiae, et consequenter, vitae aeternae necessario induceret.

III. Baptismus flaminis neque characterem, neque remissionem omnium poenarum causat, et in hoc a vero Baptismo differt.

72. Prob. 1.° Ex Trident. in Sess. VI, c. 4, (Thesi praecedenti n. 62) Votum enim Baptismi sufficit: atqui in charitate votum ejusmodi habetur, cum diligatur Deus super omnia, ideoque subjiciatur voluntas omnibus divinis mandatis. Item, in Sess. XIV, cap. 4, docet, contritionem charitate perfectam, *hominem Deo reconciliare.*

2.° Christus D. dixit (1): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*

(1) Joan. XIV, 21.

Petrus quoque ait (1): *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

3.° Innocentius III (2) dixit de quodam presbytero non baptizato: «Quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis »confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et coelestis »patriae gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.» Pius V et Gregor. XIII oppositam Baji doctrinam damnarunt: ex. gr. Propos. 31. «Charitas perfecta et sincera tam in catechumenis, »quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.»

73. 4.° S. Ambrosius (3) ait de imperatore Valentiniano: «Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta Baptismatis... »Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non habet quam po- »poscit? Certe quia poposcit, accepit... Quod si (martyres) suo »abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas.» Augustinus saepe hoc edocuit; sic (4): «Invenio non tantum pas- »sionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse »supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad ce- »lebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum sucurri »non potest.»

74. Obj. 1.° Augustinus (5) ait: «Nemo fit membrum Chris- »ti, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.»

Resp. Quoad parvulos, de quibus agit S. Doctor; conc. Quoad adultos; subd. Nisi Baptismate in re suscepto; nego. In re vel in voto accepto; conc.

Inst. Ipse Augustinus (6): «Sanctificatio catechumeni, si »non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum ad regnum coe- »lorum, aut ad peccatorum remissionem.»

Resp. Dist. Sanctificatio catechumeni, quae orationibus aliisque caeremoniis, quibus disponitur ad Baptismum, perficitur, non ei valet, etc. conc. Sanctificatio proprie dicta; subd. Si Baptismum negligat culpabiliter; conc. Aliter; nego.

Obj. 2.° Contritio perfecta, vi sui motivi, non plus continet votum Baptismi, quam aliorum praeceptorum: ergo non plus quam alia praecepta est necessarius in voto Baptismus.

Resp. Dist. *ant.* Non plus continet, nec alia ratione; nego *ant.* Non plus, sed alia continet ratione; concedo. Scilicet; contritio ita continet votum Baptismi, ut tale votum habeat rationem medii ad salutem, quatenus per illud ordinatur contritus ad renascendum in Christo. Votum autem aliorum praeceptorum, eatenus continetur in contritione perfecta, quatenus haec omnem excludit inordinatum affectum.

---

(1) I Petr. IV, 8.—(2) Cap. *Apostolicam* Extr. de *Presbyt. non bapt.*—(3) Orat. *de obitu Valentin.*—(4) L. 4 *de Bapt.* c. 22.—(5) *De Anim. et ejus orig.* c. 9.—(6) *De peccat. meritis*, l. 2, c. 26.

SCHOLION

75. Utrum votum Baptismi debeat explicite concipi. quaeri potest. Nonnulli AA. affirmant; communius tamen ceteri negant; nam cum motivum charitatis adeo excellens sit, sufficienter ordinat ad quaevis media necessaria ad salutem, licet de his expressa non existat cogitatio.

ARTICULUS III.

De Baptismo sanguinis, seu martyrio.

THESIS XIII.

Quoad plenam justificationem, poenae remissionem, et gloriae assecutionem idem praestat martyrium, seu Baptismus sanguinis, quod Baptismus aquae, tum pro adultis, tum pro parvulis.

76. **Nota** I.° Quoad utramque partem, est certa et catholica doctrina; evidentior quidem quoad martyrium adultorum: quoad parvulos autem ita certa, ut non possit sine temeritate negari, ait Suarez.

II.° Martyrium est passio mortis, vel saltem passio natura sua letalis, pro fide Christi perpessa vel alia christiana virtute. Ita definiunt communiter AA. In adultis autem requiritur quoque voluntaria passionis acceptatio; ideoque duplicem actum, externum et internum, qui ad virtutem fortitudinis pertinet, martyrium adultorum postulat.

III. Non tantum passionem mortis in odium fidei illatam esse martyrium, sed etiam propter aliam virtutem, patet ex mente Ecclesiae. Sic S. Thomas Cantuariensis ob defensionem libertatis Ecclesiae occisus; S. Joan. Nepomucenus, ob fidelitatem sacramentalis silentii, et innumerae SS. Virgines ob servatam castitatem, inter martyres venerantur.

IV. Non praebet martyrium omnes Baptismi effectus, puta characterem, ad Ecclesiam visibilem aggregationem, et ad sacramenta suscipienda aptitudinem.

77. I. pars. prob. 1.° Christus D. dixit (1): *Omnis qui confitebitur*

(1) Matth. X, 32; Marc. VIII, 35.

me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Et alibi: *Qui perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.*

2.° Ecclesia omnes martyres, qui propter Christum vitam tradiderunt, licet baptizati non essent, uti sanctos coluit, protectores apud Deum habuit, noluitque unquam pro eis preces et suffragia offerre. Unde Innocentius III (1) ait: «Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.

78. 3.° Tertullianus (2) vocat martyrium secundam intinctionem, seu Baptismum. Et alibi: «Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis, scilicet: hic est Baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit.» (l. *de Bapt.* c. 16.) S. Cyprianus (3): «Hoc est Baptisma (martyrium) in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius.» Item, ait: «Martyrem peccata omnia passione purgare.» Vide supra (Thes. XI.) S. Cyrilli Hieros. sententiam. S. Basilius (4): «Sunt nonnulli qui... mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem, nimirum proprio sanguine baptizati.» S. Augustinus (5): «Quicumque... pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.» Id autem probat laudatis S. Scripturae testimoniis et adjicit: «Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur?»

79. II. Pars prob. 1.° Generatim dixit Christus (6): *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Si ergo infantes perdant pro Christo vitam salvabuntur.

2.° Ex sensu Ecclesiae infantes etiam martyres colentis.

80. 3.° S. Irenaeus (7) de Innocentibus ait: «Bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praemitteret in suum regnum, ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum... in civitate David interfectos.» Origenes quoque (8): «Horum (Innocentium) et memoriae semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebrantur... ut primorum martyrum pro Domino occisorum.» S. Cyprianus (9): «Christi nativitas a martyriis infantium statim coepit... Aetas nondum habilis ad pugnam idonea extitit ad gloriam.» S. Augustinus (10): «Praestitit eis Christus, ut pro Christo morerentur; praestitit ut suo san-

---

(1) Cap. *Cum Marttae, De Celebr. Miss.*—(2) *De Patientia,* c. 13: et de *Baptis.* c. 16.—(3) *De Exhort. martyr.* in Praefat, et Ep. 58 ad *Anton.*—(4) L. de Sp. S. ad *Amph.* c. 15, n. 36.—(5) *De Civit. Dei,* l. 13, c. 7.—(6) Matth. X, 39.—(7) L. 3, c. 18.—(8) L. Homil. in diver., hom. 3.—(9) Ep. 63. ad *Thibar.*—(10) *De Symb.* l. 3, c. 4.

»guine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed »continuo eos mors reddidit vitae.»

81. Obj. 1.° Non constat infantes ab Herode occisos martyrio fuisse justificatos; secundum ritum nempe Legis Mosaycae forsan omnes fuerant sanctificati.

Resp. 1.° Constat fuisse martyres ex mente et cultu Ecclesiae, et hac sola de causa coluntur: certum ergo est illis ad sanctificationem prodesse martyrium, licet omnes fuissent, per accidens, justificati. Idem objici posset erga adultos, cum etiam ipsi possint ante ipsum martyrium sanctificari. 2.° Cum fuerint infantes a bimatu et infra occisi, nec circumciderentur nisi post dies octo, non est verisimile omnes in tanta multitudine fuisse justificatos.

Obj. 2.° Verba Christi absoluta sunt et generalia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. Ergo neque martyres sunt excipiendi.

Resp. cum Augustino (1): Ut ab hac sententia exceptos »martyres faciat... dicit alio loco: *Qui perdiderit animam suam* »propter me...»

Obj. 3.° Mors debet esse voluntaria, ut honorem habeat martyrii; ergo nequeunt infantes martyrio coronari.

Resp. Dist. *ant.* Pro adultis debet esse voluntaria; transeat. Pro infantibus; nego. Nam licet adultis aquae Baptismus voluntarius esse illis debet; non tamen infantibus; unde quemadmodum Baptismo aquae, ex solo Christi merito justificantur, ita martyrio.

SCHOLIA

§ I

Quod voluntarium ad martyrium requiratur.

82. Quo pacto martyrium esse debeat voluntarium inquiri solet. Aliqui defendunt requiri voluntatem actualem, vel virtualem; verum communiter docent theologi, cum D. Thoma, sufficere habitualem, id est, aliquando elicitam et non retractatam. Quod si nihil unquam quis ea de re cogitaverit, et voluerit, et dormiens, seu inscius, ob fidem occidatur, non esse talem vere martyrem dicunt Suarez. Lessius, etc.

Verum alii AA. distinguunt inter justum et peccatorem, et ajunt in primo voluntatem sufficere interpretativam, qualis esset in eo, qui fugeret a tyranno compellente ad impietatem, et fugiens subito configeretur: ita Dicastillo, Gobat, etc. Imo Castro

(1) *De Anima et ejus Orig.* l. 2, c. 2.

Palao putat, adulto sufficere, si non repugnet ad martyrium, quemadmodum sufficit infanti; nam Scriptura non plus requirit pro adultis quam pro infantibus. Quod vero opponitur ex paritate Baptismi non multum urget; nam per Baptismum eligitur novus status et pluribus baptizatus subjicitur obligationibus: praeterea Baptismus in remissionem institutus est peccatorum; aequum est ergo ut peccatum non dimittatur adulto, nisi attritione, saltem, illud detestetur. Haec quidem probabilia sunt, cum de justis est sermo.

§ II

An requiratur charitas ad fructum martyrii.

83. Ad fructum martyrii capessendum necessariam esse charitatem et non sufficere attritionem dicunt. S. Bonaventura, Canus, Vazquez., Salmanticenses, et D. Thomas (q. 66, a. 12, in Suppl. et 2. 2.ae q. 124, a. 2.) Sufficere tamen defendunt attritionem formalem vel virtualem, Cajetanus, Soto, Suarez, Valentia, Bellarm. Lessius, etc.

Haec sententia magis probatur. 1. Quia Patres non minorem vim tribuunt martyrio quam Baptismo. Praeter Patres supra laudatos, confirmat Augustinus (1): «Quicumque, etiam non »suscepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriun»tur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerен»tur sacro fonte: qui enim dixit: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., non »minus generaliter dixit: «*Qui me confessus fuerit...*» Imo alii Patres dicunt martyrium, *veriorem* Baptismum: et Cyprianus (2): «Numquid potest vis Baptismi esse major, aut potior, quam con»fessio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et suo san»guine baptizetur?»

Etiam D. Thomas id aperte confirmat (3): «Passio pro »Christo suscepta obtinet vim Baptismi, et ideo purgat omni culpa »et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inhaeren»tem invenerit.»

Tamen tenetur peccator, si possit, ante martyrium confiteri, propter praeceptum divinum confessionis: quod si non possit, tenetur conari ad eliciendam contritionem perfectam, cum probati illi DD. censeant esse necessariam.

84. Objic. 1.° Paulus dixit (4): *Si tradidero corpus meum ita*

---

(1) *De Civit. Dei*, l. 13, c. 7.—(2) Ep. 73.—(3) 3, p. q. 88, a. 1 ad 2.—(4) I Cor, XIII, 3.

ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ergo ad effectum martyrii opus est contritione, seu charitate.

Resp. Explico sensum; charitatem autem, seu gratiam, non habuero habitualem; conc. Actualem; nego. Comparat enim Apostolus donum charitatis cum aliis, ejusque docet excellentiam. Eodem sensu posset dici: «Si habuero Baptismum aquae, charita»tem autem non habuero, nihil mihi prodest.» Tamen non esse necessariam contritionem ad Baptismum suscipiendum supponimus.

Obj. 2.° D. Thomas aperte docet (1): «Effusio sanguinis »non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate: ex quo patet, »quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis.»

Resp. Forsan utramque sententiam ut probabilem tenuit S. Doctor, nam supra nostram docere videtur. Praeterea pro nostra stant SS. Scripturae et SS. Patres laudati cum aliis tum Patribus, tum Doctoribus gravissimis.

§ III

An sint veri martyres qui in obsequio peste laborantium moriuntur.

85. Utrum Martyres habendi sint qui peste infectis assistunt et labe contracta moriuntur, non consentiunt AA.

De illis legitur in Martyrologio Romano; «Quos velut »martyres religiosa fides venerari consuevit.» Patet quam sit probabilis ista sententia, quae ab Ecclesia fidei religiosae adscribitur. Mendo (2) duodecim enumerat Academias, quae hanc tenebant sententiam, item 13 Cardinales, 12 episcopos, 264 Doctores, aliosque 53 scriptores. Alii sane aliter opinantur; sed verior illa videtur sententia: nam isti *tradunt* quoque *animam propter Christum.*

§ IV

An pariter sint martyres milites in bello pro fide occumbentes.

86. In hac quaestione etiam alii affirmant, alii negant, inter martyres computandos milites, qui in pugna contra fidei hostes occumbunt.

Negant Lessius, La-Croix, Raynaudus, etc. 1.° Quia non moriuntur voluntarie, ad exemplum Christi, qui ut ovis ad occisionem ductus est.

2.° Quia saepe Ecclesia pro hisce militibus exoravit et obtulit sacrificia, neque eos colere solet. Unde et monet S. Bonaven-

(1) 3 p. q. 66, a. 12 ad 2.—(2) D. 1, n. 151.

tura (1). «Ne sit martyr sicut rota carri, quae foenum gestat, sed »murmurando.»

87. Affirmant tamen esse veros martyres. S. Antoninus (2); D. Thomas (3); Paludanus (4); Sotus (5). Et S. Theresia (Ribera, l. 1) affirmavit, germanum suum martyrem esse, qui occisus ab infidelibus fuerat ducens manum militum ad fidei defensionem. Idem confirmat S. Bernardus in sermone ad Milites Templi. Etiam id affirmavit Leo IX. et quidem ex revelatione sibi facta, uti in ejus vita habetur a S. Brunone Segniensi scripta: nec non Innocentius III, in epis. ad Imperat. Alexium. S. Franciscus Paulanus dixit, Nicolaum Picardum fortissime contra Turcas pugnantem et in pugna caesum fuisse martyrem. Est Olysipone templum, quod vocatur a SS. Martyribus; hoc est a militibus, qui, expugnantibus eam urbem mauris, gloriose ceciderunt. S. Ludovicus IX milites Sidone ab infidelibus caesos vere martyres judicavit.

Unde supponendum est, milites pro fide pugnantes, non solum esse animo paratos ad *occidendum*, sed etiam ad *moriendum*, si opus sit, pro fide: «Eamus ad occidendum ob defensionem fidei, vel moriendum pro fide.»

88. Ad rationes in contrarium. 1.ª Argumentum priori loco positum fallax est. Putant illi AA. non posse stare voluntatem moriendi pro fide, vel alia christiana virtute, cum voluntate hostes occidendi pro eadem. Facile simul haec evenire possunt, scilicet, pugnare et mori pro fide; et consequenter etiam appeti potest, occidere ob defensionem fidei, quod justitiae actus est, et mori propter fidem, quod est fortitudinis.

Dices: dum vult occidere, obsistit morti, et impedit, quantum potest, confiteri Christum.

Resp. Nego milites tales impedire, *quantum possunt*, confiteri Christum et pro eo mori. Nam possent, si vellent, negare fidem, vel eamdem non defendere et recedere a praelio, et sic mortem certius effugere quam pugnando. Unde licet in eis praevaleat voluntas occidendi vel vincendi inimicos pro bono fidei, tamen volunt etiam, si opus sit, pro Christo mori. Sic, missionarius qui conatur trahere tyrannum ad fidem, eo ipso impedire nititur suum martyrium: similiter, si eum adhortetur ne tale crimen admittat; vel si amicos et protectores adhibeat, qui tyrannum ab occidendo et persequendo avertant; pariter fidelis qui fugit a lictoribus, et interim confoditur: isti tamen, si parati sint potius mori quam negare fidem, mar-

---

(1) In ps. 33, ad fin.—(2) 3, p. Sum. Tit. 30, c. 8.—(3) 2-2 q. 124, a. 5 ad 3.—(4) In 4, d. 49, q. 8, a. 4.—(5) In 4, d. 49, q. 5, a. 2.

tyrii corona non carebunt. Ergo potiori jure miles, si eodem modo paratus existat: actus enim ille, quo pugnando resistit hostibus fidei, est meritorius et nobilior quam fugere, vel deprecari tyrannum ne occidere velit.

89. 2.ª Argumentum quod Ecclesia aliquando pro hisce militibus obtulerit orationes, solvi potest, si dicamus; id facere Ecclesiam, quia non adeo certum est, quod omnes illi milites, qui in praelio moriuntur, fuerint in ea animi comparatione quae ad martyrium requiritur. Forsan enim aliqui aliud agunt, quam pro fide pugnare, vel pro fide velle etiam mortem subire. Qui autem pro fide fortiter dimicat, aliud sane agit quam *rota*, quae *murmurando* foenum gestat: hoc enim significat pati *impatienter;* illud autem importat actum heroicum, animumque magnum, ideoque duplicatum meritum atque coronam, si pugnando pro fide, simul libenter pro ea moriatur.

Christus, sane, *sicut ovis* ad occisionem ductus est, ut exemplum praeberet pusillo gregi electorum, qui saepe saepius aliam non habent justam defensionem, quam pati et mori. Cum vero providet Deus potentes Principes, qui Ecclesiam, uti debent, juste defendant, *non enim sine causa gladium portant* (1); tunc fortitudo leonis in milite Christiano, pugnante pro zelo fidei, non impedit mansuetudinem ovis, moriendo patienter pro fide sine odio et livore. Unde Innocentius III, supra laudatus, ait: «Praeterea »inter ceteras arcanas et inscrutabiles causas invasionis et detentionis terrae orientalis, hanc etiam Dominus, sua forsan miserationе, praevidit; ut multi, relictis parentibus et amicis, imo etiam »omnibus quae habebant, Christum assumpto salutiferae Crucis »signo sequentes, in defensione Terrae ipsius martyrio coronentur, »et inde triumphans Ecclesia laetetur et augeatur in coelis, unde »militans dolere ac minorari videtur in terris.»

90. D. Thomas fatetur (2) martyres quoque esse posse eos, qui pro *defensione Reipublicae moriuntur,* si hoc bonum humanum *referatur ad Deum.* Proinde qui pugnant pro republica defendenda ab iniquis dominatoribus religionem vexantibus, vel pro rege tuendo, qui Ecclesiae jura veneratur, et liberalismum, sectasque omnes odio prosequitur; isti quidem martyrii palmam etiam assequentur. Qui enim hoc modo, eoque fine pugnant, Christo vere ministrant, ejusque Ecclesiae: unde iis congruunt quae habet Augustinus (3): «Qui clades hostiles ideo non fugit, cum posset »effugere, ne deserat ministerium Christi... majorem charitatis in»venit fructum, quam qui... fugiens atque comprehensus, non ne»gat Christum, suscipitque martyrium.»

---

(1) Rom. XIII, 4.—(2) In loco cit.—(3) Ep. 228, n. 4. (Migne).

CAPUT V.

De Baptismi Ministro.

Cum possit Baptismus ministrari valide vel invalide, licite vel illicite, quaeremus distincte, quis sit illius Minister. 1.° ad valide, 2.° ad licite administrandum.

ARTICULUS I.

De Baptismi validi Ministro.

THESIS XIV.

Quilibet homo sufficienter ratione utens ut possit aquam fundere, verba formae proferre, et debitam habere intentionem, est ordinarius Minister Baptismi ad valide baptizandum.

91. Haec doctrina est catholice certa, imo potius de fide.

Prob. 1.° Lateran. Concilium (1) dixit: «Sacramentum »Baptismi... tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiae a quo»cumque rite collatum proficit ad salutem.» In *Professione Fidei* Orientalibus praescripta ab Urbano VIII: «Profiteor... Bap»tismum a quocumque et quandocumque sub debita materia et »forma et intentione collatum esse validum.»

2.° Tertullianus cum aliis Patribus hanc confirmat doctrinam (2): «Baptismus ab omnibus exerceri potest; sed quanto »magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum »ea majoribus competat, ne sibi assumant dicatum Episcopi offi»cium Episcopatus?... Sufficit, scilicet, in necessitatibus ut utaris.» S. Hieronym. (3): Sine Episcopi jussione neque Presbyter, ne»que Diaconus jus habent baptizandi. Quod frequenter, si tamen »necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, »ita et dare potest.» S. Augustinus (4): «Sed et si nulla ne-

---

(1) Cap. *Firmiter*. – (2) De *Bapt.* c. 17.—(3) *Dial. adv. Lucifer*, n. 9.—(4) *Contra Ep. Parm.* l. 2, c. 13.

»cessitate usurpetur (munus baptizandi) et a quolibet cuilibet de»tur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte »dici possit illicite datum. Illicitam autem usurpationem corrigit »poenitentis affectus: quod si non correxerit, manebit ad poenam »usurpatoris quod datum est... non tamen pro non dato habebitur.»

3.° Vide supra (1) responsionem Nicolai I ad Bulgaros. Ratio a priori est Christi D. voluntas: voluit enim Sacramentum adeo necessarium a quocumque posse valide ministrari. «Ad misericor»diam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his »quae sunt de necessitate salutis homo de facile remedium inve»niat,» ut argumentatur D. Thomas (2).

92. Obj. 1.° Solis Apostolis dixit Christus D.: *Docete... baptizantes eos in Nomine...* Ergo soli sacerdotes potestatem habent.

Resp. Dist. *ant.* Solis Apostolis dixit, et *exclusive;* nego. Ut principaliter ad eos pertineat; conc. Hinc videmus Philippum, qui solum Diaconus erat, baptizantem.

Obj. 2.° Tertullianus a Baptismo ministrando repellit *mulierum* petulantiam: ergo.

Resp. Dist. Excludit mulieres ne publice et quasi ex officio baptizent; conc. Ita ut nequeant valide baptizare; nego. Hoc sensu locutum Tertullianum patet: quia prius dicit, «ab omnibus »posse Baptismum exerceri.» Deinde ait, Paulum prohibere quod mulieres in Ecclesia loquantur; et in quamdam invehitur Quintillam, quae Baptismum abrogaverat; cui similes esse asserit illas quae sicut docendi, ita et tingendi jus sibi pariant.

Eodem sensu locutum esse S. Epiphanium (3), dicentem de Beata Maria, «ne baptizandi quidem potestas est illi facta», ex adjunctis patet: nam ait: «Si Sacerdotium mulieribus mandatum »foret, aut canonicum quiddam praestare in Ecclesia liceret, nulli »potius quam Mariae... etc.» Loquitur ergo de officiis publice in Ecclesia peragendis.

93. Obj. 3.° S. Hieronymus (4) arguit: «Proba mihi ab »arianis venientem laicum habere Baptismum, et tunc ei poeniten»tiam non negabo. Si vero christianus non est, si non habuerit sa»cerdotem qui eum faceret christianum, quomodo aget poeniten»tiam homo, qui necdum credidit?» Ergo supponit Hieronymus, neque haereticos posse baptizare, neque alios nisi solos sacerdotes.

Resp. Nego *consequens* et *consequentiam;* quod patet ex verbis supra in probatione theseos prolatis. Nempe arguit Hieronymus

---

(1) Cap. II, The. VII, Obj. 3, n. 44.—(2) 3, p. q. 67, a. 3.—(3) Haeres, 79.—(4) *Adver. Luciferian.* n. 13.

ex principiis luciferianorum. Contendebant isti non posse haereticos valide ordinare quod apud illos non sit Spiritus Sanctus: exinde ad hominem, deducebat Hieronymus: ergo neque valide baptizare. Quae conclusio, sane ad omnes baptizantes respiciebat; verum, cum ordinarie sacerdotes baptizent, ideo dixit: «Si non ha»buerit Sacerdotem qui eum faceret, etc.»

Obj. 4.° S. Basilius (1) docet, neque haereticos neque laicos potestatem habere baptizandi.

Resp. Conceditur ita censuisse Basilium, dubitantem tamen, et permittentem, ut quisque suae regionis teneret consuetudinem; ac cupiebat, ut in aliquo Conciliio, res definiretur. Unde ajebat (2): «Quamobrem si hoc placuerit, oportet episcopos plures »in unum convenire, et ita demum canonem edere, ut etiam is qui »agit periculo careat, et qui respondet, in dando ejusmodi quaes»tionibus responso auctoritatem habeat.»

THESIS XV

Omnes qui valide baptizare possunt, licite baptizant in casu necessitatis.

94. Prob. 1.° Eugenius IV (3): «In casu autem necessita»tis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, »immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo »formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia.»

2.° Licite fit quod Deus permittit, et charitas injungit. Sed Deus permittit ut in casu necessitatis quilibet ministret Baptismum, idque praecipit charitas: ergo... *Min.* patet. Nam Deus vult quemlibet salvari, ideoque baptizari in casu necessitatis; item charitas obligat ad subveniendum iis qui in necessitate salutis assequendae versantur.

SCHOLION.

95. Dignitas Sacramenti postulat ut si plures insint, qui necessitate urgenti baptizare possint, digniores ceteris praeferantur. Unde, ut docet D. Thomas (4): «Non debet baptizare mulier, »si adsit copia viri, sicut nec laicus, praesente clerico, nec clericus, »praesente sacerdote.» Hunc tamen ordinem sub levi culpa tantum esse servandum censet Suarez cum aliis.

---

(1) Ep. *ad Amphil*, 188.—(2) Ep. 199.—(3) Decr. *pro Arm.*—(4) 3, p. q. 67, a 4.

ARTICULUS II.

De Baptismi solemnis Ministro.

THESIS XVI

In Baptismo solemni, seu extra necessitatem, Minister ordinarius est Sacerdos, licet principalius ipse Episcopus: extraordinarius autem Diaconus.

96. I. Pars prob. 1.° Christus officium baptizandi commisit immediate ipsis Apostolis: *Euntes docete... Baptizantes...* etc.

2.° Florent. Conc. (1): «Minister hujus Sacramenti est »Sacerdos, cui ex officio convenit baptizare.»

3.° Tertullianus (2) ait: «Dandi quidem Baptismum habet »jus summus Sacerdos; deinde Presbyteri et Diaconi, non tamen »sine Episcopi auctoritate.» Deinde adjicit, baptizare esse *officium Episcopatus*. S. Hieronymus (3): «Ecclesiae salus in sum»mi Sacerdotis dignitate pendet... Inde venit ut sine chrismate et »Episcopi jussione, neque Presbyter neque Diaconus jus habeant »baptizandi.» S. Ambrosius (4) recens baptizatos alloquens, ait: «Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: Levitas »illic ministrantes, summum Sacerdotem interrogantem et conse»crantem.»

97. II. Pars prob. Praeter laudata testimonia, secundam partem theseos confirmant, 1.° Gelasius pp. (5): «Diaconos propriam »constituimus servare mensuram... Nihil eorum suo ministerio »penitus applicare, quae primis Ordinibus (Episcopis et Presbyte»ris) proprie decrevit antiquitas. Absque Episcopo vel Presbytero »baptizare non audeant, nisi praedictis fortassis ordinibus longius »constitutis, necessitas extrema compellat.» Ex his elucet, eatenus illicitum esse Diaconis baptizare, quatenus id faciant vel extra casum necessitatis, vel absque facultate Episcopi aut Presbyteri.

2.° In ordinatione Diaconi dicitur: «Diaconum oportet ministra»re ad altare, baptizare et praedicare.» Atqui vi Diaconatus non accipit potestatem ad valide baptizandum, cum talis facultas sit com-

---

(1) Decr. *Union.*—(2) *De Bapt.* c. 17.—(3) Dial. *adv. Lucifer.*—(4) *De Myster*, c. 3.—(5) Cap. *Diaconus*, 13. d. 93.

munis inferioribus Ordinibus, imo et laicis: ergo confertur Diaconis potestas aliqua juris; non quidem ordinaria, ut dictum est: ergo extraordinaria, seu delegabilis, etiam extra casum absolutae necessitatis, id est, ad baptizandum cum solemnitate.

98. **Nota.** Docent plures AA. sufficere causam aliquam rationabilem, ut committat Episcopus vel Parochus Diacono ministrationem solemnem alicujus Baptismi.

SCHOLIA

I. Quaeri solet, quae dispositiones, praeter jurisdictionem, requirantur in Ministro ad licite baptizandum. Verum de hac re supra (1) diximus, ideoque iisdem repetendis supersedemus.

99. II. Cum saepe in quaestionibus circa Baptismum occurrat distinctio inter solemnem et privatum Baptismum, ex cujus conceptu pendet plurium quaestionum solutio; opus est, quid sit Baptismus solemnis definire.

Aliqui definiunt Baptismum solemnem dicentes: illum esse, qui confertur in Ecclesia per Sacerdotem.

Non esse rectam ejusmodi definitionem, facile patet: nam imposita est *in Jure* poena irregularitatis in Subdiaconos solemniter baptizantes: ergo Baptismus potest esse solemnis, etiamsi non ministretur a Sacerdote. Item filii Principum solent in privatis aedibus solemniter baptizari: non est ergo de ratione Baptismi solemnis quod in Ecclesia conferatur.

100. Alii dicunt solemnem esse Baptismum, qui publice, non privatim, cum praescriptis caeremoniis celebratur. Exinde sequeretur non esse solemnem illum, qui filiis principum in eorum privatis oratoriis impertiri solet. Praeterea, si Subdiaconus in domo vel oratorio privato, servatis omnibus ritualis caeremoniis, quoad vestes, exorcismos, etc. Baptismum ministraret, irregularem evasurum nemo negavit: ergo talis Baptismus foret solemnis.

101. Dicendum igitur, Baptismum solemnem esse, qui ministratur cum caeremoniis vestis sacrae, exorcismorum, unctionum, patrinorum, et aliorum, quae ab Ecclesia praescribuntur. Cum autem solemnitas haec non sit indivisibilis, sed complexa: si praecipuae adhibeantur, ita ut non differat notabiliter ritus adhibitus a ritu Ecclesiae, dicetur Baptismus ille solemnis in quocumque loco ministretur, coram multis vel coram paucis adstantibus, sive a sacerdote, sive ab alio: parum enim pro nihilo reputatur.

---

(1) Disq. I, Thes. XV et XVI.

CAPUT VI.

De Subjecto Baptismi.

Ex dictis in Cap. IV. de necessitate Baptismi, patet omnem hominem, et in qualibet aetate, posse valide Baptismum suscipere, cum sit de *necessitate medii*. Pauca ergo subjiciemus quae ad hoc sacramentum licite suscipiendum pertinent.

ARTICULUS I.

De Baptismo infantium.

THESIS XVII

Infantes, etiamsi ad annos discretionis non pervenerint, licite baptizantur.

102. Thesis est fide certa adversus Anabaptistas.

Prob. 1.° Concilium Trident. (1) definit: «Si quis dixe»rit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Bap»tismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad »annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut praestare »omittere eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes »baptizare in sola fide Ecclesiae: anath. sit.»

Vide quoque supra Concilii Milevit. canonem 2. (Thes. XI, n. 62).

2.° Ex SS. Litteris clare patet (2); *Afferebant autem ad illum, et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos dixit. Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei.* Capaces ergo sunt salutis aeternae infantes: sed Baptismus necessarius est ad salutem, ut dictum est; ergo convenienter illis administratur. Confir. Baptismus locum tenet Circumcisionis, teste Paulo (3): sed per Cir-

---

(1) Sess. VII, *De Bapt.* can. 13.—(2) Luc. XVIII, 15, 16.—(3) Colos. II, 11, 12.

cumcisionem etiam infantes populo Dei, sub Lege Veteri, aggregabantur; et non minus necessarius est Baptismus quam Circumcisio; ergo.

103. 3.° Dionysius Aerop. (1): «Divini nostri duces »(Apostoli) probaverunt infantes recipi ad Baptismum.» Gregor. Naz. (2): «Infans tibi est? Ab infantia sanctitate imbuatur; ab ip»sius unguiculis Spiritui consecretur. At propter naturae imbecil»litatem Baptismo signari metuis? Quam abjecti animi mater es, »pusillaeque fidei... Trinitatem ipsi dato...» S. Cyprianus (3): «Universi judicavimus nulli hominum nato gratiam denegandam... »esse apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini »muneris aequalitatem, declarat nobis divinae Scripturae fides...» Augustinus (4): «Quod traditum tenet universitas Ecclesiae, »cum parvuli infantes baptizantur, qui nondum possunt credere... »tamen nullus hominum dixerit eos inaniter baptizari.»

104. 4.° Deus vult omnes, etiam infantes, salvos fieri; si enim Adae culpa perire potuerunt, multo magis merito Christi salvari (5). Sed salvari et renasci in Christo opus est per Baptismum: ergo.

105. Obj. 1.° Pueri et infantes, quos amplexatus est Christus, et quorum dixit esse regnum Dei, ad discretionem pervenisse credi potest: ergo nihil ex tali facto concludi potest.

Resp. Nonnullos pervenisse ad annos discretionis credi sane potest; omnes autem tales extitisse textui adversatur; dicitur enim quod *afferebant* infantes illos, et appellantur τα τρέφη: jam vero τό τρέφος, puerulum qui adhuc nutritur, significat.

Obj. 2.° Ad Baptismum praecedere oportet fides; Christus enim dixit: *Docete omnes gentes... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit:* ergo infantibus non potest administrari.

Resp. Patet ex contextu sermonem esse de adultis, qui soli capaces sunt doctrinae, et obligationis eamdem credendi: proinde soli adulti baptizari nequeunt licite, nisi fidem profiteantur. Cur autem possint baptizari infantes, de quibus ibi non agitur, aliis testimoniis ex Scriptura et Traditione sumptis ostendimus.

106. Obj. 3.° Tertullianus ait (6): «Fiant christiani (par»vuli), cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens »aetas?... Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris.»

Resp. 1.° Non dixit Tertullianus *illicitum* esse parvulos baptizare, sed judicavit utilius futurum eis differri Baptismum, donec peterent; imo idem censuit (ibid) de innuptis, tum virgini-

---

(1) De *Eccl. Hier.* c. 7.—(2) Or. in *de Bapt.* V.—(3) Ep. syn. *ad Fidum.*—(4) *De Bapt.* l. 4, c. 23.—(5) Rom. V, 17, 18.—(6) *De Bap.* c. 18.

bus, tum viduis, quia istae facilius tentari possunt et gratiam Baptismi amittere. 2.° Licet nonnumquam, propter ejusmodi causas, concedi possit cum Tertulliano, utiliorem futuram Baptismi dilationem; tamen per se, seu ut plurimum, utilius est infantes baptizare, ut consuevit Ecclesia, et censuerunt Patres africani cum Cypriano, ut diximus in Thesi. Roborati enim infantes Baptismi gratia et Confirmationis, deinde non adeo facile in barathrum ruunt vitiorum: insuper, cum non pauci parvulorum improviso rapiantur, multi non expiati decederent, quod gravissimum afferret incommodum. Qua de causa dixit Greg. Naz. (1). «Tamen »propter inopinatos et repentinos periculorum eventus... lavacro »communiri omnino conducibilius est.»

Inst. Ipse Gregorius hortatur, ut «Triennio expectato, aut »aliquanto breviori vel longiori temporis spatio (ut mystici quid- »dam parvuli audire et respondere possint), ita demum per mag- »ni Baptismi sacramentum, et animis et corporibus sanctitatem »afferant.»

Resp. 1.° Haec nihil Anabaptistis favent. Non enim docet Nazianzenus, neque Tertullianus, ante illam aetatem Baptismum esse invalidum, vel esse illicitum, vel inutilem, vel postea, in aetate adulta, parvulos rebaptizandos; imo uterque monet, imminenti periculo debere eos baptizari. Resp. 2.° Credendum est, id judicasse Gregorium, perpensa, forsan, consuetudine suae Ecclesiae. Nam quid *mystici* audire vel respondere potest infans triennis? Id sane non potest commoda, quae infantibus ex susceptione Baptismi proveniunt, compensare.

107. Obj. 4.° Cum Baptismo graves contrahuntur obligationes: ergo sicut nemini imponitur status conjugii vel monachalis, vel sacri Ordinis, nisi scienti et volenti; ita neque Baptismus conferri potest.

Resp. Dist. *ant.* Obligationes ad quas omnes tenentur de necessitate salutis et ex praecepto divino; conc. Contrahuntur obligationes indifferentes seu liberae; nego *ant.* Proinde negatur *conseq.* et paritas. Unde quemadmodum ad procreandum infantem et eum perducendum usque ad perfectam aetatem, non ejusdem expectatur consensus, licet plures, gravesque contrahere inde debeat obligationes erga Deum, erga societatem, et erga se ipsum; quia scilicet ex rationali natura fluunt ejusmodi obligationes: pariter, ut renascatur per Baptismum puer, et Christo mancipetur, non est interrogandus; cum illi hoc summe expediat, et juxta rectam rationem ipse praestare teneatur. «Si quis, ait Bellarminus, incideret

(1) Or. in *S. Bapt.*

»in hominem lethaliter vulneratum, qui usu linguae et rationis »careret, eumque in domum aliquam portari, et a medicis curari »juberet; certe non *posset* ille postea queri de isto homine, quod »eum obligasset ad solvendam medicis mercedem: et si quereretur »ac solvere nollet, ab omni justo judice damnaretur.» (*De Bapt.* l. 1, c. 8.)

SCHOLION

108. Licet valde expediat infantes baptizare ante discretionis aetatem, tamen, excepto mortis periculo, non datur de ea re praeceptum, vel naturale vel positivum divinum. Ecclesiae autem consuetudo vim obtinet praecepti ecclesiastici, et ita parentes qui infantium negligunt Baptismum, non tantum scandali auctores sunt, sed quasi apostatae existimantur, et possunt ab Episcopis censuris, aliisque gravibus poenis puniri.

THESIS XVIII

Filii infidelium non baptizatorum per se, seu generatim loquendo, non sunt baptizandi, parentibus reluctantibus: in nonnullis autem casibus licitum est, vel etiam obligans baptizare illos.

109. **Nota.** Non ideo dicimus quod filii infidelium non sint baptizandi, invitis parentibus, quasi invalidus tum foret Baptismus: haec quidem fuit Durandi opinio, sed falsam eam vocat Suarez, et a ratione alienissimam Cajetanus. Et quidem non pendere a voluntate parentum Baptismum infantis, ex dictis supra de natura hujus sacramenti, satis patet.

110. Prob. 1.° Ex consuetudine Ecclesiae, ut argumentatur S. Thomas (1). «Si liceret enim filios infidelium baptizare, id fecisset Ecclesia: nam cum Baptismus sit necessarius ad salutem aeternam infantium, ratio urgens eos baptizandi aderat: potestas autem id exequendi non defuit, cum saepe sub Principibus potentibus Ecclesia floruerit, qui ejus jura tuebantur. Cum ergo noluerit ad Baptismum cogere filios infidelium, signum est id non esse rationi congruum.

2.° Benedictus XIV (2) declaravit, illicitum esse, extra periculum mortis, infidelium filios baptizare, parentibus reluctantibus.

---

(1) 2, 2, q. 10, a. 12.—(2) Decretal. de *Bapt. Judeor* ad Card. Vicesgerentem.

111. 3.° Naturaliter filii sunt commissi eorum parentibus ut iis de necessariis provideant. Ergo si renuant parentes, non potest Baptismus filiis parvulis infidelium tradi. Confir. Ecclesia unice habet potestatem in supernaturalibus (1): *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ait Paulus: ergo, licet juri adversentur supernaturali, non possunt parentes infideles ad baptizandos filios cogi.

112. Obj. 1.° Ex concessione tacita vel explicita Ecclesiae, possunt principes christiani obligare parentes fideles ut filios suos baptizandos curent. Ergo et cogere poterunt parentes infideles qui iisdem subduntur.

Resp. Nego *conseq.* et paritatem: nam parentes christiani, cum Baptismum susceperint, subduntur Ecclesiae.

Obj. 2.° Infideles tenentur, supposita necessitate Baptismi, ex lege naturali charitatis et obedientiae in Deum, tum illum suscipere, tum filiis ut baptizentur providere. Ergo reluctantes cogi poterunt a principe ne abutantur patria potestate.

Resp. Nego *conseq.;* vel dist. *Per se*, seu directe: nego. Per *accidens* et indirecte; si, nempe, aliqua perturbatio vel scandalum in republica exoriretur: conc. Nam *per se* hic abusus patriae potestatis ad ordinem spectat supernaturalem, in quem princeps temporalis jurisdictionem non habet.

113. Obj. 3.° Multi DD. cum Scoto defendunt licere baptizare filios infidelium, qui principi christiano subditi sunt, etiamsi reluctantium; ergo saltem reflexe, propter hujusce sententiae probabilitatem, licet baptizare filios infidelium.

Resp. Dist. *conseq.* Licet, Romae et in Pontificio Statu; nego. Benedictus enim XIV, in literis ad Viscesgerentem Cardinalem datis, sententiam D. Thomae in praxi tenendam mandavit. Licet, extra ditionem Ecclesiasticam: transeat; vel probabilius etiam negatur: tum propter varias SS. Congreg. decisiones; tum praecipue, quia dixit Pontifex, quod illa sua Epistola *fortasse proderit aliis extra Romam degentibus*. Quod licet possit de reliquo Ecclesiastico Dominatu intelligi, verisimilius ad totam refertur Ecclesiam.

Fatendum tamen nihil innuisse, quo damnare vellet Pontifex Scoti Sententiam. Imo ait: «Habet sectatores haec sententia suos »non solum in scholis, verum etiam apud Auctores recentiores, in »saecularibus negotiis apprime versatos, quos inter recensendus »est Loaysa *in notis ad Concilium XVII Toletanum*... Praeva»luit tamen in Tribunalibus S. Thomae sententia... atque

(1) I Cor. V, 12.

»inter Theologos, Canonumque peritos vulgatior est...» et sane plurimi AA., qui opinionem tuentur D. Thomae, fatentur probabilem quoque esse oppositam.

114. Obj. 4.° Infideles nolentes filios suos baptizari, non sunt rationabiliter inviti; lex namque divina Baptismi est sufficienter promulgata, ideoque tenentur ipsi illum suscipere cum filiis suis. Ergo, ipsis invitis, juste baptizantur filii eorum; nihil enim aliud fit, quam quod ipsi facere tenentur.

Rep. Dist. *ant.* Non sunt rationabiliter inviti, perpenso tum jure naturali, tum supernaturali simul; conc. Perpenso solo jure naturali; nego *ant.*

Inst. Inde potest inferri, non esse cogendos infideles ne blasphement in Christum, vel beatissimam Trinitatem; nam, perpenso solo jure naturali, non peccant nec quicquam injustum agunt. Sicut ergo non subduntur Ecclesiae vel principibus fidelibus, ut possint cogi ad baptizandos filios; ita neque ut impediantur blasphemare in Christum.

Resp. Nego *conseq.* ac paritatem. Etenim ab Ecclesia potestatem habent Principes, ut eam tueantur: item societatem, cui praesunt, defendendi ab omni perturbatione jure proprio fruuntur. Jam vero publicae blasphemiae in damnum Ecclesiae cedunt, et ordinem in fideli societate perturbant: debent ergo Principes blasphemos cohibere et punire. Haec autem incommoda non consequuntur necessario, ex eo quod filii infidelium non baptizentur: quod si alicubi sequerentur, posse cogi infideles vel ad filios baptizandos vel ad exulandum, idque non jure directo in res supernaturales, sed indirecto defensionis Ecclesiae ac societatis, non detrectabimus.

115. **Nota.** Diximus in Thesi. In nonnullis adjunctis licitum esse, imo obligans, infantes infidelium baptizare. In primis baptizandi sunt infantes infidelium, etiamsi non subdantur principi christiano, qui in periculo mortis versantur, ita ut non supersit probabilis spes, eos victuros. Ita Bened. XIV in citata decretali. Salus enim aeterna infantium majoris est momenti, quam jus illud exiguum quod habent parentes in dicto casu. Non tamen licet vim facere parentibus, si renuant contumaciter; quia jure naturae perpenso, ex quo judicandi sunt, non inferunt infantibus injuriam.

2.° Baptizandi quoque sunt, si pervenientes ad usum rationis ipsi infantes postulent baptizari: nam in iis, quae sunt de necessitate salutis non tenentur parentibus, qui eidem adversantur, obsequi. Pari ratione si unus parentum, etiam sola mater, velit infantem non utentem ratione baptizari; licebit, etiamsi alius obsistat: nam utrique commisit Deus infantium curam, et in necessariis ad

salutem nequit praestantius esse jus illius, qui eam impedire conatur.

3.° Haereticorum filii possunt, sane, per se loquendo, invitis parentibus, baptizari; quia haeretici subduntur jurisdictioni Ecclesiae ratione Baptismatis. Dixi per se; si enim relinquendi essent sub potestate parentum et in periculo deserendi et profanandi fidem: tunc docent aliqui cum Suarez non esse baptizandos, donec ad usum rationis perveniant: alii, e contra probabiliter, tenent, posse etiam sub eo periculo baptizari.

ARTICULUS II.

De Baptismo adultorum.

THESIS XIX

Ad valide suscipiendum Baptismum requiritur positiva intentio: ut autem licite suscipiatur, opus est fide et proposito servandi legem Christi.

116. **Nota.** Ad validum Baptismum sufficere absentiam voluntatis contrariae docuit Cajetanus, et probabile existimarunt pauci alii AA. Verum communis et tenenda, cum D. Thoma, Suarez, Vazquez, etc., sententia est; requiri voluntatem positivam, saltem habitualem.

I.ª Pars constat ex dictis supra (1). Confirm., Concil. Carthaginen. III, cap. 34, decrevit: «Aegrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui »sunt, dixerint, baptizentur.» S. Augustinus (*De Bapt.* c. 24.) «Si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet.»

117. II.ª Pars prob. 1.° Christus D. praecepit Apostolis: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (2). Doctrina ergo et fides praecedere debent Baptismum. Paulus ait: «*Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet, accedentem ad Deum* (3).» Et Philippus Eunucho dicenti: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari,* respondit: *Si credis ex toto corde, licet.*

---

(1) Disq. I, *De sacram. in gen.* Thes. XVIII, n. 156.—(2) *Marc.* XVI, 15, 16.—(3) Hebr. XI, 6.

2.° Vide supra (1) PP. aliquorum testimonia, praesertim S. Basilii et Justini. Deinde nomen illud Baptismi, a Patribus usitatum, rem hanc declarat, vocatur enim *Signaculum fidei.*

118. Requiri quoque propositum legem christianam servandi, jure docent D. Thomas, Suarez, et ceteri AA. communiter. Nam 1.° Christus explicite praecepit: *Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (2).»

2.° S. Justinus etiam id testatur (3): «Quicumque credide»rint vera esse, quae a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere »posse promiserint... eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et regene»rantur.» Et S. Ambrosius (4) alloquens recens baptizatos, ait: «Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responde»ris. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriae ejus »ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed »in libro viventium.»

3.° Confirmari potest ex lege Circumcisionis, cujus locum tenet Baptismus (5); ait enim Paulus: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae.* Ergo similiter, qui Baptismum suscipit, paratus sit oportet ad legis christianae mandata omnia servanda.

119. Obj. 1.° Paulus legem christianam vocat *Legem fidei*, et quidem exclusive: ergo suscipiens Baptismum ad solam obligatur fidem. *Ant.* prob. *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei* (6).

Resp. Dist. *ant.* et explico Apostoli verba: vocat *legem fidei*, et excludit *legem factorum*, ut significet excellentiam fidei in Christum, supra Legem Mosaycam, et insufficientiam hujus ad justificandum; conc. Ut velit Apostolus solam fidem in Lege Christi sufficere; nego *ant.*

Simili modo vocatur Lex Christi *Lex libertatis;* non quia ad nulla obliget mandata, sed quia a Lege Veteri liberavit, et concupiscentiae dominatu.

Inst. *Estis salvati per fidem, non ex operibus* (7).»

Resp. Distinguo: *Non ex operibus*, id est, non ex virtute Legis Mosaycae; conc. Absque ulla bonorum operum obligatione; nego.

---

(1) Thes. VII, n. 40.—(2) Matth. XXVIII, 20.—(3) Apolog. I, n. 61.—(4) *De myster.* c. 2.—(5) Gal. V, 3.—(6) Rom. III, 27.—(7) Ephes. II, 8, 9.

THESIS XX

Adultis peccatoribus necessaria est ad licitam Baptismi susceptionem contritio, seu dolor de peccatis.

120. **Nota.** Non requiri poenitentiae dolorem in eo qui baptizatur, sentiunt aliqui AA. cum Cajetano: vera tamen et communis est nostra sententia, imo et certa.

Prob. 1.° Tridentinum docet (1): «Moventur adversus pec»cata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poeni»tentiam quam ante Baptismum agi oportet.» Et alibi: «Fuit autem »quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contri»tionis motus necessarius.»

2.° S. Petrus interrogantibus Judaeis; *Quid faciemus, viri fratres?* (2), respondit: «*Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum:*» poenitentia ergo praecedat Baptismum oportet.

121. 3.° Augustinus (3). «Omnis qui jam arbiter voluntatis suae constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi »eum poeniteat vitae veteris, novam non poterit inchoare. Ab hac »poenitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes.» Vide alios Patres apud Suarezium et Vazquezium.

122. *Obj.* 1.° Gregorius Naz., ut supra (4) diximus, ait: Purgationem Baptismi esse labore vacuam: ergo poenitentiae dolor non est necessarius.

Resp. Dist. *ant.* Quatenus poenae peccatis debitae remittuntur, neque opus est imponere baptizato poenitentias satisfactorias; conc. Esse labore vacuam, seu, sine detestatione peccatorum; nego *ant.* et *conseq.*

Obj. 2.° Qui vult suscipere Baptismum, vult etiam virtualiter peccata deleri. Sed qui vult deleri peccata, ea detestatur, seu poenitet eum de peccatis. Ergo non alio opus est dolore, quam velle Baptismum suscipere.

Resp. Dist. *maj.* Vult peccata deleri, voluntate excludente omnem affectum peccandi: nego. Vult deleri, ea voluntate quae non excludat omnem peccandi affectum: conc. *maj.* Similiter distinguo *minorem*, et nego *conseq.*

Nam aliud est permanentia peccati, aliud ejus perpetratio, seu

(1) Sess. VI, c. 6, et Sess. XIII, c. 4.—(2) Act. II, 37, 38.—(3) Serm. 351, c. 2, (Migne) t. 5.—(4) Th. III, n. 17.

existentia: sicuti differunt duratio domus, et ejusdem aedificatio. Quemadmodum ergo qui domum destruit, non ideo poenitet, seu detestatur eam fuisse aedificatam; ita qui Baptismum suscipit et vult virtualiter, vel formaliter, deleri peccata, non ideo detestatur, ut oportet, se peccasse.

SCHOLION

123. Quaeri etiam solet, utrum dolor, quo adulti ad Baptismum disponuntur, debeat perfectae esse contritionis; vel sufficiat imperfecta contritio, quae attritio appellatur?

Aliqui AA. cum Petro de Soto, O. P., censent necessariam esse perfectam contritionem: communis et tenenda sententia docet, e contra, sufficere attritionem. Verum de hac re fusius, Deo favente, in tract. de *Poenitentia:* cum enim haec laboriosior existat, quam Baptismus; si ad illam non requiritur contritio, neque ad hunc necessaria erit. Praeterea, ut diximus supra (1), ad sacramenta mortuorum non requiritur status gratiae: ergo neque dispositio justificativa, scilicet, contritio perfecta.

---

(1) Disquis. I. *De sacram. in gen.* Thes. XX, n. 162.

DISQUISITIO III.

De Sacramento Confirmationis.

PROOEMIUM.

Divinum hoc describens Paulus Sacramentum, ordine quidem secundum, sed descensione Spiritus Sancti, qui per illud nobis donatur, insignitum et consecratum, dixit (1):

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Ambrosius autem recens baptizatos et Confirmatione signatos adhortans, ajebat (2): «Post haec utique ascendisti ad Sacerdo»tem (e fonte Baptismatis): considera quid sequutum sit. Nonne »illud quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod descen»dit in barbam, barbam Aaron?*... Unde Dominus Jesus et ipse invi»tatus tantae studio charitatis, pulchritudine decoris et gratiae: »quod nulla jam in ablutis delicta sorderent, dicit ad Ecclesiam: »*Pone me ut signaculum in cor tuum, ut signaculum in brachium »tuum; hoc est: decora es, proxima mea, tota formosa es; nihil tibi de»est. Pone me ut signaculum in cor tuum;* quo fides tua pleno ful»geat Sacramento. Opera quoque tua luceant et imaginem Dei prae»ferant, ad cujus imaginem facta es. Charitas tua nulla persecutione »minuatur, quam multa aqua excludere, flumina undare non pos»sint. Unde repete quia accepisti Signaculum spiritale, Spiritum »sapientiae et intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spi»ritum sancti timoris; et serva quod accepisti. Signavit te Pater, »confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cor»dibus tuis, sicut *Apostolica* lectione didicisti.

PARTITIO GENERALIS.

Caput I. De sacrae Confirmationis existentia et effectibus.
— II. De natura Confirmationis.
— III. De ministro et subjecto Confirmationis.
Appendix. De Spiritus Sancti donis.

---

(1) II Cor. I, 21, 22.—(2) *De Myst.* c. 6 et 7. Spiritum cognitionis atque pietatis.

CAPUT I.

De Sacrae Confirmationis existentia et effectibus.

ARTICULUS I.

De sacrae Confirmationis existentia.

THESIS I.

Habetur in Ecclesia Confirmatio divinitus instituta.

1. **Nota** I. Haec thesis est fidei catholicae. Intelligimus nunc Confirmationis nomine, quoddam sacrum signum descensionis Spiritus Sancti in eos qui fidem Christi professi sunt.

II. Ejusmodi sacrum signum a SS. Patribus multimodis appellatur: *Signaculum Dominicum; Sigillum Domini; Signaculum spirituale; Impositio manus*; *Chrisma salutis; Chrisma sanctum, supercoeleste; Sacramentum Chrismatis;* etc.

2. I. Pars prob. 1.° Conc. Trident. (1) damnat anathemate eos, qui dixerint: «Confirmationem otiosam caeremoniam esse; »injurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro Confirmationis sacra»mento virtutem aliquam tribuunt.»

Synod. II. Oec. et Constant I, in can. 8. «Eos qui »rectae fidei adjiciuntur..., recipimus... signatos sive unctos pri»mum sancto Chrismate... Et consignantes dicimus: *Signaculum »doni Spiritus Sancti.*»

II. De baptizatis samaritanis dicitur (2): *Miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc imponebant manus, super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* Vide pariter Paulum imponentem manus super baptizatos, ut acciperent Spiritum Sanctum (3).

3. III. Tertullianus (4): «Egressi de lavacro perungimur »benedicta unctione... Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter »proficit... Deinde manus imponitur, per benedictionem advocans

---

(1) Sess. VII. *De Confirm.* can. 1 et 2.—(2) Act. VIII, 14, 15, 17.—(3) Act. Ap. c. XIX.—(4) *De Bapt.* cc. 7 et 8.

»et invitans Spiritum Sanctum.» S. Cyprianus, narrato facto illo Petri et Pauli apud samaritanos, ait (1): «Quod nunc »quoque apud nos geritur: ut qui in Ecclesia baptizantur, praepo»sitis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus im»positionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Domini»co consummentur.» Auctor libri de *Eccles. Hierarchia*, sane antiquissimus, scilicet, S. Dionysius Areop. (ut meliores critici tenent) dicit (2): «Ei, qui sanctissimo divinae Regenerationis »Sacro initiatus est, consummans illa Unctio, divini Spiritus illap»sum elargitur.» S. Gregorius, Nazianz. (3): «Si firmis»simo auxilio tibi in futurum caveris, animam, scilicet et corpus »unctione et spiritu consignans, quid tibi accidet, et quod tibi prae»sidium comparatum erit?»

Vide in *Prooem.* S. Ambrosium et apud Bellarminum plura aliorum Patrum testimonia. Verum, cum S. Cyrillus Hierosoly. plura docuerit in suis Catechesibus, saltem pauca non sunt praetermittenda verba: «Sanctum istud unguen»tum, non amplius nudum, neque commune unguentum est post »invocationem; sed Christi donarium, et Spiritus Sancti, praesentia »divinitatis ejus, efficiens factum... Ac dum unguento visibili... »inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.»

4. II.ª Pars prob. 1.° Tridentinum definivit (4): Confirmationem a Christo fuisse institutam sicut Sacramenta omnia.

5. 2.° Tertullianus (5) divinitus institutam esse Confirmationem aperte indicat; «Egressi de lavacro perungimur benedicta »unctione... Dein manus imponitur, per benedictionem advocans »et invitans Spiritum Sanctum... Deo in suo organo non licebit »per manus sanctas sublimitatem modulari spiritualem?» Et alibi ait, diabolum «res sacramentorum divinorum aemulari, sacramen»ta Christi aemulanter exprimere:» inter ejusmodi autem Christi sacramenta, enumerat post Baptismum, quod «Signat in frontibus »milites suos.» S. Cyrillus (supra), hanc sacram Unctionem esse Christi donum aperte docet: «Christi donarium, et Spiritus »Sancti efficiens;» quod aperte supponit fuisse a Christo divinitus institutum.

6. 3.° Confirmatio non est nudum signum descensionis Spiritus Sancti, sed per illam Spiritus Sanctus confertur et gratia Baptismi perficitur. Sed non posset talem habere virtutem, nisi fuisset a Christo instituta: ergo.

Maj. patet; tum ex laudatis Patrum testimoniis, tum ex dicendis in Thesi sequenti.

---

(1) Ep. 73 *ad Jubai.*—(2) Cap. 4, part. 3, n. 11.—(3) In S. *Bapt.* n. 15.—(4) Sess. VII, can. 1, de *Sacrum.*—(5) De *Bapt.* c. 8, De *Praescrip.* c. 40.

7. Obj. 1.° Per Baptismum confertur remissio peccatorum et Spiritus Sancti gratia; hinc plures Patres de solo Baptismo nihilque de Confirmatione loquuntur: ergo videtur Confirmatio Baptismi quaedam ab Ecclesia adjecta caeremonia, non autem a Christo instituta.

Resp. Dist. *ant.* In Baptismo confertur Spiritus S. gratia quoad omnem gradum et perfectionem: nego: ita ut, consummetur deinde gratia Spiritus Sancti per Confirmationem: conc. Plures Patres de Confirmatione non egerunt, eo quod simul cum Baptismate, ut complementum ipsius tradebatur, ut plurimi alii testantur Patres; conc. Eo quod Patres illi Confirmationem nescirent; nego.

8. Obj. 2.° S. Hieronymus fuisse Confirmationem ab Ecclesia institutam fatetur (1): «Non quidem abnuo hanc esse Ec»clesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus ur»bibus per Presbyteros vel Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad »invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat... Et »multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sa»cerdotii, quam ad legem necessitatis.» Atqui si ex divina procederet institutione Confirmatio, non penderet ejus administratio ab Ecclesiae consuetudine; neque propter honorem sacerdotii, potius quam ex lege necessitatis ab Episcopis ministraretur: ergo non fuit a Christo instituta.

Resp. Dist. *min.* Quoad ea quae spectant ad *substantiam* Confirmationis, scilicet, ejusdem existentiam et essentiam, non penderet ab Ecclesiae consuetudine; neque ex honore sacerdotii, sed potius ex lege necessitatis; conc. *min.* Quoad *usum et modum* administrandi, non penderet ab Ecclesiae consuetudine, etc.; nego. Nam, quidem, susceptio Spiritus Sancti per Confirmationem non est de necessitate salutis, sed ad perfectionem et consummationem eorum, qui fuerunt Baptismo sanctificati, fuit a Christo instituta. «Alioqui, »ait Hieronymus, si ad Episcopi tantum imprecationem Spi»ritus Sanctus defluit, lugendi sunt qui per Presbyteros et Diaco»nos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.» In Baptismo ergo suscipitur Spiritus Sancti gratia ad salutem sufficiens; in Confirmatione autem *consummatur:* usum igitur et administrandi modum ad Ecclesiae consuetudinem refert Hieronymus, non autem Confirmationis existentiam et essentiam, cujus altiorem fatetur originem: «Quod si hoc loco quaeris; quare in Ec»clesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum »Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui; disce »hanc observationem *ex ea auctoritate descendere*, quod post ascen-

(1) Dial. *adv. Lucif.* n 9.

»sum Domini, Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.» Unde eadem origo, eadem ratio, et descensus Spiritus Sancti ad *perficiendos et roborandos* Apostolos; et Confirmationis, qua per Episcopum nos accipimus post Baptismum Spiritum Sanctum.

ARTICULUS II.

De effectibus sacrae Confirmationis.

THESIS II

Effectus sacrae Confirmationis est, praeter spiritualem characterem, augmentum gratiae sanctificantis, cum jure ad peculiaria auxilia ad fortiter fidem Christi profitendam; seu breviter; plenior Spiritus Sancti illapsus in baptizatum.

9. **Nota.** In Baptismo descendit etiam Spiritus Sanctus gratiam suam conferens, ut asserit Hieronymus in verbis nuper laudatis in praecedenti difficultate: quod Christus D. clare edocuit dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*... Dicimus ergo, in Confirmatione plenius illabi Spiritum, gratiam augendo, et spirituale robur per specialia auxilia conferendo.

II. Ut probationes omnes elucescant, supponimus: cum datur Spiritus Sanctus, dari eo ipso gratiam sanctificantem seu charitatem, juxta Apostoli doctrinam (1): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

III. Spiritualem conferri characterem ostendimus in Disquisitione I (n. 49), unde cetera quae in thesi asseruntur solum probabimus.

10. I.ª Pars prob. 1.° Ex Trident. (2) definiente, Confirmationem conferre gratiam, sicut cetera Sacramenta. Idem Synod. Laodicena, can 48, docuit: «Oportet eos qui illuminantur, post »Baptisma inungi supercoelesti Chrismate, et esse regni Christi »participes.» Sed participatio regni Christi conferri nequit absque gratia: ergo.

11. Prob. 2.° Innocentius I (3) ait: Oleo «signare solis »debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum sanctum;» quod confirmat exemplo Petri et Joannis apud Samaritanos. Tertullianus (4): «Dehinc manus imponitur... Tunc ille sanctis»simus Spiritus, super emundata et benedicta corpora libens a

---

(1) *Rom.* V, 5.—(2) Sess. VII, can. 1, et 6.—(3) Ep ad *Eugubin.*—(4) De *Bapt.* c. 7.

»Patre descendit.» Cornelius pp. (1) dixit de Novatiano: «Neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo mini»me percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipe»re?» Cyprianus (2): «Tum plene sanctificari et esse filii Dei »possunt, si utroque Sacramento (Baptismo et Confirmatione) nascantur.» S. Cyril. Hierosoly., ut supra (Thes. I) vidimus, ait: «Sanctum Unguentum esse Spiritus Sancti effectivum, et »animam vivificare.» Vide etiam (ibid.) S. Hieronymum. S. Pacianus, ep. Barcin. (3), aiebat: «Vestrae plebi unde Spiritus Sanctus, quam non consignat unctus Sacerdos? S. Ambrosius (4): «Deus qui te unxit et signavit, posuit Spiritum Sanctum in corde tuo.» S. Augustinus (5) «Quando impo»suimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum »utrum linguis loquerentur? Et cum videret eos linguis non loqui, »ita perverso corde aliquis fuit, ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum Sanctum: nam si accepissent linguis loquerentur, quemad»modum tunc factum est?»

Vide alios Patres idem testantes apud AA. praesertim, in *Thesauro Theolog.* t. 10.

12. II. Pars prob.: Gratiam nempe quae in Confirmatione confertur, esse perfectivam, seu roborativam.

1.° Ex Bulla Eugen. IV. *Exultate Deo,* in Conc. Flor. In Confirmatione «datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut »datus est Apostolis, in die Pentecostes, ut videlicet christianus »audacter Christi confiteatur nomen.» Conc. Illiberit. can. 38 decrevit: baptizatum in necessitate debere ad Episcopum perduci, «Ut per manus impositionem perfici possit.»

13. 2.° S. Petrus Dam. (6) «Secundum sacramentum est »Confirmationis. In Baptismate Spiritus datur ad veniam, hic ad »pugnam. Ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus praemu»nimur... Ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, a »quo nemo unquam nocendi inducias extorsit. Delibuti igitur »utriusque roris unguento; illo sanati, confortati isto, securius »descendamus ad singulare certamen.» S. Isidorus (7): «Sicut »in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per Unctionem sancti»ficatio Spiritus adhibetur... Quae dum carnaliter fit, spiritualiter »proficit.» S. Ambrosius (8): «Signavit te Deus Pater, con-

---

(1) Ep. ad *Jacb. Antioch.* apud Euseb. l. 6.—(2) Ep. 72 ad Stephan. pp.—(3) Ep. ad *Sempron.*—(4) *De Sacram.*, l. 6, c. 2.—(5) In Joan. tract. 6.—(6) Ser. 69, *in Dedic. Eccl.*—(7) L. 6, *Orig.* c. 19.—(8) De *Myst.* c. 6. De *Sacr.* l. 3, c. 2.

»firmavit te Christus Dominus;» et rursus: «Sequitur spirituale sig»naculum... quia post fontem superest ut perfectio fiat.» S. Cyrill. Hieros. (1): «Post sacrum Baptisma et Chrisma mysticum, »induti armis S. Spiritus, adversus oppositam vobis potestatem con»sistitis et praeliamini... Chrismatis dono accepto, appellamini chris»tiani... Ante enim quam haec gratia vobis donata est, non eratis »proprie digni eo nomine: sed pergentes usque eo progressi estis, »ut efficeremini christiani, id est, milites Christi.» Vide quoque Ambrosium (supra) in Prooemio. S. Cyprianus (2), proposito Petri et Joannis exemplo, ait: «Quod nunc quoque apud »nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur... per nostram oratio»nem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et »signaculo Dominico consummentur.» Tertullianus (3): «Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.» S. Hieronymus (4) de Confirmatione agens, ait: «Quomodo Spiritum ab »Ecclesia recipiet, qui necdum remissionem peccatorum consequu»tus est? Spiritus quippe Sanctus, nisi mundam sedem non inco»lit.» Vide insuper Gregor. Nazianz. et S. Dionysium Areop. supra in Thesi I.

14. 3.° Ex SS. Litteris patet, non promisisse Christum Spiritum Sanctum ad primam gratiam, seu peccatorum remissionem tribuendam; sed ad roborandos et perficiendos discipulos suos. Atqui proprius effectus Confirmationis est communicatio Spiritus Sancti: ergo ordinatur proprie et per se ad gratiae incrementum et perfectionem. *Maj.* patet: dixit enim Christus (5): «*Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes etc.* Et iterum (6): *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*, etc. Confirm. Ex praxi perenni Ecclesiae, Confirmatio vel immediate post Baptismum, vel nonnisi praevia sacramenti Poenitentiae susceptione, confertur; ergo ordinatur per se ad augmentum gratiae.

15. Obj. 1.° Alia quoque sacramenta ad gratiae augmentum et perfectionem ordinantur: ergo falso dicitur hunc esse proprium Confirmationis effectum.

Resp. Dist. *ant.* Ordinantur eo proprio fine, ut per specialia gratiae auxilia roborentur fideles ad fidem Christi fortiter profitendam; nego. Alio fine; conc. *ant.*

Obj. 2.° Argumenta Scripturae nihil ostendunt: Confirmatio

---

(1) *Catech. 3, myst.* — (2) Ep. 73.—(3) *De Resurr. Carn.* c. 8.—(4) *Dial. adv. Lucifer.*, n. 9.—(5) Act. I, 8.—(6) Luc. XXIV, 49.

enim per unctionem perficitur, de qua nihil habent SS. Litterae, agentes solum de manuum impositione.

Resp. Nego assertum. Nam, prout notatum est in Thesi I, agimus nunc de Confirmatione, quatenus est *quoddam signum sacrum* descensionis Spiritus Sancti in Christi fideles. Ad probationem autem, respondetur; non agi in praesentiarum de materia essentiali Confirmationis, de qua re postea tractandum: sive ergo sit unctio materia Confirmationis, sive manuum impositio, sive utraque simul, stat quod diximus: dari, nempe, in Ecclesia quoddam signum sacrum quo perficiuntur baptizati per descensum Spiritus Sancti.

16. Obj. 3.° Impositione manuum ab Apostolis adhibita, dona Spiritus Sancti, quae gratiae gratis datae appellantur, uti donum linguarum, prophetiae, etc., suscipiebant fideles. Ergo vel non est sermo in SS. Litteris de Confirmatione, vel alius est Confirmationis effectus.

Resp. Dist. *ant.* Omnes fideles gratias gratis datas, prophetiae, miraculorum, etc., suscipiebant per manus impositionem; nego. Aliqui fideles divisim haec vel illa dona habebant; subdist. Simul cum gratia et charitate: conc. Exclusive; nego.

Apostolus enim (1) docet; quod unus et idem spiritus dividebat ejusmodi dona, *prout vult*. Id vero erat omnibus fidelibus commune, ut omnes, *per unum Spiritum essent unum corpus cum* Christo, Christus autem caput omnium; idque fiebat per virtutem Baptismi et Spiritus sancti descensum, seu per Confirmationem. *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa... ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... et omnes in uno Spiritu potati sumus.* Inter autem dona Spiritus Sancti, meliora et excellentiora esse, ait ipse Apostolus, *fidem, spem et charitatem.* Quae quidem *charitas, ait, nunquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur... Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec; major autem horum est charitas.*

17. Obj. 4.° Descensus Spiritus Sancti per orationem Apostolorum impetrabatur: *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum* (2): ergo non tradebatur Spiritus Sanctus per ritum aliquem sacrum, seu sensibilem caeremoniam.

Resp. Dist. *ant.* Descensus visibilis, per dona nempe extraordinaria, miraculorum, linguarum, etc., transeat *ant.* Descensus invisibilis per infusionem gratiae sanctificantis; nego. Si sola oratione tradidissent Apostoli Spiritum Sanctum, non opus fuisset quod in Samariam mitterentur: verum, ut scriptor sacer notat, *impone-*

---

(1) I Cor. XII et XIII.—(2) Act. VIII, 15.

bant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum: inanis ergo non erat sensibilis illa caeremonia.

Inst. 1.° Augustinus (1) ait: «Manus impositio non, sicut »Baptismus, repeti non potest: quid est enim aliud nisi oratio su- »per hominem?» Atqui, ut dictum est, Confirmatio, cum imprimat characterem, repeti nequit. Ergo sola Apostolorum oratione dabatur Spiritus Sanctus, non autem per caeremoniam aliquam quae esset ipsa Confirmatio.

Resp. Explico Augustini verba: Manus impositio *mere reconciliativa*, repeti potest; conc. Manus impositio, qua conferebatur Spiritus Sanctus, repeti poterat; nego.

Inst. 2.° Per illam manuum impositionem non dedisse Apostolos Spiritum Sanctum, docet ipse Augustinus (2): «Orabant »quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi »eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat »Ecclesia.» Ergo neque datur per Confirmationem.

Resp. Dist. *ant.* Non dabant Apostoli Spiritum Sanctum *auctoritative*, seu virtute propria; conc. Non illum dabant ut Christi instrumentum, seu *sacramentaliter;* nego. Hoc sensu locutum Augustinum patet ex contextu: «Quomodo Deus non est (Christus) »qui dat Deum?» Hoc sane modo negat Augustinus dedisse Apostolos Spiritum Sanctum: quod autem darent instrumentaliter non diffitetur; imo observat dicere Sacrum textum: «Quod *per impositionem manuum* Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.»

18. Obj. 5.° Ex prisca consuetudine, ab Stephano pp. et pluribus confirmata conciliis, per manuum impositionem suscipiebantur redeuntes ab haeresi: ergo si ejusmodi ritus iterari potest, non imprimit characterem.

Resp. Dist. *ant.* Per impositionem manuum reconciliatoriam; conc. Confirmatoriam; nego.

Inst. S. Cyprianus arguebat Stephanum, quod si manus imponebatur, Baptismus quoque esset haereticis conferendus: «Tunc enim plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, *si utro- »que sacramento* nascantur.» Ergo Confirmatio ipsa iterabatur.

Resp. Concesso *antecedente;* nego *conseq.* Sane putavit vel supposuit Cyprianus, et inde causam suam tuebatur, quod Stephanus iteraret sacramentum Confirmationis; verum id juxta suum errorem dixisse censendus est, quod crederet apud haereticos valida non esse sacramenta.

---

(1) *De Bapt. contra, Donat.* l. 3, c. 16.—(2) *De Trin.* l. 15, c. 26.

CAPUT II.

De natura Confirmationis.

ARTICULUS I.

De natura Confirmationis generatim sumpta.

THESIS III

Confirmatio est verum Ecclesiae Christi sacramentum.

19. Haec thesis est fide catholica certa. Prob. 1.° ex Tridentino (1): «Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam »caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramen»tum... anath. sit.»

Insuper generatim confirmatur argumentis, quibus septem existere sacramenta, quorum unum est Confirmatio, probavimus (2).

20. Prob. 2.° Tertullianus (3) docet, eodem modo proficere carnalem Confirmationis unctionem, ac Baptismi actum carnalem, quo in aqua mergimur. S. Cyprianus ait (4): «Tunc »plene sanctificari et fieri filii Dei possunt, si utroque sacramento »(Baptismo et Confirmatione), nascantur.» S. Cyrillus Hieros. (5) clare loquitur: «Quemadmodum Panis Eucharistiae, post »Sancti Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, »sed est Corpus Christi: sic et sanctum hoc unguentum... postquam »consecratum est, est chrisma Christi, et Spiritus Sancti, praesen»tia divinitatis ejus, effectivum.» S. Augustinus (6): «Sa»cramentum Chrismatis... in genere visibilium signaculorum sa»crosanctum est, sicut ipse Baptismus... Discerne visibile sanctum »sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest; illis ad »praemium, istis ad judicium, ab invisibili unione charitatis, quae »propria bonorum est.» S. Isidorus Hisp. (7): «Sunt au»tem sacramenta Baptismus et Chrisma et Sanguis Christi: quae »ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium re-

---

(1) Sess. VII, *de Confir.* can. I.—(2) Disq I, Thes. I.—(3) *De Bapt.* c. 7.—(4) Epist. 72, ad Steph. pp.—(5) *Catech.* 3. *Myst.*—(6) L. 9, *contr. literas Petil.* c. 104.—(7) L. 6, *Orig.* c. 19.

»rum, virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum »operatur:» et deinde; «Sicut in Baptismo peccatorum remissio da»tur; ita per unctionem sanctificatio Spiritus... Quae dum carnali»ter fit, spiritualiter proficit, quomodo et in ipsa Baptismi gratia...»

Prob. 3.° Sacramentum est signum practicum rei sacrae sanctificantis homines. Sed talis est confirmatio: unctio enim et manus impositio est signum sensibile; et per illud significatur et confertur gratia Spiritus Sancti. uti probatum est: ergo.

21. Obj. Si foret Confirmatio verum sacramentum, haberet materiam et formam a Christo institutam. Atqui non ita res se habet: in diversis enim temporibus, et in diversis Ecclesiis, diversae quoque adhibitae sunt materia el formae: ergo.

Resp. Dist. *min.* Adhibitae fuerunt materiae essentialiter diversae; nego: accidentaliter diversae; conc. *min.* Nam quod substantialiter, seu juxta Christi D. institutionem, requiritur ad Confirmationem, non fuit unquam mutatum. Sed de hac re infra agemus.

Obj. 2.° Si Confirmatio foret verum sacramentum, non ministraretur nisi post Baptismum susceptum. Atqui Ananias imposuit manus Saulo antequam baptizaretur; et similiter super Cornelium ejusque domum ante Baptismum descendit Spiritus Sanctus: ergo caeremonia ista impositionis manuum vel Chrismatis, qua datur Spiritus S., non est sacramentum.

Resp. Nego suppositum *minoris,* vel explico: supra Saulum et Cornelium non communi et sacramentali modo venit Spiritus Sanctus, sed praeter communem ordinem. Ananias quidem manus imposuit ut Saulum a caecitate sanaret, non autem ut daret potestate propria, saltem ordinaria, Spiritum Sanctum. Unde dicens Ananias: *Dominus misit me Jesus, ut videas et implearis Spiritu Sancto:* non est locutus de Confirmatione: sed vel de Baptismi gratia, vel de mira et singulari Sp. Sancti descensione.

THESIS IV.

Materia remota Confirmationis est Chrisma, seu oleum cum balsamo; materia autem proxima est unctio, simul, probabilius, cum impositione manuum.

22. **Nota.** Ut vidimus superius, antiqua monumenta Patrum, Spiritum Sanctum dari post Baptismum testantur, nunc per unctionem, seu sacrum unguentum, nunc autem per manuum impositionem. Inde variae auctorum sententiae circa Confirmationis ritum et materiam. Alii solam necessariam dicunt manuum impositio-

nem; ita Aureolus Cardinalis cum aliquibus eruditis theologis: alii, e contra, in sola unctione materiam sacramenti reponunt: ut Bellarminus, Maldonatus, etc. Tertia autem sententia tenet adaequatam materiam utrumque signum amplecti, quod nos defendimus. Denique nonnulli censent alterutram posse sufficere, si Ecclesia id statuerit.

23. I. Pars prob. 1.° Concil. Florent. (1), cum Eugenio IV, docuit: «Secundum sacramentum est Confirmatio, cu»jus materia est Chrisma confectum ex oleo et balsamo per Episco»pum benedicto.» Idem supponit Tridentinum (2): «Si quis »dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis »chrismati virtutem aliquam tribuunt: anath. sit.» Vide supra (3) etiam Synod. Oecum. II. et Laodicenam. (ibid.)

24. 2.° SS. Patrum plures vidimus sententias. Ex. gr. Dionysius (ibid.) ait: «Consummans illa Unctio divini Spiritus illap»sum elargitur.» Ita. Gregor. Nazian.; Ambrosius; Cyrillus Hierosol. dicens: «Sanctum Unguentum esse Spi»ritus Sancti effectivum;» et iterum (ibid. Thes. II.): «Post chrisma »mysticum, induti armis Spiritus,» ect. Vide quoque Augustinum in praecedenti thesi. S. Pacianus (4): «Lavacro pec»cata purgantur; Chrismate Spiritus S. superfunditur.»

25. 3.° Antiqua ritualia diversarum Ecclesiarum confirmant thesim. Nam apud Armenos, Chaldaeos, Cophtos, Aethiopes, Graecos, communiter, peculiaribus exceptis Ecclesiis, ab immemorabili origine, hanc chrismatis unctionem adhibuerunt. In *Ordine Romano*, ante IX seculum exarato, praescribitur: «Pontifex tincto po»llice in Chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita »dicendo: *Confirmo te*, etc.» In libro, de *Ecclesiasticis Officiis*, Amalarii Fortunati, dicitur: «Haec crux (in Confirmatio»ne) Chrismate efficitur, quod confectum est ex oleo et balsamo.» In *Eulogio graeco* praescribitur: «Peracta Baptismi actione, adjicit »Sacerdos sacrum administraturus unguentum: Benedictus es, Do»mine Deus omnipotens, fons bonorum.... qui et nunc recens illu»minatum servum tuum per aquam et Spiritum, peccatorum remis»sione ei concessa regenerare voluisti, ipse Domine Rex omnium »benigne, signaculum Doni Sancti, et omnipotentis et adorandi »tui Spiritus, et sancti Corporis et pretiosi Sanguinis tui commu»nionem ei largire, in sanctitate tua custodi illum, in vera fide »confirma, etc.»

26. 4.° Hujusce sacramentalis materiae pro Confirmatione est

(1) Decr. *pro Arm.* – (2) Sess. VII, can. 2. – (3) Cap. I, Thes. I et II. – (4) Ep. I, adv. *Sempron.*

congruentissima ratio, quam supra, in *Proemio*, vidimus expendere S. Ambrosium.

Infusionem et illapsum Spiritus Sancti, saepe in SS. Litteris, eodem dictante Spiritu, per olei unctionem et suavem odorem significari, res est notissima. Sic Dominus dixit (1) ex Isaia: *Spiritus Dominus super me, propter quod unxit me*, etc. Et Petrus praedicans Cornelio et domui ipsius ait: *Vos scitis quod factum est verbum, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto...* (2). Item Paulus, ut habetur supra, (in *Prooemio*). Insuper Prophetae, ut per eos loqueretur Spiritus, oleo ungebantur; nec non sacerdotes et reges, ut ad officium consecrarentur. Cum ergo christiani omnes in spirituale sacerdotium et regnum Christi suscipiantur, ut docent Petrus (3) et *Joannes* (4), nec non Spiritu Sancto roborandi et perficiendi sint: *Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, (5): *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater* (6); et Christi odorem, uti et Apostolus (7), spirare debeant; convenienter christiani perfectio, quae per Spiritum in Confirmatione confertur, significatur per sacram Chrismatis Unctionem.

27. II.ª Pars prob. 1.° In Concil. Oecum. XIV. Lugd. II, approbavit Gregorius X. *fidei professionem* Michaëli Palaeologi, quam ipsi Clemens IV, praescripserat; et in ea dicitur: «Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia... aliud est »sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem »episcopi conferunt, chrismando renatos.» Concil. Eliberit. (an. 305) can. 38, praescripsit: «Posse fidelem baptizare in necessi»tate infirmitatis positum catechumenum; ita ut, si supervixerit, »ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici »possit.»

2.° Res est aperta. Apostolos per manus impositionem tradidisse Spiritum Sanctum, (vide supra, cap. I, Th. I). Atqui eos subrogasse ritum a Christo minime praescriptum dici nequit: ergo.

28. 3.° SS. Patres passim testantur. Videas Tertullianum, Cyprianum, Hieronynum, Augustinum (ibid. in Thes. II), qui de Apostolis loquens manus imponentibus, ait: «Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia.» S. Isidorus (8): «Sed quoniam post Baptismum per Episcopos »datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus »Apostolorum fecisse memininus Apostolos.» Vener. Beda (9)

---

(1) Luc. IV, 18.—(2) Act. ap. X, 37, 38.—(3) I Petr. II. 5.—(4) Apoc. I, 6.—(5) Rom. VIII, 9. - (6) Galat. IV, 6.—(7) II Cor, II, 14, 15. - (8) De *Offic. Eccl.* c. 26.—(9) In. Ps. 26.

docet. Confirmationem esse illam unctionem quae «per manuum »impositionem ab Episcopis fit.»

29. Corollarium. Ex dictis elucet, quae sit dicenda proxima materia Confirmationis: scilicet ipse usus Chrismatis, seu unctio, et manuum actualis impositio.

Cum autem duplicem Episcopus praebeat manuum impositionem; unam, qua manus extendit orando super omnes confirmandos; alteram, qua caput tangit confirmandi dum ungit frontem illius: quaerunt aliqui, quae ex his sit sacramentalis. Haec autem quaestio nonnisi conjecturis solvi potest. Ambae enim manuum impositiones sunt moraliter cum chrismatione conjunctae, et donec unctio perficiatur, cum sit quoque essentialis, non potest perfici sacramentum.

30. Obj. 1.° SS. Scripturae tradidisse Apostolos Spiritum Sanctum per manus impositionem asserunt, de Chrismate autem vel quavis unctione nihil dicunt; sed si unctionem adhibuissent aliquam, id sacri scriptores non tacuissent: ergo Chrisma non est materia hujus Sacramenti. *Min.* prob. Cum per unctionem sanabantur infirmi, cum etiam de Extrema Unctione agit S. Jacobus, ritum ejusmodi unctionis non tacuerunt Scriptores sacri: ergo neque tacuissent agentes de traditione Spiritus S.; nobilissimo, nempe, Sacramento, si ad illam necessaria unctio fuisset.

Resp. Hujus argumenti vis non est dissimulanda, quod eruditos induxit auctores, ut putarent, ritum esse ecclesiasticum chrismationem, quemadmodum et similes unctiones, quae in Baptismo et aliis perficiuntur sacramentis. Tamen, cum gravissimis Conciliorum et SS. Patrum apertis refragetur testimoniis haec opinio, quae argumento solum nititur negativo, nullatenus est probanda.

31. 1.° Ergo reponunt aliqui, extraordinario modo tradidisse Confirmationem, vel potius confirmationis effectum, Apostolos; quemadmodum ipsis Apostolis, et Cornelio totique domui ipsius sine ministro, vel ritu aliquo sacro, illapsus est Spiritus Sanctus. Praesertim cum plura sensibilia signa, puta, linguarum, prophetiae, descensum testantia divini Spiritus, Confirmationem comitarentur. Instinctu enim divino ducebantur Apostoli, et agnoscebant non urgere Christi mandatum, in talibus adjunctis, de tali vel tali adhibendo ritu. Haec quidem non absurde dicuntur.

32. 2.° Dici potest, Christum non definivisse *in individuo* ritum adhibendum, sed jussisse Apostolis, ut per aliquem ritum significativum, traderent Spiritum Sanctum, iisdem permittendo selectionem a se probandam et confirmandam. Si ergo aliquando *solam* manuum impositionem adhibuerunt Apostoli, non id praeter Christi institutionem fecere; similiter si alii Apostoli *solam* adhibuissent

Unctionem (quid enim fecerint Jacobus, Thomas, Philippus, etc. etc. non refert Scriptura), neque fuissent Christi mandatum praetergressi. Cum vero tandem tum Unctionem tum manuum impositionem, cessantibus jam extraordinariis signis, adhibendam censuerunt, id quoque juxta Christi institutionem peractum est. Neque dicas sequi inde, Apostolos mutasse materiam Confirmationis: solum enim dici potest mutari materiam *substantialiter*, quum aliquid efficitur *praeter id* quod a Christo est praescriptum.

33. 3.° Aliam subjungit solutionem Bellarminus, quam magis probat; scilicet, *manuum impositionem* ab Apostolis adhibitam fuisse simul *unctionem;* ut nunc faciunt Episcopi, manum simul imponentes et frontem oleo signantes.

SCHOLIA

34. I. Chrisma ex oleo et balsamo conficitur. Quaeri solet, utrum ambae sint materiae essentiales, vel una sola sufficiat. Diversimode opinantur AA., cum Ecclesia nihil explicite definiverit. Communior opinio est, utramque necessariam esse substantiam ad validum Sacramentum.

Praecipuae rationes sunt illae, quibus in I.ª Parte Theseos IV usi sumus. Sane peccaret graviter qui solo oléo, vel balsamo confirmare praesumeret, et foret, sub conditione, sacramentum iterandum.

35. II. De benedictione Chrismatis ab Episcopo facienda, censet Cajetanus, cum Valentia et aliis, non esse necessariam, sed a simplici sacerdote fieri posse ex Summi Pontificis licentia. Communior tamen tenet sententia, solum posse ab Episcopo valide benedici. Ita docuerunt: Conc. Roman., sub Silvestro; Conc. Tolet. I et Carthagin. I et III; et praecipue Florentinum, sub Eugenio IV in *Decreto pro Armen.* «Materia hujus sacramenti est Chrisma confectum ex oleo, quod ni»torem significat conscientiae, et ex balsamo quod odorem signifi»cat bonae famae, per Episcopum benedictum.»

Dices: nonnumquam datum est presbyteris ut Chrisma benedicerent.

Resp. Id negant plures AA. Tamen si id concessum fuerit, consequenter non negabimus probabilem dicendam oppositam opinionem, cum in urgenti necessitate juxta eam nonnulli Romani Pontifices, ut supponimus, usum Chrismatis a presbyteris consecrati permiserint.

THESIS V.

Forma sacramenti Confirmationis sunt verba illa: «Signo te, signo crucis, et confirmo te, Chrismate salutis; in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

36. Prob. 1.° Ex Eugenio IV in Florentino, qui id explicite docet.

2.° In *Rituali Rom.* praescribuntur haec verba, ab Episcopo dum ungit confirmandum, proferenda.

3.° Formae conjunguntur materiae proximae et effectum significant sacramentorum. Sed talia sunt verba praedicta: ergo.

37. Dices 1.° Cum impositione manuum, ante unctionem, orationem profert Episcopus significantem etiam actualem susceptionem Spiritus Sancti: ergo eadem ratione dici poterit, eam orationem formam existere Sacramenti.

Resp. Sicuti probabile est illam priorem manuum impositionem esse partialem materiam Confirmationis, ita non improbabiliter dicitur, orationem illam esse partialem ipsius formam.

Dices 2.° Graeci ungentes dicunt tantum: *Signaculum Doni Spiritus Sancti.*

Resp. Licet nonnulli dubitent de hujus formae validitate, tamen potius dicendum, non differre essentialiter ab illa priori, et ideo esse validam.

Insuper ut diximus superius, Disquis. I, non definivit Dominus pro omnibus sacramentis, *in individuo*, materiam: idem proinde censendum est de forma. Salva ergo substantia *institutionis Dominicae*, Apostoli orationem seu verba adhibuerunt aliquantulum diversa, et traditionem hanc non omnino uniformem retinuerunt diversae Ecclesiae.

CAPUT III.

De Ministro et Subjecto Confirmationis.

ARTICULUS I.

De Ministro Confirmationis.

THESIS VI

Minister ordinarius sacramenti Confirmationis est solus Episcopus; extraordinarius autem simplex sacerdos.

38. Thesis prima pars est jam certa et definita adversus wicleffitas, et nonnullos antiquos theologos, qui vel errarunt vel dubitarunt: ut Scotus, Cajetanus, etc., rem esse dubiam censentes.

I.ª Pars prob. 1.° Trident. definivit: «Si quis dixerit, sanc»tae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Epis»copum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anath. sit (1).

2.° Confirm. In SS. Litteris numquam, praeter Apostolos, alii hujus Sacramenti exhibentur ministri.

39. 3.° Ex traditione: vide supra (2) Innocentium I, Cornelium pp., Concil. Illiberitanum, Hieronymum, S. Cyprianus (3), memorato Petri et Joannis exemplo, ait: «Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia »baptizantur, *praepositis Ecclesiae* offerantur, et per nostram ora»tionem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.»

4.° Confirmatio instituta est ad perficiendum christianum, ut supra diximus: ergo decet ut ad summum sacerdotem reservetur, uti ait D. Thomas (4): «Ultima consummatio supraemae virtuti »reservatur.»

40. II.ª Pars prob. 1.° Conc. Flor. (5): «Ordinarius mi»nister est Episcopus... Legitur tamen, aliquando per Apostolicae

---

(1) Sess. VII, can. 3.—(2) Cap. I, Thes. II.—(3) Ep. ad *Iubaj.*—(4) P. 3, q. 72, a. 10.—(5) *Decret. pro Arm.*

»Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, »simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc »administrasse Confirmationis Sacramentum.»

2.° Apud Graecos permittitur ut simplices sacerdotes Confirmationem ministrent: neque hoc damnat Ecclesia. Gregorius M. id quoque concessit Presbyteris Sardiniae. Pallavicinus Card. (1) plures refert Roman. Pontifices qui hanc facultatem fecerunt simplici Sacerdoti; sed nunc quoque aliquando Presbyteris missionariis datur haec potestas.

Nota. Non tamen inde inferas, fore validam Confirmationem sine licentia Romani Pont. a simplici sacerdote ministratam. Nam potestas illius non est plena, sed pendens a licentia Pontificis, sine qua non ageret ut Christi minister, sed nomine proprio. Unde licet sacerdos simplex eamdem adhiberet materiam, eamdemque formam, haec non elevarentur ad statum sacramentalem defectu *ministerialis* intentionis.

41. Obj. 1.° Nicolaus I mandavit bulgaros iterum confirmari, qui a presbyteris graecis fuerant confirmati: ergo putavit non posse presbyteros valide confirmare.

Resp. Explico factum: presbyteri illi graeci non acceperant legitimam delegationem: tum quia Bulgaria non erat sub jurisdictione Patriarchae graeci; tum quia propter recens schisma photianum ligabantur excommunione: negatur ergo *consequentia*.

Obj. 2.° Confirmatio non est actus jurisdictionis, sed ordinis; alias posset Episcopus non consecratus confirmare valide. Atqui non est actus ordinis presbyterialis; cum invalide ministret presbyter non delegatus; ergo est actus ordinis episcopalis, et inde solus Episcopus valide confirmat.

Resp. Dist. *min.* Ordinarie non est actus presbyteratus; conc.: supposita delegatione legitima; nego *min.* Nempe voluit Christus Confirmationem esse actum plenitudinis sacerdotalis, vel *immediate*, vel saltem *mediate* per delegatum sacerdotem simplicem.

---

(1) L. 9, *Hist. conc. Trid.*

ARTICULUS II.

De Subjecto Confirmationis.

THESIS VII

Omnes et soli homines baptizati capaces sunt Confirmationis: non tamen ad eam suscipiendam tenentur ut salutem assequantur.

42. I.ª Pars prob. 1.° Christus D. instituit hoc sacramentum ad plenitudinem conferendam donorum Spiritus Sancti. Atqui voluit Christus ut fideles omnes eam susciperent plenitudinem: ergo. *Min.* patet. Nam. a). Dominus dixit (1): *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* b). Petrus ex Ioele propheta edocuit (2), pro omnibus misisse Christum Spiritum Sanctum. c). Paulus (3) quoque miratus est, quosdam discipulos non accepisse Spiritum Sanctum, et dixit ad eos: *In quo ergo baptizati estis?* Unde baptizati omnes in Christo confirmandi sunt.

43. 2.° Vide supra (in Prooemio) Ambrosium verba Pauli commentantem. Antiqua disciplina Ecclesiae immediate post Baptismum omnibus ministrabat Confirmationem. Vide quoque supra (4) Concil. Illiberitanum statuens, quemlibet baptizatum ad Episcopum perduci debere.

3.° Vult Christus D. omnes in sanctitate perfectos; *Estote ergo vos perfecti...* (5). Sed per virtutem hujus Sacramenti in gratia Spiritus S. perficimur: ergo.

Denique si qui forent excludendi, hi forent infantes: atqui, ut notat D. Thomas (6): «Anima ad quam pertinet et spiritualis »nativitas, et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est; et potest »sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita »tempore juventutis vel pueritiae consequi perfectam aetatem, quia »hujusmodi corporales aetates animae non praejudicant:» ergo.

44. II.ª Pars prob. 1.° Ex natura hujus Sacramenti. Ut supra dictum est (n. 12), Confirmatio ad perficiendum in gratia et con-

---

(1) Joan. VII, 38, 39.—(2) Act. II, 17.—(3) Act. XIX, 2, 3.—(4) Cap. I, Th. II.—(5) Matth. V, 48.—(6) 3 p. q. 72. a 8.

summandum Christi militem est instituta. Sed consummatio et perfectio vitae gratiae supponunt primam gratiam: ergo.

2.° Prius est nasci quam perfici et roborari: atqui nascimur per Baptismum, roboramur autem per Confirmationem: ergo.

3.° Consuetudo Ecclesiae idem ostendit. Ut vidimus supra ex SS. Patribus, post susceptam Baptismi gratiam ducebantur initiati ad Episcopum ut eos ungeret et manus imponeret (n. 39). Unde cum supra Cornelium descendit Spiritus Sanctus, gratia non fuit sacramentalis et ordinaria; sed miraculose ac praeter ordinem communem suscepta. Miraculo enim illo voluit Deus Petrum ceterosque edocere judaeos, ad Baptismum et alia Christi et Spiritus S. charismata esse gentiles suscipiendos (1).

45. III.ª Pars prob. 1.° Christus D. ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Sufficit ergo ad salutem gratia Baptismi intemerate custodita.

2.° Hieronymus absurdum esse significat, aliquem perire eo quod non fuerit confirmatus (2): «Alioqui... lugendi sunt, qui »per presbyteros et diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab »episcopis inviserentur.»

3.° Neque Ecclesia novit, neque promulgavit necessitatem Confirmationis ad salutem assequendam: ergo.

46. Dices: Concil. Senonense (a. 1524) dicit: «contemni autem dicitur, quando Episcopus est praesens, paratus dare, et persona hoc sciens negligit.» Sed contemptus sacramenti est grave peccatum: ergo qui potest Confirmationem suscipere et negligit, graviter peccat.

Resp. Dist. *min.* Contemptus formalis est grave peccatum; concedo: Contemptus late et improprie dictus, scilicet, negligentia quaedam et tepiditas in iis quae ad spiritualem pertinent profectum; nego. De hoc improprio contemptu locutum Concilium, patet ex contextu.

SCHOLION

47. Qua autem aetate possint infantes confirmari, generatim dici potest, cujusque Ecclesiae servandam esse consuetudinem. Ecclesia Graeca infantes ratione carentes immediate post Baptismum confirmat. In Ecclesia Latina non una est disciplina. In aliquibus regionibus non nisi suscepta prima Communione, traditur Confirmatio: in aliis cum ad usum pervenerunt rationis, tunc Episcopo confirmandi offeruntur: in Hispaniarum regnis, prima

---

(7) Act. X, 45.—(8) *Dial. adv. Lucifer.* 9.

occurrente occasione adventus Episcopi, omnes infantes ei confirmandos parentes afferunt. In quo duo praecipue sunt commoda.

1.° Cum plures ante usum rationis decedant, ii duplicatam in aeternum suscipiunt haereditatem.

2.° Cum, lucescente jam ratione, tentationibus fiunt obnoxii, armis Spiritus roborati hostibus obsistunt.

Verumtamen accipientes Confirmationem in discretionis aetate, et ab omni labe mortali immunes, possunt juxta devotam dispositionem, qua ad illam accedunt, abundantiorem suscipere Spiritus Sancti gratiam. Unde ad hunc fructum capessendum adhortandi diligenter sunt, ne forsan ex incuria, iis priventur commodis, quae ex dilata sacramenti susceptione expectare licebat, postquam iis quoque caruerunt, quibus in aetate innocenti gaudere potuissent.

APPENDIX.

De Spiritus Sancti Donis.

§ I.

Quae sint dona Spiritus Sancti.

48. *Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis: et replebit eum Spiritus timoris Domini* (1).

Ad haec Hieronymus: «Nos virgam de radice Jesse »sanctam Mariam Virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi »fruticem cohaerentem; de qua et supra legimus: *Ecce Virgo conci-*»*piet et pariet filium*. Et florem Dominum Salvatorem, qui dicit in »Cantico Canticorum. *Ego flos campi et lilium convallium*... Super »hunc igitur florem, qui de trunco et radice Jesse per Mariam »Virginem repente consurget, requiescet Spiritus Domini, quia in »ipso complacuit omnem plenitudinem Divinitatis habitare corpo-»raliter, nequaquam per partes, ut in ceteris sanctis... Et quomodo »idem sermo Dei vocatur lux et vita et resurrectio; sic Spiritus sa-»pientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, et scientiae ac pie-»tatis, ac timoris Domini nuncupatur: non quod diversus sit juxta

(1) Isai. XI, 1-3.

»differentias nominum, sed unus atque idem cunctarum virtutum »fons sit atque principium. Absque Christo igitur nec sapiens quis »esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eru- »ditus, nec pius, nec plenus timoris Dei. Et hoc notandum, quod »Spiritus Domini, sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, »et scientiae et pietatis et timoris Domini, id est, septenarius nu- »merus, qui septem oculi in uno lapide dicuntur in Zacharia, »requiescat super virgam et florem, qui de Jesse, ac per hoc, David »stirpe surrexit. Specialiter autem Spiritus timoris Domini imple- »verit eum propter eos qui timore Domini indigent.»

Notat ergo S. Hieronymus plenitudinem divini Spiritus suscepisse Christum, ut de plenitudine ejus omnes acciperemus: nam *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater* (1).

§ II.

An haec dona a virtutibus infusis distinguantur.

49. Iuxta Patres et theologos hi septem Spiritus septem primaria significant Dona Spiritus S., et ideo sub illis, ut in quadam numeri plenitudine, cetera omnia dona.

S. Thomas, cum aliis, censet, dona Spiritus Sancti a virtutibus infusis distingui, quatenus illa quamdam superaddant facilitatem ut ducamur instinctu divini Spiritus; virtutes autem juvant ut ratione regamur.

Alii autem theologi putant, virtutes morales a donis moralibus non diferre: ita ut donum Pietatis non distinguatur a virtute religionis; donum Consilii a prudentia; donum Timoris a spe et charitate, vel humilitate; et pariter donum ac virtus Fortitudinis. Eatenus autem speciale donum evadere ejusmodi virtutes concedunt, quatenus validissimis aliquando impulsibus Spiritus S. ad illarum actus eliciendos inspirat, quin tamen inde specie differant.

Verum cum negari non possit movere aliquando Spiritum Sanctum per speciales instinctus; eadem ratione concedi debet, posse homines disponi per dona specialia habitualia ad ejusmodi speciales suscipiendos et eliciendos (sunt enim vitales) instinctus, quibus aliter fertur ad objectum potentia, quam communi et ordinario modo.

---

(1) Gal. IV, 6.

§ III.

Quod bonum animae singula tribuant.

50. Sive ergo sint omnia praedicta dona a virtutibus supernaturalibus distincta, sive non; paucis, quod bonum per illa animae praestetur, innuemus.

Sapientia donum est, quo divina et aeterna contemplantes, juxta respectum quem ad illa gerunt, de rebus ceteris judicamus.

Intellectus dono mens perficitur, ut ea obscura principia apprehendat, quae viam ad sapienter judicandum sternunt.

Consilium est donum, quo practicas actiones ad normam supernae sapientiae ducimus.

Fortitudine omnia adversa, etiam martyrium, facile vincuntur, Spiritu Sancto specialiter roborante.

Per Scientiam res temporales dignoscimus, quatenus ad salutem aeternam conducibiles esse queunt.

Pietas voluntatem bene affectam reddit erga Deum summum Parentem, et erga alios tamquam fratres unius, communisque Parentis, ut debita iis persolvat officia.

Donum Timoris initium est ac corona omnium donorum: per humilitatem initium existens et dispositio illorum; et per charitatem, ad cujus perfectionem omnia ordinantur, filialem erga Deum, insignemque reverentiam induens.

§ IV.

Quo perfectionis ordine numerentur.

51. Si ordinem spectes divinorum Donorum, aliqui Patres cum Ambrosio et Hilario existimant, fuisse enumerata ab Isaia ascendendo ab imo ad summum, ita ut Timor supremum attingat gradum: alii, e contra, ut Gregorius M., censent a summo ad imum Prophetam descendisse, ita ut, celsiorem gradum obtineat Sapientia.

Primum distinguenda dona quae pertinent ad intellectum, ab iis quae perficiunt voluntatem. Iam vero actus intellectus non praesupponit actum voluntatis: unde ratione independentiae, simplicitatis et universalitatis, ceteris paribus, praeeminent actus et dona intellectus actibus et donis voluntatis. Verum, si perfectio intensiva actus voluntatis perpendatur, cum illam intellectivam praesup-

ponat, eique superaddat, excellentior absolute dicenda; unde et per actum voluntatis perficitur et consummatur unio cum ultimo fine.

Timor ergo filialis, seu ex charitate, altiorem tenet locum quam Sapientia, quia perfectius unit cum Deo.

Timor vero imperfectus, procedens ab amore sui et propriae infirmitatis cognitione, Sapientiae perfectionem non attingit.

Cetera autem Dona mensurabis eadem regula et proportione.

DISQUISITIO IV.

De sanctissima Eucharistia.

PROOEMIUM.

Inter coelestia omnia dona, quibus Christus Dominus Ecclesiam sponsam, veluti aeterni amoris sui pignoribus decoravit, jure optimo praecipuum sibi vindicat locum sanctissima Eucharistia; in qua non sola creata continetur Spiritus Sancti gratia, ut in reliquis sacramentis, sed etiam auctor ipse gratiae et consummator, Deus et Homo, Dominus Noster Jesus Christus, *qui cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Voluit autem Sapientia increata carnem suam, non solum tamquam sacramentalem cibum, quo spiritualiter lactaremur, nobis tradere; sed etiam uti immaculatam Hostiam, qua usque in finem seculorum divinam colendo Majestatem, nobis placatam et suavi odore propitiam haberemus.

Unde in duplicem partem dispescimus hanc de Sma. Eucharistia disquisitionem: in prima, de Eucharistia Sacramento; in secunda, de Eucharistia Sacrificio agemus.

PARS I.

De Sma. Eucharistia ut Sacramento.

DIVISIO GENERALIS

PRAEAMBULA.
CAPUT I. De existentia seu realitate Eucharistiae.
— II. De effectibus Eucharistiae.
— III. De natura Eucharistiae.
— IV. De ministro et subjecto Eucharistiae.
— V. De necessitate et usu Eucharistiae.

PRAEAMBULA

PRAEAMBULUM I.

An Christus D. Pascha judaicum celebraverit.

1. **Nota 1.** In eadem mensa illius ultimae coenae, quam cum discipulis Jesus inivit, utrumque Pascha, novum et vetus, typum et veritatem, convenisse, SS. Patres testati sunt. Hoc tamen a nonnullis fuit in dubium revocatum; quapropter paucis quaestionem hanc solvemus, quae lucem aliis ad Eucharistiam spectantibus quaestionibus effundere poterit.

II. De fide explicita et indubitata est. Christum aliquod Pascha celebrasse: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, ait ipse Dominus (1). Utrum autem secundum praescriptionem legis celebraverit, et illo die quo debebant judaei celebrare, dubitant, imo et negant nonnulli; ideoque de legitimo Paschate haec instituitur quaestio.

2. **Dico I.** Christus D. Pascha judaicum celebravit.

Prob. 1.° Luc. XXII, 7. *Venit autem dies Azymorum, in*

(1) Luc. XXII, 15, 16.

qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum *et* Joannem, *dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* Ex his patet: Christum illud celebrasse Pascha quod paraverunt discipuli; illud Pascha paravisse discipulos, quod necessum erat in die Azymorum celebrare. Atqui non erat necessum aliud celebrare Pascha, nisi quod lege erat praescriptum, scilicet judaicum. Ergo celebravit Christus D. Pascha judaicum.

2.° Conc. Tridentinum (1) ait: «Celebrato Veteri Pa»scha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum »Israel immolabat, novum instituit Pascha...» Quae verba nullo indigent commentario, cum aperte indicent ipsum Pascha judaicum, scilicet, celebratum a multitudine filiorum Israel, in exitu de Aegypto, prout fuerat eis praescriptum a Deo (2).

3.° Origenes (3): «Jesus celebravit more judaico Pascha.» S. Chrysostomus (4): «Cur autem Pascha celebravit? Ut in »omnibus ostenderet, se ad ultimum usque vitae diem non legis ad»versarium fuisse.» Hieronymus (5): «Postquam typicum »Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comede»rat... ad verum Paschae transgreditur Sacramentum.»

3. **Dico II.** Celebravit Christus Pascha prima die Azymorum.

Prob. 1.° Ex testimonio aperto S. Lucae, nuper *Dico 1.°*, notatum.

2.° Christus D. Pascha judaicum, seu legitimum celebravit. Sed legitimum Pascha celebrandum erat prima die Azymorum: ergo. *Major* patet ex praecedenti propositione. *Minor* aperta est ex lege (6).

3.° Origenes (ibid.) ait: «Patet quod una eademque dies erat »Pascha, quando oportebat immolare Pascha, et Azymorum, quan»do oportebat tollere fermentum vetus et azyma manducare cum »carnibus Agni.» Similiter Chrysostomus, ibidem: praeterea (7) «In eadem ipsa mensa utrumque Pascha perficitur, et typi »et veritatis... Tunc judaicum erat Pascha.» Hieronymus (ibid.): «Prima Azymorum quarta decima dies est mensis primi, »quando Agnus immolatur... et fermentum abjicitur.»

4. Obj. 1.° Testantur tres Evangelistae, decrevisse judaeos, ne in die festo Jesum comprehenderent et morte afficerent. Atqui celebravit Jesus Pascha eo die quo fuit comprehensus et cruci affixus: ergo non celebravit Pascha die festo Azymorum.

---

(1) Sess. XXII, c. 1.—(2) Exod. XII, 14; Lev. XXIII, 5, etc.—(3) In Matth. serm. 79.—(4) In Matth. hom. 81 (82).—(5) In Matth. XXVI. (6) Exod. XII, 6, 7, 18; Deuter. XVI, 6.—(7) Homil. *De prodit. Judae.*

Resp. Conc. *maj.* et *min.*, negoque *consequentiam*. Non enim quod decreverunt judaei, sed quod Deus fieri decrevit, factum est: Act. Ap. c. IV, 28.

Obj. 2.° Testatur S. Joannes (1). *Ante diem festum Paschae* fecisse Christum Dominum coenam illam: ergo neque Pascha legitimum, neque die Azymorum celebravit Christus.

Resp. Explico: id asserit Joannes numerando et distinguendo dies naturales, conc.; distinguendo dies legales; nego. Utique dies Jovis, naturaliter inspectus, praecedebat diem Veneris, qui erat primus Azymorum et Paschalis: legaliter autem ad vesperam diei Jovis incipiebat Paschale festum et dies ipse Azymorum, qui dicitur primus solemnitatis, ut patet ex Levitico (2), et Numerorum (3).

5. Obj. 3.° Testatur idem Joannes, c. XVIII, quod judaei noluerunt in Praetorium introire, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Ergo illud Pascha a Jesu pridie celebratum diversum erat a judaico et legitimo Paschate.

Resp. 1.° Inde nonnulli, ut difficultatem istam solverent, deduxerunt; judaeos celebrationem Paschae distulisse ad sequentem diem contra *Legis* praescriptum. Verum parum credibile est, homines cortici Legis, ut hominibus placerent, addictos, dumque Christum de Legis infractione accusarent, transtulisse festum omnium solemnissimum, et judaeis undique concurrentibus frequentissimum.

Resp. 2.° Dist. seu explico: *Ut manducarent Pascha*, nempe sacrificia paschalia; conc. Ut agnum paschalem ederent; nego. Scilicet, more Scripturarum alia sacrificia, quae die festo Paschatis Domino offerebantur, Pascha etiam dicuntur. Vide Deuteronomii c. XVI, 2, 3: *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Non comedes in eo panem fermentatum...*

Obj. 4.° Joan. c. XIX, dicitur de die mortis Christi: *Erat autem Parasceve Paschae*, id est, praeparatio Paschae. Si ergo mortis Christi die parabatur Pascha, nempe, die Veneris, quomodo die Jovis potuit Christus celebrare Pascha?

Resp. *Parasceves* non est tantum nomen *commune*, significans praeparationem, sed etiam nomen *proprium* diei Sabbatum praecedentis, quia in eo paranda erant quae ipso die Sabbatis parare lex vetabat. Cum ergo dicitur, *Erat Parasceve Paschae*, non indicatur quod parabatur eo die Pascha altero die celebrandum; sed quod ille dies Paresceves erat Pascha, ideoque dies sequens solemnissimus,

---

(1) XIII, 1.—(2) XXIII, 5, 6.—(3) XXVIII, 16, 17.

quia erat Sabbatum paschale. Festum enim paschale per dies septem protrahebatur, et consequenter Sabbatum iis occurrens diebus inusitato splendore colebatur.

PRAEAMBULUM II

Utrum in cap. VI Evangelii S. Joannis sermo fiat de Eucharistiae Sacramento

6. **Nota** I. In seculo XVI coepit haec quaestio contentione magna versari, cum errandi et contradicendi libido mentes et corda protestantium ad antiquas omnes suscitandas impelleret haereses, novasque obtrudendas. Scripturas sacras, quadam ducti vertigine, ad quoslibet privatos sensus detorquebant, nec alio ducti criterio, nisi errorum illorum, quos varii et inconstantes singuli quotidie ultro fingebant. Hinc contendentes Eucharistiam necessario sub utraque specie sumendam, Joannis testimonium (c. VI) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*... arripiebant. Cum autem pro praesentia reali Christi in Eucharistia, testimonia urgerent catholici ex eodem cap. VI Sancti Joannis deprompta; tunc reponebant haeretici, non de Eucharistia ibi sermonem esse, sed de fide in Christum et de facienda Dei voluntate.

II. Non defuere catholici doctores, qui turbine et cavillationibus haereticorum vacillantes, ut fieri solet cum disputantium contraria argumenta nebulas et caliginem diffundant, ad eam declinarent opinationem; scilicet, Joannem de manducatione spirituali per fidem ibi egisse. Quos inter numerantur Cardinalis de Alliaco, Cardin. Cusanus, Jansenius Gandavensis, etc. Id quidem bono zelo egerunt, at incaute ac caligantibus oculis; unde jure eos admonebat Maldonatus (1): «Quod »ut benignissime dicam, est temerarium, gravioribusque condem»narem verbis homines bene catholicos, nisi compertum haberem, »errore magis animi quam vitio, in haereticorum dogma impe»gisse.»

7. **Dico.** In cap. VI Joannis de Eucharistia agitur.

Prob. 1.° Adversus illos catholicos, qui haereticis consentientes a communi et veteri sententia recesserunt. Debet Scriptura in sensu obvio, litterali ac proprio accipi, nisi ejusmodi sensus lo-

(1) In Joann. VI.

cum habere nequeat, et cogamur inde ad metaphoricum declinare. Atqui si intelligatur cap. VI Joannis de Eucharistia, accipitur in sensu litterali, obvio et proprio; si autem aliter interpretemur, sensus est improprius et metaphoricus: ergo agit ibi Joannes de Eucharistia. *Maj.* est evidens: communem enim cum Augustino omnium interpretum exhibet exegesis regulam. *Min.* etiam patet: nullus enim ignorat catholicus, in verum cibum et potum dedisse nobis Christum in Eucharistia Carnem suam et Sanguinem. Unde jure notat Maldonatus (loc. cit.): «Non satis esse recti »judicii, cum Christus sacramentum instituerit, in quo sub vero »cibo et potu veram Carnem et Sanguinem suum nobis dederit, me»taphorice illa verba de morte interpretari, ubi metaphorice man»ducatur et bibitur; de sacramento autem, ubi vere manducatur et »bibitur, non interpretari.»

8. 2.° Adversus haereticos. Fingamus cum haereticis, Christum non dedisse nobis in Eucharistia vere et realiter Corpus et Sanguinem suum, sed figurative tantum: contendo debere haereticos locum illum Joannis intelligere de Eucharistia.

Nam ex regula communi et certa, sensus litteralis S. Scripturae semper est retinendus, nisi ratio vel auctoritas cogat ut alienus et metaphoricus sensus assumatur. Atqui cibus et potus, manducare et bibere, de quibus Joann. c. VI, possunt litteraliter de Eucharistia intelligi: ergo. *Min.* prob. Fatentibus haereticis, Christus instituit hoc sacramentum Corporis et Sanguinis sui sub figura veri potus et veri cibi, verae manducationis et potationis: ergo cibus ille et potus, manducare et bibere, de quibus Joannes, intelligi de Eucharistia litteraliter possunt. Ad rem iterum Maldonatus (ibid.): «Hoc igitur ipsum perversi ingenii esse dicimus; »cum sit sacramentum ubi vere manducando et vere bibendo Car»nem Christi sumamus et Sanguinem (quamvis id figurate fingant), »non de hoc sacramento, sed de morte Christi, ubi nihil proprie et »vere manducatur aut bibitur, intelligere.»

9. Confirm. incidendo haereticorum effugium. Nonne, (ajunt haeretici) metaphorice intelligendum illud Cant. c. V, et Prov. c. IX. *Comedite, amici, et bibite et inebriamini: Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis?* Ergo, a pari, illa Joan. VI, metaphorice intelligenda. Ast nulla est paritas: si enim Sponsus ille, et illa Sapientia convivium aliquod apposuissent, ut homines non solum metaphorice, sed vere ac proprie ederent et biberent; numquid sani forent judicii, ii, qui non de vero convivio, verba illa interpretarentur, sed de re alia, quae nullam, vel fere nullam cum convivio similitudinem gereret? Inane igitur ejusmodi est effugium, quo potius clarius elucet, cap. VI Joannis nullatenus posse nisi de Eucharistia intelligi.

10. 3.° Traditio vetat aliter quam de Eucharistia locum illum Joannis intelligere. Patres Conc. Nicaeni II. (Act. VI, ad fin. t. 3.) veritatem Eucharistiae ex cap. VI Joannis confirmant. Item Conc. Alexand. sub Cyrillo, in Epist. ad Nestorium a Synod. Ephesina approbata, eodem modo de Eucharistia sermonem ibi esse intellexit. Conc. Trident. pariter de Eucharistia agens adhibet ex Joanne (cap. VI) testimonium (ses. XIII, c. 2). S. Athanasius, in libro de *Incarnatione Dei Verbi contra Arianos*, et in illud Matth. XII, *Quicumque dixerit verbum contra*... et in aliis locis, de Eucharistia Joannem loqui intelligit: «Docuit nos ut orando peteremus in »praesenti seculo, panem ἐπιούσιον, id est, futurum: cujus primitias »in praesenti vita habemus, dum carnis Domini participes effici»mur; ut ipse ait: *et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi »vita*.» Origenes, (1) ait: «Tunc in aenigmate erat manna «cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut »et ipse dicit, *caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est po»tus*.» Basilius (2) etiam de Eucharistia intelligit illud: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis*..... Hieronymus (3): «*Cibavit eos ex adipe*... Qui adipes non aliud quam mysticam car»nem sonant. Ad quam Dominus discipulos hortabatur dicens: »*Nisi comederitis carnem meam*...» Cyrillus (in Joan. l. 4. c. 14) et alibi, non aliter exposuit. Ambrosius quoque (l. de *Mysteriis*, c. 8: et l. 4 de *Sacram.* c. 5) eamdem tradebat expositionem. Epiphanius etiam in haeresi 55. Augustinus, l. 1 *de peccatorum meritis* c. 20 et 24. Theophilactus, Theodoretus, Leo Papa, Prosper, Isidorus, Eusebius Emis., Damascenus, etc., etc. Unde traditione plenissima constare hanc c. VI. Joannis intelligentiam jure diceres.

11. Obj. 1.° Cum Judaei intellexissent agere Christum de vera et reali manducatione, errorem hunc deponere jussit Christus: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam* (v. 64). Ergo de manducatione spirituali agitur ibi, non de propria et reali.

Resp. dist. *conseq.* Non agitur de propria et reali ad judaeorum mentem, id est, carnali manducatione, cum dilaceratione carnis Christi; conc. Propria et reali simpliciter sub speciebus sacramentalibus; nego.

12. Obj. 2.° De eodem loquitur pane Christus D. in v. 52. 53, et sequentibus, ac in praecedentibus. Atqui in praecedentibus versiculis agit Christus de pane et manducatione metaphorica per fi-

(1) In Numer. hom. 7.—(2) *Moral.* R. 21, cap. I, 2.—(3) In Isai. c. LV.

dem: ergo, nequit esse sermo de Eucharistia in eo capite. *Maj.* patet ex contextu et toto sententiarum nexu: in v. enim 52. 53 et seq. explanat Christus et confirmat ea quae praecedunt, quin transitus eluceat ullus ad diversum panem vel aliam manducationem. Imo non minus verum et realem panem se esse in prioribus testatur versiculis, quam in hisce posterioribus 52 et 53: ait enim (v. 32, 51, 41): *Pater meus dat vobis panem de coelo verum... Ego sum panis vivus qui de coelo descendi... Murmurabant ergo judaei de illo quia dixissset: ego sum panis. Min.* elucet ex v. 27 et 29. Item ex v. 35, 40, 47. Et hoc fatentur multi theologi.

Resp. 1.° Dist. *maj.* De eodem pane loquitur... implicite; conc. Explicite, eademque praecisione; nego *maj.* Cum enim in prioribus sententiis dicit Christus, se esse *panem de coelo; dare vitam mundo*, etc., respiciebat utique implicite ad Eucharistiam, per quam nobis vitam suam decreverat per modum cibi et panis communicare: postea autem explicite ac majori praecisione, cum doctrinam in scandalum verterent judaei, explanavit.

13. Resp. 2.° Dist. *min.* Loquitur de manducatione per fidem; quatenus manducatio ista per fidem inchoatur; conc. *min.* Quasi fide perficiatur; nego. Sic enim exponens Cyrillus illa Christi verba (Joann. VI, 47) *Qui credit in me habet vitam aeternam*, intellexit dicens: «Janua et via in vitam aeternam est fides.» Unde in v. 52 et 53 explicite declaravit Christus, carnem suam dandam in cibum, sanguinem in potum: in praecedentibus autem modum istum quo panis et cibus noster fieret non clare edixerat, sed *qua via* assequi talem panem oportebat proposuit, hortando ad illum quaerendum et appetendum, ejusdem cemmendata excellentia et virtute. Quapropter cum dixit Christus, *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet...* cibus ejusmodi non est fides, sed Christus ipse, et speciatim sacra Eucharistia, qua Christus se tradit. Fides autem opus est, quo incipere oportet opera quibus talem assequamur cibum: *Hoc est opus Dei ut credatis in eum...* (v. 29). Perspicue id notavit Maldonatus in ea verba, *Operamini non cibum...* «Hinc »initium magnae illius et hoc tempore nimium agitatae questionis »nascitur; cum Christus loquatur de Sacramento... Interim hoc ha»beamus, illic quidem (v. 52) de Sacramento proprie agere; hic com»muniter et de Sacramento, et de fide, et de gratia et de rebus om»nibus quibus vita aeterna parari potest... Non enim est generalis »restringenda sententia, aut ad fidem, ut Apollinaris in *Grae»corum catena*, et Phylasterius in *Catalogo haereticorum* fa»ciunt, nec ad solam Dei voluntatem, de qua Christus... *Meus ci»bus est*, ut exponit Basilius (in R. 207): nisi voluntas Dei ge»neraliter sumatur pro omnibus quae ad consequendam vitam »aeternam facere debemus.»

14. Obj. 3.° Si sermo ibi est de Eucharistia, haec erit ad vitam aeternam necessaria; ait enim Christus: *Nisi manducaveritis... non habebitis vitam...*

Resp. Dist. Erit necessaria absolute; nego. Necessitate praecepti; conc.

Inst. Agitur de manducatione quae tunc, dum docebat Christus, fieri poterat ac debebat. Ergo non agebatur de Eucharistia, quae non erat instituta. *Ant.* Prob. Dicebat Christus; *Qui manducat hunc panem... Nisi manducaveritis... Hic est panis, ut si quis ex ipso manducet...*

Resp. Dist. Manducatio tunc fieri poterat, inchoative et in voto; concedo; plene et actu: nego. Unde quae objiciuntur sententiae, quatenus ad perfectam referuntur manducationem, intelligendae et complendae per illa Christi verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* (v. 52), et etiam v. 27).

15. Obj. 4.° Nonnulli Patres S. Joannem (c. VI) interpretantur, non de reali cibo loquentem, sed de mystico, prout ex gr. in verbo Dei ac SS. Litteris mens nutritur et cibatur.

Resp. 1.° Dist. Interpretantur quasi excludere velint litteralem ac proprium sensum; nego. Quatenus ultra litterae obviam et notam intelligentiam, mysticas exhibent significationes, quibus ad fideles edocendos Patres uti consueverunt; conc.

2.° Aliter, ex supra dictis, respondere poteris. Interpretantur de verbo Dei, vel cibo alio mystico, quia inde inchoatur animi vita et nutrimentum, dum verbo Dei ducimur ad spiritualem et perfectam refectionem; conc. Quia in solo verbo Dei, vel alio mystico cibo, panis a Christo promissus adaequate circumscribatur: nego.

CAPUT I.

De existentia, seu realitate S. Eucharistiae.

ARTICULUS I.

De Christi praesentia in S. Eucharistia.

16. Sacram Eucharistiam pane et vino confici, seu ad modum cibi et potus fuisse institutam, et sub ejusmodi symbolis carnem suam manducandam, et sanguinem suum bibendum nobis Christum exhibuisse, omnibus in confesso est, et SS. Litterae aperte pro-

clamant. Quid vero in tanto sacramento sit mere apparens et symbolicum, quid autem verum, reale ac subsistens, in primis definiendum est, ut de SSma. Eucharistia disquisitiones methodo clariore procedant.

THESIS I.

Christus est *vere*, *realiter* et *substantialiter* praesens in Eucharistia; seu vere et realiter tradit nobis carnem suam ad manducandum, sanguinem ad bibendum.

17. **Nota** I. Tribus illis usa est Trid. Synodus adverbiis ad dogma definiendum S. Eucharistiae. Quidam novatorum praesentem Christum in Sacramento absolute negabant; alii veluti in signo vel figura in eo esse tantum concedebant; Calvinus vero, quod virtute solum esset Christus praesens, dictitabat. Primus error reprobatur, cum *vere* praesentem esse Christum definitur; secundus, cum *realiter* praesens dicitur; tertius vero, cum *substantialiter* in Eucharistia esse Christum praedicatur.

II. Praecursor calvinistarum et aliorum protestantium in dogmate eucharistico negando extitit Berengarius Andegavensis, cujus haeresis a pluribus damnata Rom. Pontificibus et Conciliis extincta fuit, et ipse Berengarius errorem retractavit et poenitens defunctus est.

18. 1.° Prob. ex *definitione* Trid. (1): «Si quis negaverit, in »SSmae. Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et subs»tantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Do»mini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit »tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; ana»thema sit.» Martinus V et Constant. Concilium damnarunt propositionem Wicleffi tertiam: «Christus non est in eodem »sacramento identice et realiter propria praesentia corporali.»

19. 2.° Prob. ex *institutione Sacramenti*. Tres Evangelistae (2) et S. Paulus (3) institutionem referunt, et Christi verba dicentis: *Accipite et comedite; hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Bibite ex hoc omnes; hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. Unde; Christus ipse affirmat se dare in Eucharistia Corpus suum ad manducandum et Sanguinem suum ad bibendum: ergo est vere, realiter et substantialiter praesens in hoc

---

(1) Sess. XIII, can. 1.—(2) Matth. XXVI, 26; Marc. XIV, 22; Luc. XXII, 19.—(3) I Cor. XI, 24.

Sacramento: quod enim ipse fecit, id ipsum jussit fieri: *Hoc facite in meam commemorationem.*

20. Confirm. a) Si intelligantur verba Christi obvio et communi sensu, certum est ac evidens manducari et bibi in Eucharistia ipsum Corpus et Sanguinem Christi, non symbolum aliquod: nam clarioribus verbis verum Corpus et verus Christi Sanguis significari non poterant quam dicendo; *Corpus meum, quod pro vobis tradetur; Sanguis meus qui effundetur.*» Atqui sensus obvius sumendus est in verbis fidei, nisi clare eluceat sensum esse metaphoricum: ergo cum sensus metaphoricus et improprius hic ex nullo capite elucescat, invenitur in Eucharistia vere et realiter ipse Christus. b) Sensus verborum et sententiarum accipiendus et definiendus juxta communem significationem, nisi loquens ab ea recedere declaret. Sed id Christus nullatenus indicavit: ergo. *Maj.* est aperta: aliter enim fallit audientes qui loquitur. Si quis enim diceret: do tibi, vel vendo equum meum, quo commodissime equitatur: iniique postea arundinem vel ceream equi figuram porrigeret. c) Christus verbis illis sacramentum instituebat ac testamentum: sacramentum, nempe, quod paschali Agno succederet, cujus sanguine salvus exivit populus Israël; Testamentum Novum pro illo Veteri, quod *nec quidem sine sanguine dedicatum est* (1). Atqui tum sacramenti, tum testamenti institutiva verba proprie et obvie sunt intelligenda, juxta illam claritatem quam ejusmodi exigit institutio: ergo. *Maj.* patet ex ipsa Eucharistiae institutione: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti. Hoc facite in meam commemorationem.* scilicet, Christi mortis, *qua Pascha nostrum immolatus est Christus* (2). *Min.* etiam constat. Natura enim sacramenti et testamenti magnam exigunt claritatem ex intrinseco suo scopo. Si enim in dubium possit revocari quid significetur sacramento, et quid testamento tradatur, usus utriusque frustaneus evadet. Igitur cum verba Christi, sacramentum facientis et testamentum, clare et distincte significent ipsum suum Corpus et Sanguinem, nihil aliud intelligere possumus. Sicut si ex testamento haeres fias agri vel domus, nullatenus putabis tibi sufficere umbram domus et picturam agri. d) Si verba Christi Eucharistica sensum exhibuissent improprium et metaphoricum, oportuisset Apostolis indicari a Christo, et nobis ab Apostolis. Sed neutrum factum est: ergo. *Maj.* patet. Nam cum verba inusitato sensu accipiuntur, ne fallantur auditores, sensus verus indicandus; maxime si error exitialis foret. Atqui non ferebat usus, quod corpus hominis significaretur pane, et sanguis vino: ergo novus usus erat indicandus. e) Quatuor Apostoli retu-

---

(1) Hebr. IX, 18.–(2) I Cor. V, 7. Et supra, Praeamb. II, n. 7.

lerunt institutionem Eucharistiae, non quidem ad verbum, sed sensum reddentes de eo quod factum et dictum a Christo fuit: si ergo sensus verborum Christi improprius et figuratus fuisset, non dissimulassent Apostoli, cum non verborum corticem, sed sensum vellent exprimere. Atqui nullus sensum figuratum esse significavit; sed unanimiter, licet mutatis vocibus, sensum tantummodo obvium et proprium retulerunt. Ergo neque nobis licet alium improprium et alienum fingere sensum.

21. Notare hic juvabit, quam alieni existant a Spiritus Sancti instinctu protestantes. Quatuor Sacri Scriptores in dissitis temporibus, ac diversis sententiis verborum Christi sensum referentes, unum tantum simplicem et obvium retulerunt. Protestantes autem, qui se Spiritu Sancto afflatos jactitant, obvio contempto Christi verborum sensu, innumeros parturierunt figuratos sensus, ita ut suo tempore jam dixerit Bellarminus (1): «Expositiones ad»versariorum plurimae sunt, ita ut fere numerari non possint. Lu»therus scribit decem ferme suo tempore fuisse sacramentariorum »opiniones ac sectas. Nuper etiam, anno MDLXXVII, prodiit libel»lus, in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones »vel depravationes horum paucorum verborum: *Hoc est Corpus »meum.*»

22. Obj. 1.° Verbum *est* saepe in SS. Litteris pro verbo *significat* usurpatur. Ergo Salvatoris verba: *Hoc est Corpus meum*, etc. obvie, juxta Scripturas, intelligi possunt ita: *Hoc significat Corpus meum*, etc. *Maj.* patet: ex. gr. *Septem spicae plenae septem abertatis anni sunt* (2): *Ager est mundus; Bonum semen sunt filii regni... Messis consummatio seculi est*, etc. (3).

Resp. 1.° Permitto *antec.* et nego *conseq.* Disparitas in hoc stat, quod in illis ac similibus exemplis notum erat ac praestitutum agi de meris figuris et signis, ita ut audientes non quid res esset, sed quid per illam significaretur interrogarent; ex ipsis ergo adjunctis qualiter verbum *est* sumi debeat nulla latet ambiguitate. E contra in Eucharistiae institutione: nulla praemissa parabola, nullo narrato somnio, sumpto et ostenso pane, dicit Christus: *comedite, Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur; bibite, Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur.*

Resp. 2.° Nego *antec.* Nam etiam in illis exemplis, non adhibetur *est* improprie et metaphorice pro *significat:* improprietas enim et figura in subjecto solum orationis invenitur. Cum notum esset audientibus, *spicas plenas, agrum, semen, messim*, etc. signa esse et figuras, exquirebant, quid *esset* res figurata? Responsio autem

(1) Controv. l. 1, c. 8, *de Euch.*—(2) Gen. XLI, 26.—(3) Matth. XIII, 38.

quid *sit* aperit. *Septem spicae*, seu id quod repraesentatur septem spicis, *sunt* septem anni etc. *Ager*, seu id quod ager refert, *est* mundus, etc.

23. Contendunt protestantes non habere Syriacam linguam vocem qua dicant, *significat*; ideoque per substantivum *est* a Christo exprimi debuisse. Verum ejusmodi inanem fabulam plene ventilavit Card. Wiseman (Lect. 6.ª de *praesentia reali*), plurimas in lingua illa ostendens esse voces et locutiones ad *significationem* exprimendam.

24. Obj. 2.° Dicens Christus D. *Hoc*, cum vox haec sit demonstrativa, rem praesentem significat. Atqui solus panis ejusque accidentia, non autem Corpus Christi praesens aderat; ergo quod Christus tradebat non erat suum Corpus, sed purum signum. Subs. Atqui signum non *est* res significata, sed illam pure *significat:* ergo sensus verborum Christi est: «Hoc est signum, seu hoc significat »Corpus meum.»

Resp. Dist. *maj.* Significat rem physice vel moraliter praesentem: conc. Physice praesentem: subdist. Si propositio ostensiva mere sit speculativa; trans. Si fuerit simul practica, seu productiva rei quae ostenditur; nego, vel iterum subd. Significat rem physice praesentem ad finem dictionis, seu completa jam significatione; conc. Initio propositionis, seu antequam compleatur sensus; nego. Proinde non de pane vel accidentibus affirmatur esse Corpus Christi, quod falso diceretur; sed de eo, quod sub specie transmutati panis traditur, quod quidem est veraciter Corpus Christi. Corpus autem traditum vere est moraliter praesens initio dictionis, cum ipsa verba illud praesens efficiant, ideoque sint cum eodem, et moraliter seu significative, et physice seu efficienter, connexa: ad finem autem dictionis, dum significatio pronominis *hoc* completur, est jam Corpus Christi physice praesens.

25. Obj. 3.° Paulus ait (1) dixisse Christum: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Sed quod frangitur est panis, non autem Corpus Christi: ergo tradebat purum panem significantem Corpus Christi.

Resp. 1.° Frangere panem alicui, significat dare illi panem; *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Unde S. Lucas ait: *Quod pro vobis datur*. Cum ergo sub specie panis daret Christus suum Corpus, convenienter dixit, *quod pro vobis frangitur*, id est, *datur*.

Resp. 2.° Corpus Christi frangebatur, id est, dividebatur, distribuebatur, quatenus *species* dividebantur inter Apostolos: item, et

---

(1) I Cor. XI, 24.—(2) Thren. IV, 4.

quatenus frangebatur tormentis, et dilacerabantur carnes ejus; id enim in passione imminenti pro nobis suscepta, cujus Eucharistia memoriale est, evenit.

26. Obj. 3.° *Ego sum vitis vera*, ait Christus (1). *Petra autem erat Christus*, dicit Paulus (2). Atqui tamen improprie ac metaphorice est vitis: item improprie ibi dicitur petra; ergo pari ratione dicendum, illa verba *Hoc est corpus meum* figurate solum intelligenda.

Resp. Nego paritatem, ideoque et consequentiam. In primo loco ex contextu evidens est, proponere Christum parabolam: sicut enim vocat Patrem agricolam, et nos palmites, ita se dicit *ritem veram:* quia influit in nos vitam gratiae ex Patris providentia. Similiter petram dicit Paulus esse Christum, quia vitam veram coelestem, seu gratiam Spiritus Sancti, quae aqua significatur, in nos effundit. Idque explicite declaravit Apostolus, subjungens: *Omnia in figura contingebant illis*. Proinde sensus verborum Apostoli est; id quod petra illa figurabat, erat Christus.

27. 3.° Prob. ex Cap. VI S. Joannis. Christus D. asseruit ac promisit, se daturum nobis vere et realiter Carnem suam ad manducandum et Sanguinem suum ad bibendum. Atqui nullibi hoc impletum est, nisi Caro et Sanguis Christi vere et realiter nobis in Eucharistia tradantur: ergo. Verba Christi fuerunt (3): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo judaei ad invicem: quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam... Caro enim mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo.* Ex quibus *maj.* elucet.—a) Ipso contextu, qui clare exprimit agere Christum de Carne sua vere et realiter manducanda, et de Sanguine vere et realiter bibendo. Quid enim clarius dicere potuisset ad id significandum? —b) Apostoli et judaei ceteri verum et realem cibum et potum Carnis et Sanguinis Christi intellexerunt. *Quomodo, ajebant, potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*— c) Et audita Christi ad hanc difficultatem responsione, nempe: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis*, etc.: cum viderent de reali cibo agi et potu; *Multi ex discipulis dixerunt, durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*— d) Si error fuisset discipulorum quod de vero cibo et potu ageret Christus propriae Carnis et Sanguinis, non illum confir-

(1) Joann. XV, 1.—(2) I Cor. X, 4.—(3) Joann. VI, 52-57.

masset; atqui magna asseveratione eum sensum roboravit, dicens: *Amen, amen dico vobis...* Ergo.

28. Obj. 1.° Christus correxit judaeorum errorem, dicens (1): *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt.* Ergo non datur in Eucharistia realis et vera Christi Caro.

Resp. Duo intellexerant judaei: primum, Carnem Christi manducandam et bibendum Sanguinem; secundum, manducandum et bibendum carnaliter: sacramentalem enim bibendi et manducandi usum nesciebant. Primum sensum explicite Christus confirmavit, et non tantum rei difficultatem et magnitudinem noluit lenire et dissimulare, sed potius aperuit et auxit. *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem ubi erat prius?* Scilicet, multo tunc difficilius videbitur. Carnem meam manducari et Sanguinem bibi, postquam in coelum abierim. Quid autem id afferret difficultatis, si locutus fuisset Christus de manducatione per fidem vel figuram? Secundum autem illorum carnalem sensum correxit Dominus, quia nolebat carnale nutrimentum nobis per sui manducationem tribuere. Ad hoc quidem oportuisset eum discerpere in frusta, laniare et mandere, ut corporalis exigit vegetatio: hanc manducationem cogitabant capharnaitae, et scandalizati sunt, et ideo dixit Jesus; in cibum spiritualem velle se tradere manducandum et bibendum: *Spiritus est qui vivificat,* etc. Ipsa enim Caro Christi eatenus prodest, quatenus per eam Spiritum gratiae suscipimus; quem ideo per carnem suam voluit nobis effundere, ut semper memores essemus, per Carnis Christi passiones fuisse nos redemptos: *Hoc facite in meam commemorationem* (2). Sic Augustinus: «Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum »tu dixeris; nisi manducaveritis Carnem meam, non habebitis vi»tam in vobis?» (3).

29. Obj. 2.° Augustinus Christi verba commentans, ait (4): «Non hoc Corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum «Sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.» Ergo non vere ac realiter, sed figurative tantum invenitur Caro et Sanguis Christi in Eucharistia.

Resp. Dist. et explico verba Augustini: «Non hoc Corpus »manducaturi estis, et bibituri Sanguinem,» scilicet, visibili et carnali modo seu in naturali suo statu; conc. «Non manducaturi et »bibituri estis,» vere et realiter, sed invisibiliter et in sacramentali statu, nego. In priori sensu, non in secundo, loquitur Augu-

(1) Joann. V, 64.—(2) Luc. XXII, 19.—(3) Tract. 27 in Joann., n. 5.—(4) In ps. 98, n. 9.

stinus, ut ex contextu elucet, immediate enim subjungit: «Sa»cramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum »vivificabit vos: etsi necesse sit illud visibiliter celebrari, oportet »tamen invisibiliter intelligi... *De carne sua locutus erat* et dixerat: »*Nisi manducaveritis*... Scandalizati sunt et putaverunt quod prae»cisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo... Ipsi »erant duri, non sermo.»

Inst. Si vere et realiter inesset Eucharistiae Corpus Christi, non solis animae actibus susciperetur. Atqui solis spiritualibus actibus manducatur Christus: ergo.

Min. ex Augustino (1) patet. Exponens illa verba *Nisi manducaveritis carnem*... ait: «Facinus vel flagitium videtur jube»re: figura est praecipiens passioni Dominicae communicandum, »et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro no»bis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.»

Resp. Nego. *min.* Verba autem Augustini non excludunt oris realem manducationem, sed quid simul in mente gerere oporteat docent. Nam cum dicit. «Passioni Dominicae communican»dum». Sacramentum ipsum Corporis Christi ejusque manducationem significat, quia est memoriale passionis Christi, et participatio gratiae per passionem promeritae.

30. Obj. 3.° Supra dictum est (praeamb. II. nn. 12. 13 . in parte secunda cap. VI Joann. nempe, a V. 27 ad v. 52, agi etiam de Eucharistia. Atqui ibi docet Christus sola mente, non autem ore Carnem suam propric manducandam: ergo etiam in tertia parte, a 52 et deinceps, neque vere et realiter, sed mente tantum manducanda promittitur Christi Caro in Sacramento. *Min.* prob. In v. 28 interrogaverunt judaei, quomodo cibum promissum haberent: et v. 29 respondit Jesus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* In v. 34 iterum dixerunt: *Semper da nobis hunc panem:* ait Dominus: *Ego sum panis vivus: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam... Haec est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium et credit in eum habeat vitam aeternam.* Ergo sola mente Christus est manducandus secundum quod in ea capitis VI parte declaratur.

Resp. Nego *min.* Ad probationem dico, nullibi dixisse Christum sola fide mentali panem coelestem esse manducandum; sed fidei necessitatem declaravit ad illum cibum assequendum. Quia autem fides in Christum formata et practica esse debet, ut ipse edocuit (2); *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea;* manifestum est in illa im-

---

(1) L. 3. De *Doctr. christian.*, c. 16: et Tract. 25 in Joann., n. 12.— (2) Joann. XIII, 17.

plicite comprehendi realem et sacramentalem manducationem Carnis Christi.

Inst. Augustinus (1) realem Carnis Christi manducationem excludit: «Hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui »permanet in vitam aeternam: ut quid paras dentes et ventrem? »Crede et manducasti.» Et iterum. «Hic est panis de coelo descen»dens, ut si quis manducaverit ex ipso non moriatur... Sed quod »pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertine ad visibile sa»cramentum: qui manducat intus, non foris; qui manducat in cor»de, non qui premit dente.»

Resp. Negatur assertum: neque id probant Augustini sententiae. In priori docet cibum istum non manducandum carnaliter, quasi dentibus et ventre manducatio fructuosa perficiatur: dicens autem *crede et manducasti:* non excludit oralem per sacramentum manducationem, charitatem et cetera necessaria ad utiliter manducandum; subjicit enim protinus: «Noluit discernere (Christus) ab »opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus. Ipsa est enim fides, »quae per dilectionem operatur.»

Pariter in secunda sententia, non rejicit oralem Christi manducationem: nam aperte dicit, effectum illius panis coelestis pendere a *virtute sacramenti;* sacramentum autem ore percipiendum patet, ideoque et Christum quem continet. Docet autem non foris tantum et dentibus manducari debere; sed intus et corde, fide et dilectione, ut inferius explicat: «Qui non manet in Christo, et in quo non ma»net Christus, procul dubio nec manducat (spiritualiter) Carnem »ejus, nec bibit ejus Sanguinem, licet carnaliter et visibiliter pre»mat dentibus sacramentum Corporis et Sanguinis Christi: sed ma»gis tantae rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, »qui immundus praesumpsit ad Christi accedere sacramenta, quae »aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est.»

31. 4.° Prob. ex Ecclesiae traditione. Pauca ex traditione testimonia seligimus veritatem praesentiae Christi in Eucharistia ostendentia. S. Ignatius M. (2) ait: «Haeretici ab Eucharistia et »oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam car»nem esse Salvatoris nostri Jesu Christi quae pro peccatis passa »est.» S. Justinus (3): «Alimoniam, in qua per preces verbi »ejus ab ipso prolecti gratiae actae sunt, incarnati illius Jesu car»nem et sanguinem esse edocti sumus.» S. Irenaeus (4): «Quomodo dicunt (Valentiniani) carnem in corruptionem venire, »et non percipere vitam, quae Corpore Domini et Sanguine alitur?»

---

(1) Tract. in Joann., 25 et 26.—(2) Epist. ad *Smyrn.* c. 7.—(3) *Apolg.* ad Antonin. Imper.—(4) *Contr. Haeres.* l. 4, c. 18.

Tertullianus (1): «Caro Corpore et sanguine Christi vescitur. »ut et anima de Deo saginetur.» De iis qui indigne suscipiunt. ait (2): «Proh scelus! Semel judaei Christo manus intulerunt: isti »quotidie Corpus ejus lacessunt.» Origenes (3): «Tunc in »aenigmate erat manna cibus: nunc autem in specie Caro Verbi »Dei est verus cibus, sicut ipse dicit: *Caro mea vere est cibus.*» Cyprianus de iis, qui sine Poenitentia sumebant Eucharistiam, ait (4): «Domini Corpus invadunt... Vis infertur Corpori ejus et »Sanguini: et plus modo in Deum manibus et ore delinquunt, »quam cum Dominum negaverunt.» S. Hilarius (5): «Ver»bum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico »sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existiman»dus est?» S. Cyrillus Hierosolym. (6): «Cum ipse »Christus) pronuntiaverit et dixerit de pane: *Hoc est corpus meum*, »quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et di»xerit: *Hic est Sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, non esse »ejus Sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, »in Cana Galileae transmutavit; et eum parum dignum existimabi»mus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?..... »Cum omni certitudine ea tamquam Corpus ipsius et Sanguinem »sumamus.»

Alia plura tum antiqua tum recentiora leges testimonia apud Bellarminum, Suarezium et AA. alios; praeterea dogma confirmant Patres et Concilia supra laudata, in praeam. II. n. 10.

32. Obj. 1.° Augustinus (7) ait: «Non dubitavit Dominus »dicere, *Hoc est Corpus meum*, cum signum daret Corporis sui.» Ergo Eucharistia solum signum est Corporis et Sanguinis Christi.

Resp. Nego *cons*. Potius contrarium deduces, si contextum perpendas. Contendebant manichaei sanguinem animantium esse illorum animam, et probabant praecepto illo Deuter. (XII, 23): *ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum pro anima erit.* Id nihil probare, reponit Augustinus: «Possum etiam interpretari »praeceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus du»bitavit dicere... etc.» Quemadmodum ergo volebat Augustinus praeter sanguinem esse animam, et illum dictum esse animam, quia signum est animae: ita in adducto exemplo intelligendum, praeter panis speciem, quae in signum proponitur Corporis Christi, existere etiam ipsum Corpus Christi. Proinde comparatio ipsa S. Doctoris ostendit eum non putasse, esse Eucharistiam signum

---

(1) De *Resurrect.* c. 8.—(2) De *Idololatr.* c. 7.—(3) Homil. 7 in Num.—(4) De *Lapsis*, n. 15.—(5) De *Trinit.* l. 8, n. 13.—(6) *Catech. myst.* 4.—(7) Cont. Animan. Manich.

vacuum absque re significata; sicut nec in animantibus est solus sanguis sine anima.

Inst. Docet ipse Augustinus (1): «Sicut secundum quemdam modum sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est, sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est.» Sed Baptismus non est vera fides, nudum autem est eiusdem signum: ergo.

Resp. Dist. *conseq.* Sacramentum, inaequate sumptum pro re sensibili tantum, est purum signum Corporis et Sanguinis Christi; conc. Adaequate acceptum pro continente et pro re contenta, est nudum signum; nego.

33. **Nota.** Res compositae facile nominantur nunc ex uno, nunc ex alio respectu. In Eucharistia ergo cum ex pane et vino perficiatur, et species permaneant utriusque substantiae, et sub speciebus existant Corpus et Sanguis Christi, et vitae spiritualis effectus producatur, praesertim charitatis, hinc varietas sententiarum apud SS. Patres de hoc sacramento loquentes, quae caute sunt intelligendae.

1.° Aliquando dicitur ergo Eucharistia signum, vel figura, vel typus Corporis Christi, ut Augustinus supra, et Tertullianus (l. 4; *contr. Marc.* c. 10): quia panis, nempe, cum vitam foveat corporalem, figura est Corporis Christi, vitam augentis spiritualem.

2.° Dicta est etiam Eucharistia Corpus Christi mysticum, seu Ecclesia: quia charitas quam infundit, et species sacramentales ex multis exortae granis, unitatem Ecclesiae referunt.

3.° Ita panis aliquando vocatur Eucharistia, tum quia ex pane perficitur, tum quia Caro et Sanguis Christi tamquam panis vivus et vinum nos vivificant ad vitam aeternam.

4.° Manducari Carnem Christi *spiritualiter* duplici sensu dici potest. Primo, spiritu tantum, non ore; hic sensus erroneus est, nec a Patribus intenditur. Secundo, quatenus opponitur carnali manducationi, quae ad nutriendum corpus efficitur, uti cogitabant Capharnaitae. Hanc reiiciunt Patres dicentes, *spiritualiter* Carnem Christi in Eucharistia manducari.

THESIS II

Statim post prolationem cuiusque formae, Christus D. est praesens in Eucharistia; consequenter et ante usum ipsius sacramenti.

---

(1) Ep. 98 ad *Bonif.*

34. **Nota.** Utraque pars theseos est fide tenenda: secunda quidem est explicite definita; prima implicite.

I.ª Pars prob. 1.° Trident (1): «Reliqua sacramenta tunc »primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eu»charistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim »Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere ta»men ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod praebebat: et sem»per haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem ve»rum Domini Corpus, verumque eius Sanguinem sub panis et vini »specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed Corpus »quidem sub specie panis, et Sanguinem sub vini specie, ex vi »verborum: ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem »sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius con»nexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini... inter se »copulantur; divinitatem porro, propter admirabilem illam eius cum »corpore et anima hypostaticam unionem.» Unde; Christus est praesens in Eucharistia vi verborum, et quia hanc praesentiam eorum veritas postulat. Atqui post prolationem cuiusque formae plenum sensum verba praeseferunt et vera sunt: ergo.

2.° Ecclesia statim post consecrationem panis Christum praesentem adorat: ergo ex fide Ecclesiae praesens est Christus in Eucharistia post prolationem cuiusque formae.

35. 3.° S. Irenaeus (2) ait: «Panis percipiens invocationem »Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia...» Tertullianus (3) pariter: «Acceptum panem... Corpus illum suum fe»cit. *Hoc est Corpus meum*, dicendo.» S. Cyrillus Hierosoly. (4) etiam: «Cum ipse pronuntiaverit et dixerit de pane, *Hoc est meum Corpus;* quis audebit deinceps ambigere?»

4.° Confirmatur ex significatione verborum sacramentalium; quae ratio adhibetur a D. Thoma (5), et insinuatur a Conc. Trid. Verba sacramenti significant de praesenti: atqui significatio verborum de praesenti completur statim ac prolata sunt verba: ergo oportet rem significatam statim adesse, alioquin locutio non esset vera.

36. II.ª Pars patet ex dictis, et praesertim ex definitione explicita Trid. Conc.: «Si quis dixerit, peracta consecratione, in sacra»mento non esse Corpus et Sanguinem Dni. Nostri Jesu Christi, »sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; anath. »sit (6).»

37. Obj. 1.° Instituta est Eucharistia propter usum: ergo non nisi in ipso usu est praesens in ea Christus.

---

(1) Sess. XIII, c. 3.—(2) L. 4, *adv. haeres.* c. 18.—(3) *Cont. Marc.* l. 4, c. 40. —(4) *Catech.* 4.—(5) 3. p. q. 78, a. 6.—(6) Ses. XIII, can. 4.

Resp. Qui enthymetate argumentatur debet veras et apertas propositiones reticere, dubias autem, vel quae negandae forent, proferre, ne illatio argumentationis ei denegetur. Negatur ergo *consequentia*. Licet propter usum tantum fuisset Eucharistia instituta, potuisset tamen, ad modum cibi, praeparari et asservari. At fuit etiam instituta ad Deum colendum, et ut Christus maneret nobiscum peregrinationis nostrae socius, et ut memoriale passionis et amoris eximii, etc.

Obj. 2.° Caetera sacramenta nonnisi in usu et exercitio effectum habent, et sunt tamen sacramentum: ergo a pari S. Eucharistia.

Resp. Negatur paritas. Caetera Sacramenta animae significant sanctificationem, seu gratiam, quae utique non est res subsistens: hoc autem significat etiam ipsum Christum gratiae auctorem, et quidem praesentem ante usum et independenter ab usu.

Obj. 3.° Prius susceperunt Apostoli Eucharistiam antequam diceret Christus: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Ergo non vi verborum sed per ipsum usum fit praesens Christus in Eucharistia. *Aut*. prob. a) ex Matth. (c. XXVI. v. 26): *Accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite, et comedite: hoc est corpus meum*. b) Ita et S. Marcus (c. XIV. v. 23. 24,): imo explicite ait: *Biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus*.

Resp. Dist. *ant*. Prius susceperunt inchoative, seu ex parte Christi incipientis praebere Eucharistiam; concedo. Susceperunt prius plene, seu edendo et bibendo; nego.

Enarratio autem Evangelistarum solum significat coepisse Christum ostendere panem et vinum, antequam quid daret explicuisset: nec tenetur historiator ordinem ipsum factorum enarrando tenere: unde aliud est. Evangelistam prius scripsisse aliquod factum, aliud eiusmodi factum prius accidisse. Sensus ergo est: biberunt ex calice benedicto et consecrato: consecravit autem Christus et ait: *Hic est Sanguis meus*. Ita intelligenda S. Marci verba.

ARTICULUS II

De non permanentia panis et vini in Eucharistia.

THESIS III

Substantia panis et vini non permanet in S. Eucharistia; sed convertitur in Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi; ejusmodi conversio recte dicitur Transubstantiatio.

38. I.ª Pars quae est fide certa, probatur contra lutheranos et impanatores.

1.° Ex Trid. (1): «Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharis»tiae sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum »Corpore et Sanguine Dni. N. Jesu Christi... anath. sit.» Pariter Martinus V cum Conc. gener. Const. damnarunt errorem Wicleff dicentis in prop. 1.ª: «Substantia panis materialis »et similiter substantia vini materialis remanet in sacramento al»taris.»

2.° S. Cyrillus Hierosoly. (2) docet: «Hoc sciens ac pro »certissimo habens panem hunc, qui videtur non esse panem »etiamsi gustus panem esse sentiat, sed Corpus Christi: et quod vi »detur vinum, vinum non est etiamsi gustui ita videatur, sed San»guis Christi.» Ambrosius (3): «Forte dicas: Aliud video, quo»modo tu mihi asseris quod Corpus Christi accipiam?... Probemus »non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio conse»cravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturae, quia be»nedictione etiam natura ipsa mutatur.»

Testimonia in II.ª parte afferenda hanc priorem confirmant.

39. 3.° Cum dicitur *hoc*, sensu proprio et litterali substantia proposita indicatur. Atqui neque substantia panis est Corpus Christi, neque vinum est ejusdem Sanguis: ergo dicens Christus, hoc est Corpus meum, et similiter de Sanguine Τοῦτο γαρ ἐστι τὸ αἷμα μου, significavit non aliam nisi Corporis et Sanguinis sui esse substantiam.

40. II.ª Pars prob. Est etiam de fide.

1.° Trident. (ibid) docet: «Si quis negaverit mirabilem illam »et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, »et totius substantiae vini in Sanguinem... anath. sit. Berengarius a Gregor VII et Conc. Rom. subscribere compulsus est: «Ego corde credo et ore confiteor, panem et vinum... per »verba Redemptoris nostri substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem Carnem et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi...»

Idem definivit Conc. Later. IV cap. *Firmiter*.

2.° Hanc conversionem apertis verbis notarunt Patres.

S. Ambrosius (ibid): «Si tantum valuit sermo Eliae ut »ignem e coelo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mu»tet elementorum?... Qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non »potest ea quae sunt in id mutare quod non erant?» S. Cyrillus Hieros. (ibid): «Aquam Christus aliquando mutavit in

---

(1) Sess. XIII, can. 2.—(2) *Catech.* 4 *Myst.* n. 9.—(3) *De Myst.* c. 9.

»vinum; et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sangui»nem suum transmutavit?» S. Gregor. Nys. (1): «Panis »statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc »est Corpus meum.*» S. Joan. Damascen. (2): «Panis ipse »et vinum in Corpus et Sanguinem Dei transmutatur. Si requiras, »quonam pacto istud fiat? Sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum »Sanctum.» S. Chrysost. (3): «Non sunt humanae virtutis »haec opera. Is qui tunc in illa coena haec confecit, et nunc etiam »operatur. Nos ministrorum habemus ordinem; qui vero illa sanc»tificat et transmutat, ipse est.»

41. 3.° Ratione res elucebit, si perpendamus quid ad conceptum spectet *conversionis*. Requiruntur 1.° duo termini positivi, quorum unus *a quo* transit in alium *ad quem*. 2.° Ut unus terminorum desinat aliquatenus esse; et alter, e contra, quadantenus esse incipiat. 3.° Aliqua realis actio et duae partiales mutationes, vel quasi mutationes (si fiant sine subjecto), et quidem substantiales, si conversio sit substantialis. 4.° Ut terminus a quo et ad quem inter se aliquem habeant ordinem seu habitudinem, ita ut unus ex altero consequatur: alias eorum successio terminorum esset accidentalis et merum mutationum aggregatum, et ideo absque ullo fundamento diceretur unum conversum fuisse in alium; puta, si dormiens expergiscat et subito memoretur coeli, non dices, sommum in coeli memoriam esse conversum. 5.° Requiritur terminus utrique extremo communis: quia hic ordo, qui conversio vocatur, non intelligitur sine extremorum communicatione, vi cujus dici possit unum fieri aliud.

Atqui haec omnia concurrunt in Eucharistia inter panem et vinum ex una parte, et Corpus ac Sanguinem Christi ex altera: ergo datur vera conversio unius in aliud.

42. III.ª Pars prob., et est etiam catholice certa.

1.° Concil. Trid. (ibid) ait: «Quam quidem conversionem »Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat.»

2.° Ejusmodi mira Eucharistiae conversio recte illo appellatur nomine, quo clarius ejus natura indicatur: atqui haec aptissime ea voce indicatur; nam convertitur una substantia in aliam ideoque mutatio, seu quasi mutatio, nec non actio qua perficitur sunt, ratione terminorum, aliquid substantiale. Haec omnia significantur et intelliguntur facillime cum dicitur *Transubstantiatio*.

43. Obj. 1.° Nonnulli Patres cum Chrysostomo manere *naturam panis* in Eucharistia tradunt.

Resp. Explico seu distinguo. Intelligendo nomine *naturae* vir-

(1) *Orat. catest.* c. 37.—(2) L. *de fide*, c. 13.—(3) In Matth. or. 82, (83), n. 5.

tutem, seu principium eorum effectuum, qui ex substantia panis consequuntur; conc. Ita ut intelligant ipsam essentiam vel substantiam panis; nego. Cum enim maneant accidentia, eadem retenta virtute activa et passiva, ita ut eaedem substantiales vel accidentales mutationes evenire possint; ea de causa *naturam panis* manere dixerunt. Variam extitisse *naturae, essentiae, substantiae* apud plures Patres significationem, ita ut non raro pro complexu externarum proprietatum eas voces adhiberent, multis elucet exemplis. Sic Theodoretus (1), qui dixit in mysterio substantiam manere panis et vini, ibidem ostendebat, Corpus Christi eamdem post resurrectionem retinuisse substantiam, «quia retinuit priorem for»mam, figuram, circumscriptionem.»

44. Obj. 2.° Humanitas Christi est divinitati unita, idque sufficit ut vere dicamus: Hic est Deus. Ergo a pari, non converso, sed unito pane Corpori Christi, vere dicetur: Hoc est Corpus meum.

Resp. Nego paritatem. Eatenus enim dici potest: Hic est Deus, quatenus sola hypostasis indicatur, quae eadem est in utraque natura, ut fide constat. E contra pronomen *hoc* in obvio sensu substantiam rei quae proponitur exhibet, ac proinde, manente substantia panis, falsa enuntiatio evadit.

Obj. 3.° Nihil antiqui Patres de Transubstantiatione tradiderunt: ergo dogma istud fuit ab Innocentio III in Lateran. IV adinventum.

Resp. Dist. *ant.* Nihil tradiderunt quoad vocem ipsam; permitto: quoad rem voce illa significatam; nego. Non aliter Athanasius et antiqui Patres ad arianos, vocem ὁμοούσιον respuentes, responderunt.

45. **Corollarium**. Ex dictis elucet, non recte Scotum, Durandum, aliosque censuisse, non posse legitime deduci conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Jesu Christi ex significatione verborum, *Hoc est corpus meum,* etc. Nam post Tridentinum, jure docet Vazquez cum Suarez hanc opinionem defendi non posse; ait enim Concilium (2): «Quoniam autem »Christus redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie panis »offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei »fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per conse»crationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae...»

---

(1) Dial. 2. *Inconfusus.*—(2) Sess. XIII, cap. 4.

SCHOLIA

§ I.

De natura actionis transubstantiativae.

46. Ut diximus, aliqua actione opus est in conversione substantiali eucharistica. Verum ejusmodi actio non debet terminari ad substantiam panis et vini, quae post conversionem non amplius existit; nam non requiritur actio ad effectum negativum, sed potius actionis cessatio: actio proinde conversiva attingere debet Corpus et Sanguinem Christi, quatenus per transubstantiationem incipiunt in sacramento existere.

Cujus naturae esse debeat illa actio, vi cujus Christus in sacramento constituitur, inquirunt theologi.

47. 1.ª Sententia est Scoti, Bellarmini, etc., dicentium conversionem esse actionem mere adductivam.

2.ª Docet. esse relationem quamdam inter substantiam quae desinit et illam quae in Sacramento esse incipit. Ita Vazquez cum aliquibus ejusdem scholae auctoribus, et aliis quos ipse laudat (1).

3.ª Putat esse actionem productivam unionis Corporis Christi D. cum speciebus sacramentalibus: hanc sententiam tuetur Valentia cum Capreolo et aliis pluribus.

4.ª Tandem sententia est Suarezii, Ferrar., Coninch, Arriaga. Gonet, etc. Docent nempe, actionem eucharisticam seu effectivam sacramenti Eucharistiae esse productivam Corporis et Sanguinis Christi D. sub speciebus. Haec est etiam D. Thomae doctrina, ut ostendit Suarez (2).

48. Haec postrema sententia dictis SS. Patrum congruit, actionem sacramentalem clarius explicat, ostendens quomodo substantialis actio existat, et opus esse divinae omnipotentiae proprium melius evolvit.

Plures enim Patres effici Corpus Christi, confici, creari in Eucharistia, Verbum in manibus Sacerdotis iterum incarnari, tradunt. Ejusmodi autem locutiones ostendunt actionem Eucharisticam esse substantialem, et ad ipsum Corpus Christi terminari. Atqui solum in quarta ista sententia id elucet; in aliis autem non nisi accidentalis affertur actio.

S. Ambrosius (3) ait: «Incarnationis exemplo adstruamus

---

(1) D. 181, c. 11.—(2) Disp. 50, sec. 4.—(3) *De myst.* c. 9.

»mysterii veritatem... Liquet quod praeter naturae ordinem virgo »generavit. Et hoc quod conficimus Corpus, ex Virgine est.» Et iterum (1): «Vides quam operatorius sit sermo Christi... Non erat »Corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico »tibi quia jam Corpus est Christi. Ipse dixit et factum est; ipse »mandavit, et creatum est.» S. Cyrill. Hieros. (2): «Deum »benignum exoramus, ut emittat S. Spiritum super proposita: ut »faciat panem quidem Corpus Christi, vinum vero Sanguinem »Christi. Omnino enim quodcumque tetigerit Spiritus S., id sanc»tificatum et transmutatum est.» S. Hieronymus de presbyteris ait (3): «Ad quorum preces, Christi Corpus Sanguisque »conficitur.» S. Cyprianus (vel alius antiquissimus A.), in lib. de *Coena Domini:* «Usque hodie hoc veracissimum et sanc»tissimum suum Corpus creat et sanctificat et benedicit et pie »sumentibus dividit.»

§ II.

Quid importat conversio totius substantiae panis et vini.

49. Ut natura Transubstantiationis plenius intelligatur, notare quoque oportet: conversionem unius rei in aliam posse vel substantialem vel accidentalem esse, prout termini sunt substantiae vel accidentia. Praeterea conversio potest esse *totalis* vel *partialis*, prout nihil manet ex termino a quo, vel, e contra, aliquid perseverat. Termini cujuslibet conversionis naturalis, quae numquam est totalis, possunt sumi vel totaliter, vel formaliter tantum. Totalis terminus est compositum quod destruitur, vel producitur: formalis autem est pars illa compositi, quae per conversionem est totaliter destruenda vel producenda.

Manere post conversionem in Eucharistia accidentia panis et vini, postea dicetur: non est ergo *totalis* conversio accidentalis.

50. **Dico I.** Post consecrationem, seu conversionem, non manet in Eucharistia quidquam formae substantialis panis vel vini.

Est communis doctrina theologorum et certum secundum fidem, ait Suarezius. Ait Trident. fieri conversionem *totius substantiae* panis, etc. Atqui si maneret quidquam formae substantialis, non esset totalis conversio: ergo. Confir. Vel forma panis maneret sine materia, vel cum materia: primum esset quoddam miraculum

---

(1) *De Sacram.* c. 4.—(2) *Catech.* 23, 7.—(3) Ep. ad *Evangel.*

quod sine ratione non est ponendum: secundum autem, si supponatur, panis conversionem auferret et transubstantiationem.

51. Dices: forsan panis forma, qua talis, non est quidquam substantiale, sed accidentale; puta, quaedam siccitas vel dilatatio peculiaris similae vi ignis inducta. Sed, hoc posito, manente panis forma, nihil superesset substantiae panis: ergo.

Resp. Hac hypothesi concessa, non sequeretur adversus fidem manifesta haeresis; verum contra sensum communem hujus vocis, formae panis, qua intelligitur quid substantiale, esset talis locutio: necnon contra Patrum doctrinam, dicentium: non esse panem quod videtur panis, neque vinum quod apparet vinum.

52. **Dico II.** Non manet in sacramento aliquid materiae panis vel vini.

Adversus Durandum certa est haec conclusio, ac de fide, ait Suarez; quia doctrinae definitae de Transubstantiatione adversatur. Ratio est; quia Trident. docet totius substantiae panis et totius substantiae vini fieri conversionem; et adjungit: *manentibus dumtaxat speciebus*, seu, ut loquitur Martinus V. cum Conc. Const., accidentibus.

53. **Dico III.** Neque remanet in sacramento subsistentia panis et vini.

Id censuerunt aliqui antiqui, eo quod ad naturam rei non pertineat eius subsistentia, ideoque potest, sublato pane, eiusdem manere subsistendi modus; exinde putabant posse utcumque intelligi et explicari quomodo manere possint et subsistere accidentia.

Idem dicendum, adversari hanc opinionem doctrinae Tridentini Conc. Nam subsistentia non est accidens, sed quid substantiale, complens nempe substantiam in ratione subsistendi: atqui definitum est, manere tantummodo accidentia: ergo.

54. **Dico IV.** Post consecrationem non manet existentia substantialis panis et vini.

Hoc opinati sunt aliqui thomistae. Putantes enim distingui in re essentiam ejus ab existentia; accidentia autem propriam non habere existentiam, sed existere per substantiam; his positis, labyrintho fere inextricabili auctores hi retinentur. Vel enim dicendum existere accidentia per existentiam Domini, quod nimia et inaudita videbitur accidentalis entitatis dignitas, vel esse in Sacramento quin existant, quod absurdum judicabitur, vel commodatam existentiam accidentibus substantiam panis et vini reliquisse. Hanc opinionem primum tenuit Bannez; in alia autem editione retractavit, significans tamen esse probabilem.

Patet non posse probari ejusmodi doctrinam; nam *dumtaxat* manent accidentia post consecrationem. Existentia, communi philosophorum consensu, non est accidens ex se, sed actualitas intrinseca

rei cuilibet quae non sit purum nihil. Existentia igitur substantiae, vel est ipsa substantia, ut vera tenet sententia; vel saltem quid substantiale, cum intrinsece requiratur ut actu extra nihil constituatur substantia. Praeter ejusmodi theologicam rationem, alia urget philosophica. Haec opinio, ait Suarezius, «fingit substantiam »esse velut subiectum existentiae, hanc vero esse actum realiter »distinctum ab illa; quod in Prima Philosophia, et in materia de »Incarnatione probavi esse impossibile (1).»

Utrum autem possit haec opinio haberi probabilis, disserit Suarez (ibid): «Ego vero, cum multum de hac re cogitaverim, num»quam in eam sententiam adduci potui, ut crederem eam opinio»nem esse probabilem, imo nec tolerabilem in Theologia: et cum »plures etiam, eosque doctissimos, de hac re consuluerim, ne»minem aliter sentientem inveni: quin potius legi apud Pic. »Mirand., cum ipse de hac re Romae quaestionem movisset, a »pluribus Theologis judicatum esse, non posse sine errore defendi, »manere in hoc Sacramento existentiam substantialem... Deinde »etiam in Metaphysica, illa opinio, quod accidentia realiter a subs»tantia distincta non habeant propriam existentiam, revera non est »probabilis; quia nec ratione firma utitur, neque habet auctorita»tem gravem.»

55. **Dico V.** Facta conversione, non manet eadem numero entitas, vel substantia, quae fuit panis, sub esse Corporis Christi.

Non manere panem et vinum specifice seu formaliter, omnis confitetur catholicus. Cum autem ad conversionem terminus communis requiratur, ut diximus, et *id quod* erat panis, nunc sit Corpus Christi; ideo visum est aliquibus, *entitatem* panis permanere et vere esse Corpus Christi. Tribui solet Cajetano haec opinio, qui forsan potius obscuro loquendi modo, quam re ipsa, id docuit: alii tamen nonnulli eam tenuerunt, pro se afferentes, contra ipsius mentem, aliquas D. Thomae sententias.

Prob. 1.° Quod manet ex pane et vino, non est conversum in Corpus et Sanguinem Christi: ergo si manent panis et vinum, prout sunt haec entitas vel substantia, non fit *conversio totius substantiae*, ut docet Trident.

2.° Iuxta fidem manent *dumtaxat accidentia;* atqui haec entitas vel substantia non est accidens; ergo.

3.° Non esset omnino idem Corpus Christi quod vixit in terra, quod est in coelo, quod invenitur in distinctis altaribus vel tabernaculis, cum hoc Corpore Christi ex tali individuo pane converso:

(1) Disp. 49, de Sacram. Sec. 4.

ergo tot habebit Christus Corpora numero distincta quot fient consecrationes. *Ant.* patet. Nam singula panis et vini individua habent entitatem et substantiam numero et re distinctam ab entitate Christi quam habet in coelo. et habuit in terra, et a substantia et entitate individua aliorum panum. Ergo si ipsa entitas et substantia. ut sic, panis est post conversionem Corpus Christi; alia est Christi. entitas et substantia in hoc Sacramento, ac in aliis sacramentis, ac in coelo, ac vivens in terra, ante quam fieret per conversionem haec entitas et substantia panis et vini. Nisi forsan pantheistice censeas, entitatem et substantiam realem, ut sic. esse eamdem in omnibus rebus.

Philosophicam hujus falsae sententiae impugnationem apud Suarezium (ibid.), Sotum, et alios AA. videas.

Fundamentum autem illud, quod requiratur terminus communis, non probat illud in ipsa entitate panis debere reponi: sufficiunt enim accidentia. Item. quod dicitur; *id quod* erat panis, nunc est Corpus Christi; non designat eamdem entitatem et substantiam panis. sed *eorumdem accidentium* panis subjectum. Illorum enim subjectum antea erat panis; nunc autem illis subest Corpus Christi.

§ III.

An debeat terminus a quo absolute desinere esse.

56. Certum est. facta conversione. substantiam panis et vini absolute desiisse. ita ut nec in sacramento, nec alibi existant. Id quidem obvie intellecta significant Tridentini verba: «con»versionem fieri totius substantiae panis in substantiam Corporis »Christi:» estque communis theologorum doctrina. Utrum autem conversio proprie dicta fieret, si alibi translata et a suis separata accidentibus existeret substantia panis, succedente sub illis Corpore Christi, inquirunt theologi. Aliqui cum Scoto id affirmant: communior sententia cum Suarez docet e contra. ad veram conversionem unius substantiae in aliam, oportere ut terminus a quo absolute desinat existere. Ratio est.

1.° Ecclesia et communiter theologi intellexerunt panem et vinum, quae in Corpus et Sanguinem Christi convertuntur, non amplius existere: ergo id de natura conversionis dicendum.

2.° Si e loco homo detrudatur, ita ut ei vel alius succedat vel marmorea statua; nemo dicet illum in statuam vel alium hominem fuisse conversum.

3.° Corruptis sacris speciebus, dici nequit, in vermes Christum

converti: atqui alia afferri nequit ratio nisi, quia Christus in suo esse alibi permanet; ergo ad veram conversionem opus est. ut terminus a quo absolute desinat esse.

57. Dices. Verba Christi: *Hoc est Corpus meum*. vera essent, etiamsi alibi fuisset tantum translata panis substantia: ergo ad veram conversionem non opus est ut terminus a quo absolute desinat.

Resp. Dist. *ant*. Verba illa, praecise inspecta, vera forent. etiamsi... conc. Quatenus in iis circumstantiis a Christo Deo ex pane terreno panem coelestem faciente; nego *ant*. Nam quemadmodum intellexit Ecclesia, ex aqua Christo vinum faciente, non vinum aliunde traxisse et aquam alibi projecisse; et panes in deserto multiplicante, non eos sibi invisibiliter a longe attulisse; sed dignam Christi divinitati et potentiae substantialem conversionem vel productionem: a pari substantialem mutationem et conversionem panis in Corpus Ecclesia agnovit, ut Deo in iis circumstantiis congruentem, non vero localem et accidentalem.

§ IV.

An substantia panis et vini annihiletur.

58. Substantiam panis et vini proprie annihilari putavit Scotus, quem alii nonnulli secuti sunt. At cum D. Thoma tenet communis et vera sententia, conceptum conversionis notioni annihilationis adversari. Quod enim annihilatur, ait Vazquez. in nihilum desinit; quod autem convertitur. desinit in id quod est terminus ad quem conversionis: ut panis in Corpus Christi. Item annihilatio, non vi actionis, sed defectu potius evenit actionis: atqui vi actionis consecrativae, quae directe efficit Corpus Christi. evenit desitio panis: nam verborum veritas, quae exigit fieri Corpus Christi, postulat etiam non conservari panem: ut introductio formae productae postulat destructionem alterius. Praeterea, ut notat Suarez. non annihilatur id, de quo aliquid manet: jam vero panis et vini manent in Eucharistia accidentia.

ARTICULUS III.

De accidentium permanentia in Eucharistia.

THESIS IV.

Facta conversione substantiali, aliquid manet in Eucharistia, nempe accidentia, seu species; et quidem absque subjecto, id est, sine substantia panis et vini.

59. **Nota.** Cum Tridentina Syn. docuerit manere *species* in Sacramento et Conc. Constantiense dixerit *accidentia*, utraque voce rem in thesi enuntiamus; id quidem sub ea intelligentes, quod sensibus attingimus in pane et vino, et in sacramento. Quid vero nomine accidentis vel speciei innuatur, in alia thesi explicabitur. Valde enim absurdum est, cum fidei doctrina nobis proponitur, solis verbis memoriam pascere, quid autem sit quod per verba innuitur negligere.

I.ª Pars theseos est explicite, licet indirecte, definita a Conc. Trident (Ses. XIII can. 2): «Manentibus dumtaxat speciebus pa«nis et vini.» Idem patet ex can. 3. Constantiense quoque Conc. damnavit articulum 2 Wicleffi: «Accidentia non manent »sine subjecto in eodem Sacramento.»

II.ª Pars directe definitur et docetur (ibid) a Tridentina et Constantiens. Synodo, et patet ex dictis in praec. Thesi III.

Praeterea evidenter sensuum testimonio elucet permanere species, seu accidentia panis et vini: nullatenus enim extrinsecus differt sacramenti materia post consecrationem.

THESIS V.

Id quod manet in Eucharistia, scilicet accidentia, seu species, sunt aliquid reale objectivum, non merae sensuum affectiones, seu apparentiae.

60. **Nota.** I. Cum fides doceat, nihil substantiae panis et vini in S. Eucharistia manere; inquirunt theologi quid sit illud quod in eadem videtur, tangitur, gustatur? Quaecumque existat rei illius natura, fide certa tenendum, nihil esse intrinsece connexum cum

existentia substantiae panis et vini: quod cum negarent hussitae ac wicleffitae, damnati sunt a Constantiens. Concil. Gen. et Martino V. et confirmata damnatio a Tridentina Synodo, ut dictum est in Thesi praecedenti.

II. Inde intelligitur, cur quidam theologi negaverint manere in Eucharistia accidentia ulla objectiva panis et vini: censent enim non posse accidentia separari a suo naturali subjecto, propter intrinsecam, seu essentialem connexionem qua eidem inhaerent. Ex hujusmodi autem doctrina inferunt; id, quod in Eucharistia remanet, nihil aliud esse nisi subjectivas sensuum affectiones.

III. Hanc quidem ejusmodi theologorum de natura accidentium doctrinam profitebantur hussitae et wicleffitae, magna asserentes contentione: absurdum plane esse, quod accidentia a suo separentur subjecto. Quo posito, cum evidens sit *accidentia* panis et vini permanere, quod catholici non negabant, neque Concilium Constantien. rejecit, inferebant suam haeresim, scilicet: panem et vinum permanere in Eucharistia. «Secure denuntio, ajebat Wi»cleff, modernis haereticis (catholicis), quod non possint declarare »nec intelligere accidens sine subiecto.» Et iterum: «Fructus istius »dementiae, qua fingitur accidens sine subjecto, foret blasphemare »in Deum, scandalizare sanctos et illudere Ecclesiae per verba acci»dentis.» Haec in actibus leguntur Conc. Constantiensis.

61. IV. Quaestio ergo est inter theologos: an Concil. Constantien. damnaverit illud Wicleff et Hus erroris fundamentum, nempe accidentia esse inseparabilia a subjecto? An vero solum damnaverit connexionem et coexistentiam accidentium cum subjecto in Sacramento? Communiter theologi censent, in priori sensu illam Wicleffi propositionem fuisse damnatam: ideoque non posse sine temeritate defendi, et esse errori proximum, quod non maneant re ipsa et objective accidentia panis et vini, sed species solum intentionales sensibus impressas, quae sunt quasi illusiones et praestigia referentia panem et vinum tamquam existentia. Nonnulli tamen theologi, praesertim inter recentiores, existimant doctrinam Huss et Wicleff in secundo tantum sensu fuisse reprobatam.

62. Prob. 1.° Thesis, quae est theologice certa: sed a censuris abstinemus, quas alii plures adhibent theologi.

Concil. Constant. definivit, manere in Eucharistia id quod nomine *accidentis* significabatur. Sed accidens significabat aliquid reale objectivum: ergo. *Major* patet. Si enim solas voces, non autem res significatas, definiret Ecclesia; liceret, vocibus solum retentis, quidlibet circa doctrinam Ecclesiae cogitare. *Min.* est quoque aperta et evidens. a) Accidens tunc definiebatur, et nunc quoque definitur: «Id quod inhaeret subjecto.» Atqui quod inhaeret

subiecto, seu pani et vino, est quid reale et obiectivum. b) Praeterea, haeretici communem conceptum assumentes accidentis, adjiciebant ita inhaerere accidens subjecto, ut sit inseparabile ab eodem, puta, a pane et vino: respondebant autem catholici, virtute divina, miraculo separari posse. Atqui haec nullatenus dici potuissent, si accidens non significasset aliquid reale objectivum, sed sensuum affectiones: quis enim cogitavit unquam, has inhaerere pani et vino, tamquam in subjecto, et esse ab eo inseparabiles, et sola posse virtute divina separari?

63. 2.° Docet Trident. Conc. (1): «Commune hoc quidem »est Smae. Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse »rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem.» Ex quibus arguimus: clauso tabernaculo, vel ciborio, nulla existit sensuum affectio, seu illusoria apparentia: ergo vel non manet actu Sacramentum, quippe non existit symbolum sensibile et forma visibilis; vel si manet, ut fides docet, species, seu accidentia sacramentalia, non sunt mera sensuum affectio, sed aliquid objectivum independens ab affectione sensuum. Confirm. a) Forma visibilis et ipsa visio nequeunt esse idem. Atqui species sacramentales Eucharistiae sunt formae visibiles; ex Trident. (ibid.): ergo nequeunt confundi cum ipso actu seu affectione videndi. *Major* patet. Nam forma visibilis est prior natura et independens a visione; e contra, visio dependet a forma visibili: forma visibilis est causa visionis, objectum eiusdem, et dicit tandem, seu importat aptitudinem, potentialitatem; visio autem est actuatio talis aptitudinis. Ergo visio et ceterae sensuum affectiones longe differunt a speciebus sacramentalibus. d) Catechismus Conc. Tridentini (2) probat Eucharistiam esse sacramentum, quia in eo sunt *signa externa et sensibus subjecta:* sed hoc dici nequit de sensuum affectionibus: ergo Eucharistia per species, quae nihil aliud sint quam sensuum affectiones, nequit esse sacramentum.

3.° Anno 1649 damnata est a S. Congr. Romanae Inquisitionis propos. haec: «Eucharistiae accidentia non accidentia realia, sed merae illusiones et praestigia oculorum «sunt.»

64. 4.° Explicite voluit et declaravit Christus, hoc Sacramentum, tamquam cibum, ore sumendum, manibusque tractandum: *Accipite et comedite.* Apostolus ait: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Ecclesia manus consecrat Sacerdotis ut Sacramentum tractet; et ore jejuno sumendum praescribit. Cyprianus ait de indigne sumentibus: «Plus modo in Deum

(1) Sess. XIII, cap. 3. –(2) Pars II, de Euchar. n. 7.

»manibus et ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.» Atqui si sacramentales species sunt sensuum affectiones, nihil revera ore manducatur, nihil manu tangitur; sed phantastice tantum actiones ejusmodi perficiuntur: ergo Christus, Ecclesia et SS. Patres ita illusorie loquuntur, ut ad phantasticas operationes exercendas nos obligent tamquam veras proprias et reales.

5.° Sanae philosophiae non minus opponitur quam verae theologiae ejusmodi opinio. Nam naturam sensuum externorum, qui facultates sunt cognoscitivae *rerum sensibilium*, evertit, et certitudinem physicam exulare cogit.

65. Obj. 1.° Concil. Triden. non docuit manere accidentia, sed species dumtaxat. facta consecratione. Atqui species panis et vini possunt esse purae affectiones sensuum et apparentiae: ergo.

Resp. 1.° Recta interpretandi ratio dictat obscura et ambigua per clara et distincta esse dijudicanda, non e converso. Si ergo vox *species* est ambigua, et apta etiam ad significandum, ut dicis, affectiones sensuum et apparentias; cum vox *accidens* quam adhibuit Constantien. Concil. sit clara et communi sensu definita, oportet illam priorem per hanc intelligere et difinire. Sic prudentissime fecit Concil. Colonien. sub Paulo IV (a. 1536): «Quid enim, ait, panis et vini species aliud sunt post consecratio»nem, quam species sacramentales et accidentia sine subjecto?»

66. Resp. 2.° Dist. *maj*. Docuit manere *species*, quasi haec vox significet affectiones sensuum et apparentiam accidentium; nego *maj*. Quatenus significat visibilem figuram et apparentiam panis; conc. Unde patet hos theologos recedere a doctrina Constantiensis, dum mutant ad libitum *accidentis* significationem, remque plane diversam substituunt, et a doctrina Tridentini, dum dicunt manere species *accidentium*, cum doceat explicite Tridentinum. manere species *panis* et *vini*. Accidentia panis et vini, odor, color, quantitas, etc. sunt utique species, figura et apparientia panis et vini; nam per accidentia apparent et dignoscuntur substantiae: at affectiones sensuum nihil sunt nisi illusiones mendaces, quibus apparent accidentia realia panis et vini, et non sunt. Per accidentia quidem apparet existere etiam substantiam propter connexionem naturalem qua eidem adhaerent; fide autem docemur substantiam non manere: per affectiones autem sensuum apparent directe accidentia, quae nec sunt, nec connectuntur proinde cum iis affectionibus, seu illusionibus, quas producere non possunt; neque illa abesse aliquando fides docuit, imo potius adesse et *permanere* docemur a Constantiensi explicitis verbis, et a Tridentino aequivalentibus. Cum enim dicit Tridentinum, manere dumtaxat species panis et vini; significat eas ante conse-

crationem extitisse: atqui tunc non erant ejusmodi species affectiones pure subjectivae, sed aliquid reale et objectivum; ergo neque sunt mere subjectivae post transubstantiationem.

Obj. 2.° Nequit mutari accidentis essentia. Sed accidens est quod inhaeret subjecto: ergo nequeunt manere accidentia panis quin inhaereant pani.

Resp. Dist. *min.* Quod inhaeret aptitudinaliter, seu quod ordinatur natura sua ad inhaerendum; conc. Quod inhaeret actu; nego.

SCHOLIA

§ I.

An post consecrationem maneant eadem numero accidentia.

67. Cum dicuntur manere accidentia in Eucharistia, intelligere illa oportet non tantum *in genere* eodem vel specie, sed etiam *in individuo*. Consecratio enim fit de reali et individua substantia panis et vini, quae proinde realia et individua fert accidentia: sicut ergo substantia quae convertitur in Corpus Christi, est illa individua quae panem et vinum constituebat; ita, in sensu obvio et proprio, cum docet Tridentinum, converti totam substantiam, *manentibus dumtaxat* accidentibus, individua illa intelligere oportet accidentia. Si enim tunc primo producerentur, quomodo *manere* vere et proprie dici possent? Jure id certum dicit Suarez (1) in doctrina fidei, multisque confirmat rationibus et auctoritatibus. His positis, facile notabis quam opposita sit huic doctrinae opinio illa, quae accidentia manentia in Eucharistia nihil esse nisi affectiones et illusiones sensuum nostrorum docet.

§ II.

Quaenam perseverant in Sacramento accidentia.

68. Alia difficultas est, utrum omnia, vel quaenam maneant in Sacramento accidentia.

Et quidem si sermo sit de entitatibus modalibus quae aliquo modo afficiebant panis et vini substantiam, puta, unionem inter materiam et formam illius substantiae, inhaesionem accidentium eidem, praesentiam localem et varios motus quibus afficiebatur substantia; certum est, eas non manere in Sacramento.

---

(1) Disp. 56, sec. I, de *Sacramentis*.

Quoad illa accidentia quae sensibus objiciuntur ut inhaerentia pani et vino, certum est permanere; nam de his saltem loquitur Trid. Synodus, et alia Concilia.

Utrum autem supersint alia accidentia occulta quae comitantur panis et vini substantiam, communior est sententia etiam permanere, cum, nulla distinctione facta, doceat fides manere accidentia. Suarez tamen ait, id non esse de fide; e contra Vazquez putat fide certum.

§ III.

An in Sacramento sint accidentia absque ullo subjecto.

69. Cum manere sine subjecto dicuntur in Eucharistia panis et vini accidentia, collective, non autem singillatim, seu distributive, accipienda sunt. Inquirunt enim theologi, utrum in aliquo accidente tamquam in subjecto cetera existant accidentia, licet nullae substantiae in sacramento existenti possint inhaerere. Ut paucis res intelligatur:

Nota. I. Juxta communiorem philosophorum doctrinam, quantitas distinguitur realiter a substantia materiali, et similiter ab aliis accidentibus res materiales perficientibus.

II. Juxta Arriagam, Lessium, etc., accidentia ejusmodi recipiuntur immediate in substantia materiali: ex quo deducunt, in Eucharistia manere omnia miraculose a Deo conservata absque subjecto, ideoque existere per modum substantiae. Communior autem sententia, cum D. Thoma, Lugo, etc. defendit:

In quantitate, veluti in subjecto, sustentari omnia accidentia eucharistica; quantitatem autem virtute divina existere per se absque subjecto.

Ratio posteriorem commendans sententiam est: 1.ª Omnia accidentia eucharistica sunt actu extensa et impenetrabilia, experientia teste. Sed extensio et impenetrabilitas rerum materialium ex vi quantitatis oritur, ut supponimus ex Philosophia (1): ergo omnia illa accidentia sunt tamquam in subjecto, saltem unionis, in quantitate.

2.ª Non sunt concedenda miracula nisi de eis constet: sed si non sint accidentia omnia eucharistica in quantitate tamquam in subjecto, tot sunt nova miracula quot accidentia: omnia enim deberent conservari per actionem creativam.

---

(1) Suarez. Disp. 40, sec. 4. *Metaphys.*

3.ª Accidentia eucharistica immutari possunt per causas naturales et destrui, sicut ante consecrationem: sed id fieri non posset, si virtute actionis creativae conservarentur, tamquam substantiae. Cum enim causa naturalis non nisi in subjecto agere valeat, id quod a subjecto est independens, ab actione etiam causae naturalis subtrahitur.

§ IV.

De virtute activa et passiva accidentium in Eucharistia.

70. I. Utrum virtutem suam naturalem retineant accidentia eucharistica, dubitari potest. Secundum enim modum essendi est modus agendi: in Eucharistia naturalem suum essendi modum non habent accidentia, sed ad modum substantiae, ut superius dictum fuit, existunt; tamen.

Naturalem suam virtutem haec accidentia retinere ad connaturaliter agendum probabilius dicitur.

Actualis enim inhaerentia, licet sit connaturalis, seu juxta exigentiam naturae accidentium, non est tamen ipsa eorum essentia: non ergo impedit eorum virtutem et actionem naturalem quod a Deo conserventur absque subjecto. Confir. 1.° Illud subsidium, seu complementum extrinsecum, quod a subjecto habent accidentia eidem inhaerendo, habent perfectiori modo dum existunt per se virtute divina. Sed nulla ratio suadet, quod res aliqua suam dimittat naturalem virtutem, quia perficitur in suo existendi modo: ergo. 2.° Eatenus agere accidentia Eucharistica non possent, quatenus eorum actiones esse deberent altioris perfectionis quam prius: atqui non ita est; nam si actiones ex parte effectus metiantur, iidem prorsus effici debent, puta, species visivae, etc., si autem secundum se actiones considerentur, cum non sint vitales, seu immanentes, sed transeuntes, in termino recipi debent, non autem in suo principio: ergo etiamsi principium perfectiori modo existat, ipsae actiones majorem non exigunt perfectionem.

Proinde cum accidentia eucharistica sint impenetrabilia, reflectant lucem, immutent corpora quibus miscentur, etc., id naturaliter fieri et sine miraculo, dicendum est. Ita Suarez, Lugo, etc.

II. Quoad virtutem passivam specialis est difficultas. Ut accidentia eucharistica quidquam patiantur, debent aliquid in se recipere: si autem effectus aliquis producatur ac recipiatur in accidentibus, modum habebit existendi similem, id est, absque subjecto. Atqui

similes effectus causae naturales producere nequeunt, cum id postulet virtutem creativam.

Haec quidem difficultas urget eos qui existimant accidentia eucaristica esse omnia absque subjecto, non tantum singillatim, sed etiam collective sumpta. Jam vero diximus, quantitatem esse subjectum commune ceterorum accidentium: nihil ergo impedit quominus causae naturales immutent accidentia eucharistica, et nova etiam efficiant, prioribus corruptis: sic naturaliter calefieri possunt, et alio colore vel sapore affici, imo et totaliter auferri, ita ut non amplius sint panis ac vini accidentia.

III. Quo pacto autem ita agant vel patiantur accidentia sacramentalia, ut inde alia generetur substantia, non ita facile intelligitur. Communis est theologorum sententia, licet nonnulli id negaverint:

Corruptis sacris speciebus, novam generari, seu produci substantiam; ac proinde vere nutriri hominem illas sumendo.

Ratio est, quia experientia testatur, species panis in cineres converti posse, species vini in acetum, homines specierum comestione nutriri, et alia hujusmodi: tunc autem non manere Sacramentum doctrina catholica docet: id autem quod permanet esse veram substantiam, cum nulla miraculorum supersit ratio, vel signum, ex naturae legibus constat.

Deinde illae causae, quae sacramentales species corrumpunt, alia producunt accidentia, quae sunt naturalis dispositio alius substantiae, puta, cinerum, vel aceti, etc. Sed Deus, ubi necessitas cessat miraculorum, operatur juxta naturae leges: ergo ad divinam spectat Providentiam, ut tunc novam producat substantiam.

Quia vero in sacris speciebus nulla est materia, et forma cujusvis rei materialis est actus materiae; dubium est, unde novae substantiae materia desumatur. D. Thomas docere videtur (1), substantias illas, quae ex speciebus corruptis generantur, sine materia constitui, et vices materiae praestare quantitates panis et vini, quae in sacramento remanserant. Quo posito, sequeretur, homines, qui ex speciebus consecratis nutrirentur, solam animam habituros informantem accidentia quaedam. Unde dicendum foret, vel materiam non esse essentialem rebus corporeis, vel homines illos differre *essentialiter* a ceteris, et corpore carere. Qua de causa Sotus, aliique etiam ex thomistis, id concipi non posse fatentur. Ideo est communis sententia:

Deum iterum creare materiam, quae propter

(1) Q. 77. a. 5.

Sacramenti veritatem fuerat destructa, et in eodem instanti produci et induci formam ab eo agenti naturali, quod solet similes formas in iisdem circumstantiis ac dispositionibus producere.

Creata autem materia et producta forma dependenter a tali materia, omnia illa accidentia cum sua quantitate novae substantiae uniuntur tamquam subjecto naturali, cessatque omne miraculum, sicut et sacramentum. Causae enim naturales necessario agunt: causae ergo illae quae nova accidentia, prioribus corruptis, produduxerant et conservabant, posito naturali subjecto, eidem continuo ipsa uniunt, cum prius quantitati tantum forent unita. De quantitate autem ipsa aliter philosophandum.

Juxta Suarezii et plurimorum AA. probabiliorem sententiam, quantitas immediate unitur materiae, et, hac mediante, formae et toti composito. Deus igitur qui quantitatem sine subjecto, ideoque actione creativa, conservabat, postquam materiam prius destructam iterum creavit, non amplius actione creativa quantitatem conservat, sed productiva et unitiva, seu eductiva, prout exigit natura accidentis.

Nota. Ex dictis nullo modo potest deduci, conversum esse Christum in novam hanc substantiam, sicut panis fuerat in Christum conversus: nam Christus existens perseverat, licet praesentiam illam non habeat eucharisticam; conversio autem exigit destructionem termini a quo.

ARTICULUS IV.

Multiplex praesentia Christi cum accidentibus collata.

THESIS VI

Christus est totus sub singulis speciebus panis et vini, et sub qualibet parte cujusque speciei, separatione facta; imo etiam ante divisionem.

71. **Nota.** Prima pars est fide certa: secunda etiam, scilicet, post cujusque speciei divisionem, in singulis partibus divisis totum esse Christum; tertia autem est theologice certa.

I.ª Pars, et etiam II, constat. 1.° ex Trident. (1): «Si quis »negaverit in venerabili Eucharistiae sacramento sub unaquaque »specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione fa- »cta, totum Christum contineri: anath. sit.» «Firmissime creden- »dum est... integrum Christi Corpus, et Sanguinem, tam sub spe- »cie panis, quam sub specie vini, veraciter contineri:» Ita etiam Conc. Constantien., Sess. XIII.

2.° Christus D. de sola loquens specie panis, ait: *qui manducat me, et ipse vivet propter me... qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (2). Deinde aequalem cum Christo uniendi virtutem unaquaeque habet: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem in me manet et ego in illo* (3). Jam vero discipuli in coena non totum panem et vinum sumpserunt consecratum, sed partem: *biberunt ex illo omnes; Dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes* (4).

72. 3.° Augustinus (in Joan. VI.) ait: «Vivimus ergo nos »propter ipsum manducantes eum, id est, ipsum accipientes, aeter- »nam vitam.» Et inferius: «Temporaliter et hi profecto morientur »qui Christum manducant, sed vivent in aeternum, quia Christus »est vita aeterna.» Hieronymus (5) ait: «Vitulus saginatus »qui ad poenitentiae immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus »quotidie carne pascimur, cruore potamur.» S. Ephrem (6) »ait: «Agnum ipsum integre comedis.»

4.° Ratio theologica, qua utitur D. Thomas, est: Corpus Christi est substantialiter cum sanguine, anima et divinitate unitum: ergo ubi ponitur Corpus, et alia connaturaliter existunt: et pariter ubi existit Sanguis, ibi est Corpus.

73. II.ª Pars prob. 1.° Explicite definita est a Trident. ut dictum est. Confir. S. Gregorius (7) ait: «Singuli accipiunt »Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est nec per »singulos minuitur, sed integrum se praebet singulis.»

2.° Facta divisione sacramentalium specierum, verba consecratoria eamdem retinent significationem et veritatem erga singulas partes quam erga totum habebant. Ergo eodem modo totus Christus continetur. Confir. Divisio Sacramenti quantitatem solum afficit, quatenus jam non est una sed multiplex species sacramentalis. Atqui quod sit praesens totus Christus in qualibet specie est independens ab unitate vel pluralitate quantitativa: ergo etiam, facta divisione, debet esse totus Christus in singulis speciei partibus. *Min.* patet: nam praesens est totus Christus, quatenus substantia

---

(1) Trid. ses. XIII, can. 3.—(2) Joann. VI, 58, 59.—(3) Ibid. 57.—(4) Marc. XIV, 23; Matth. XXVI, 23.—(5) Epist. ad Damas. de *Filio Prod.*—(6) L. De non. scrut. Nat. div.—(7) *Sacramentarium*. Dom. V, post. Theophan.

panis et substantia vini in eum convertuntur, vel vi verborum, vel per concomitantiam. Atqui substantia panis est independens ab unitate vel divisione quantitatis; non minus enim est vera substantia panis sub unitate quam sub divisione quantitativa: concomitantia autem, seu connexio partium Christi eadem semper existit: ergo quod sit praesens Christus... etc.

74. III.ª Pars prob. Christus est in sacramentalibus speciebus ad modum substantiae in ipsum conversae. Sed substantia erat integra ac perfecta in singulis speciei partibus ante divisionem: ergo et Christus integer eodem modo existit in speciebus consecratis. *Min.* patet. Nam substantialiter non minus integra est natura panis in minima parte ipsius, quam in toto pane. *Major* ex supra dictis etiam constat: non enim succedit Christus accidentibus panis et vini, quae permanent in Sacramento, sed substantiae; similiter, accidentia Corporis Christi non ponuntur in Eucharistia directe et vi verborum, sed concomitanter ad substantiam Corporis Christi. Ergo totus Christus est in Sacramento ad modum substantiae. Vide D. Thomam (1) hoc argumentum adhibentem. Confir. Si Christus non esset totus in singulis partibus hostiae ante divisionem, partes Corporis Christi invenirentur in Eucharistia quantitative extensae, seu una extra aliam posita secundum hostiae quantitatem et extensionem. Sed hoc est falsum: ergo. *Min.* prob. a) Si esset Christus quantitative et extensive ad modum quantitatis et extensionis hostiae, subjiceretur etiam proprietatibus hujusce quantitatis et extensionis; atqui non subjicitur: ergo. *Min.* patet ex dictis. Nam partes hostiae divisae nequeunt invicem contineri; sed manent una extra aliam, sicut ante divisionem; e contra accideret in partibus Corporis et Sanguinis Christi; quod tantum erat ante divisionem manus, esset post divisionem totus Christus. b) Si ita forent partes Corporis Christi extensae et distinctae ad modum extensionis hostiae, haberet Christus formam monstruosam et tali corpori singulisque membris repugnantem. c) Si ante divisionem non esset totus Christus in singulis hostiae partibus, in singulis divisionibus fieret nova productio corporis Christi, nova conversio et transubstantiatio. Sed tot miraculorum nullum est signum vel ratio: ergo.

75. Obj. 1.° Christus dixit: *Caro mea vere est cibus; sanguis meus vere est potus.* Ergo solam Carnem et Sanguinem in Sacramento tradit.

Resp. Dist. et explico *antec. Caro mea*, id est sola caro; nego. Quatenus nomine carnis totum corpus significatur; conc. Ita dixit

---

(1) 3. p. q. 76, a. 3.

Christus: *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Totum Corpus tradere dixit Christus in coena; imo se totum ut supra dictum est. Verum quia caro et sanguis quamdam aptitudinem naturalem ad manducandum et bibendum prae se ferunt, ideo dictum est: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.*

Obj. 2.° Sub parva hostia non potest totum corpus humanum contineri: ergo.

Resp. Dist. *ant.* Non potest esse extensive, seu secundum exigentiam quantitatis; concedo. Ad modum substantiae seu spiritus; nego.

Obj. 3.° Si totus Christus continetur sub utraque specie, altera species sacramentalis est superflua: ergo.

Resp. Nego *antec.* Nam non continetur nisi Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini, *vi Sacramenti:* proinde Sacramentum duplici confectum specie est repraesentatio Passionis Christi.

76. Obj. 4.° Species sunt in infinitum divisibiles: si ergo ante divisionem est totus Christus sub qualibet parte, infinities est in Sacramento.

Resp. Dist. *ant.* Species sensibiles: nego *ant.* Species insensibiles: transeat vel nego. Proinde negatur consequentia.

Obj. 5.° Partes corporis organici sunt necessario invicem distantes. Sed si totus Christus est in singulis speciei partibus, non sunt distantes ab invicem; nequit ergo esse totus, etc...

Resp. Dist. *ant.* Sunt distantes cum constituuntur in loco vi quantitatis; conc. *maj.* Si sint in loco independenter a quantitate; nego. Nam Corpus Christi ponitur in Sacramento per conversionem substantialem, ideoque ad modum substantiae et independenter a quantitate; quantitas autem Christi ponitur concomitanter, ideoque etiam ad modum substantiae (1), seu tota in singulis partibus specierum sacramentalium.

Inst. Extensum habet formaliter et intrinsece partes extra partes. Sed quantitas formaliter extendit rem quantam: ergo vel quantitas Corporis Christi non est in Sacramento, vel partes tum quantitatis, tum Christi Corporis, sunt invicem distantes, seu extensae.

Resp. Nego *min.* vel dist. Formaliter extendit *actu* rem quantam; nego. Virtualiter, seu quatenus *exigit* naturaliter extendere rem quantam; conc.

77. Obj. 6.° Si actu non extenduntur partes Corporis Christi, sunt invicem confusae et mixtae: ergo organica forma prorsus caret.

---

(1) D. Thom. p. 3, q. 76, a. 4.

Resp. Dist. *ant.* Sunt confusae entitative, seu in ordine ad se; nego. Extensive, seu in ordine ad locum; conc.

Quantitas non tribuit corporibus distinctionem entitativam partium: hoc enim, quod quidam somniarunt, concesso, sane, effectu quantitatis sublato, in unum quid simplex coalescerent et confunderentur omnes partes corporis; tribuit ergo solum distinctionem localem partium, si ejus non impediatur efficientia (1). Proinde Corporis Christi partes, etiamsi compenetratae existant virtute divina, ordinem intrinsecum inter se retinent; ita ut oculi ex gr. sint faciei uniti, manus brachiis, etc., non autem aliis membris; haec unio enim est entitativa et substantialis, ideoque independens a quantitate, sicut entitas ipsa individua partium Corpus Christi.

SCHOLIA.

§ I

De reali corporum compenetratione.

78. Tum ex dictis in praecedenti Thesi, tum ex aliis ad Eucharisticum dogma spectantibus, patet; Corpus Christi, cum quantitate aliisque panis et vini accidentibus compenetrari, imo partes omnes corporeas Christi cum propria illarum quantitate esse invicem compenetratas.

Quam magnum autem istud sit miraculum, leges naturae omnibus notae testantur. Corpora enim partesque cujusvis corporis semper se invicem insuperabilibus viribus ab eodem loco excludunt: primum sane durissima saxa disrumpuntur, bellica tormenta, ipsique montes et terrena moles, quam vel subtili vapore penetrari patiantur.

79. Tamen realem corporum compenetrationem Deo esse possibilem communiter docent theologi, uno excepto Durando, qui de hac re dubius disserit.

1.° Id elucet, quia quantumvis magna sit quantitatis vis partes corporis extendens, ceteraque corpora ab eodem spatio excludens, finita prorsus est. Atqui vis finita superari potest saltem vi infinita: ergo. Ad rem D. Thomas (2): «Deus, qui est omnium causa prima, »potest conservare effectus in esse sine causis proximis. Unde sicut »conservat in sacramento altaris accidentia sine subiecto, ita potest »conservare distinctionem materiae corporalis et dimensionum in

---

(1) Suarez. *Metaph.* disp. 40, sec. IV.—(2) *Quodl.* 1.° a. 22.

»ea (in ordine ad se) absque diversitate situs. Miraculose ergo fieri »potest quod duo corpora sint in eodem loco.»

2.° Ea de causa nobis impossibile apparet compenetratio, quia corporum distinctio connexa necessario videtur cum locali distinctione; quae quidem apprehensio orta ex eo est, quod ipsum spatium et partium ejus distinctionem ex corporum mole et distinctione situs eorumdem concipiamus. Atqui nullatenus inter se connexae existunt distinctio corporum et distinctio situs: nam distinctio corporum et distinctio situs eorumdem a diversis procedunt principiis; sublato ergo altero principio aut illius impedito effectu, non altera necessario perit distinctio. Vide supra ad *Obj. 6.* responsionem.

Neque hinc deduci existimes, e duobus corporibus compenetratis alterum saltem quantitate necessario orbari. Nam id quidem consequi necessum foret, si effectus formalis quantitatis in actuali extensione et impenetrabilitate consisteret: quod supra cum Suarezio negavimus, et in naturali et actuali exigentia eorum effectuum situm esse diximus.

Neque illud etiam consequi putandum est, sublata impenetrabilitate duorum corporum inter se, auferri quoque necessario impenetrabilitatem partium cujusque ad invicem. Nam sunt effectus distincti, ideoque potest unus impediri, permisso altero. Sic in Sacramento partes quantitativae et accidentales hostiae sunt ad invicem impenetrabiles, dum tota hostia compenetratur cum Corpore Christi et ipsius quantitate.

80. Dices cum Cartesio: essentia corporum in extensione consistit, vel saltem in collectione atomorum extensarum: ergo distincta corpora, vel partes corporis, et distincta donantur extensione. Atqui distincta extensio distinctam necessario importat spatii partem: nam non distinguitur spatium a corporum extensione: ergo repugnat compenetratio corporum vel partium unius corporis, qualis supponitur in Eucharistia.

Resp. 1.° nego *antecedens*. Resp. 2.° dist. *minor*. subsump. Extensio *situ* distincta requirit distinctam partem spatii; conc. Extensio *entitative* solum distincta requirit, etc.; nego *min*.

Corollarium. Inde deduces, partes unius corporis ita constitui posse ut nulla sit extra aliam: sed si nulla extra aliam existat, omnes erunt in indivisibili puncto; ergo totum Christi Corpus in puncto constitui potest indivisibili.

§ II

De simultanea Christi existentia in pluribus locis.

81. Aliud in mysterio eucharistico evidens elucet miraculum; scilicet, quod Corpus et anima Christi in pluribus simul existant locis; tum proximis, ut in hostiis ejusdem ciborii, vel partibus ejusdem hostiae; tum dissitissimis, ut in coelo et in terra, et in omnibus fere simul terrae regionibus.

Duplex distinguitur localis praesentia; altera circumscriptiva, definitiva altera. Prima, quae propria est rerum materialium habentium quantitatem, illa est, qua res ita est in loco, ut una pars sit extra aliam, et impenetrabiliter cum alio corpore quanto. Secunda, id est, definitiva, est quaecumque alia praesentia quae non sit circumscriptiva; ut accidit, cum partes unius corporis compenetrantur inter se, vel cum alio corpore; talis est etiam praesentia spirituum in aliquo loco, animae in toto corpore, etc. Ex quibus deduces, praesentiam D. N. Iesu Christi in Eucharistia esse definitivam, quippe illa prior circumscriptiva nullatenus ei convenit.

82. **Dico I.** Posse multiplicari praesentiam, etiam corporum definitivam non est dubitandum.

1.° Id quidem certo constat ex eucharistico dogmate. Ut dictum est, praesentia Christi in Eucharistia est definitiva, in sensu supra dicto; atqui praesentia ejusmodi, ut fides docet, multiplex existit: ergo.

2.° Aliis constat etiam propositio exemplis; sic anima in toto corpore, Deus ubique existit. Atqui praesentia illa definitiva corporum est ad modum spiritualis praesentiae; ergo nulla est ratio, ut repugnet multiplicari definitivam etiam corporum praesentiam.

83. Obj. Si posset corpus in pluribus constitui locis, poterit etiam poni ubique; sed hoc absurdum videtur.

Resp. Dist. *maj.* Posset poni ubique, si in ista majori et quasi indefinita actuatione non interveniat specialis difficultas: conc. Aliter; nego. Unde, perpensa praecise pluralitate praesentiarum, non repugnat constitui corpus aliquod ubique; verum cum praesentia localis sit actuatio quaedam, et potentia passiva rei finitae sit etiam finita, forsan ex hoc capite repugnet, corpus aliquod ubique constitui.

84. **Dico II.** Quoad praesentiam circumscriptivam, licet hoc sit minus certum, videtur posse quoque multiplicari.

Nota. Posse corpus pluribus donari praesentiis circumscriptivis, negant cum Vazquezio plures thomistae: alii e contra plurimi cum Suarezio affirmantem tuentur sententiam quam probandam censemus.

1.° Quia non graviores urgent difficultates adversus plures ejusdum corporis praesentias circumscriptivas, quam definitivas: si ergo hae negari non possunt, ut dictum est, neque illae negandae sunt.

2.° Rationes quibus Vazquez et alii repugnantiam suadere conantur, facile solvuntur: sed ubi aperta non elucet repugnantia, Deo non est neganda potentia; ergo.

3.° Magis repugnare videtur, ut notat Suarez, privare quantitatem sua praesentia circumscriptiva, quam hanc secum ubique locorum ferre; est enim naturalis ejus proprietas; ergo si in pluribus locis esse potest corpus definitive, etiam circumscriptive.

4.° Denique, in vitis Sanctorum... plura leguntur exempla hanc sententiam comprobantia: simul enim in pluribus locis visi sunt cum propria praesentia circumscriptiva, uti narratur de S. Antonio Paduano, de S. Francisco Xaverio, etc.

§ III.

De iis quae connectuntur cum multiplici Christi D. praesentia, praesertim sacramentali.

85. **Nota.** Dubia nonnulla suscitari solent, maxime cum miracula aliqua circa S. Eucharistiam evenisse narrantur, de iis quae Christo D. convenire simul possunt, quatenus in diversis existit locis, praesertim intra et extra Sacramentum. Non inutile ergo judicamus pauca breviter adnotare, quae iis dubiis probabiliter solvendis lucem afferre valeant.

86. In primis, proprietates omnes connexae cum determinata praesentia locali nequeunt Christo simul et ubique convenire, cum multiplicem habet praesentiam.

Unde, cum alia sit praesentia quam habet Christus in Sacramento, et alia quae ei convenit extra, puta, in coelo, diversae quoque sunt proprietates cum iis praesentiis connexae.

87. 2.° Quoad ceteras proprietates quae a locali praesentia non pendent, aliter loquendum. Si non fuerint realiter distinctae ac separabiles a corpore, eaedem ubique illi conveniunt, ut patet. Si autem sint realiter distinctae, poterunt in uno loco corpori inesse proprietates quibus caret in alio: sic modus ille praesentiae, seu si-

tus, quem habet quantitas Christi in coelo, non habet in Sacramento.

Exemplum naturale hujusce rei habemus. Anima rationalis non habet eamdem in capite unionem, quam habet in manu; intrinsece enim pendent unio a subjecto suo, quod diversum est in diversis membris: si ergo naturaliter id evenit, a fortiori poterit et supernaturaliter accidere.

Aliunde etiam id patet. Si res et forma distinguantur inter se, non sequitur quod si res multas suscipiat praesentias, etiam forma suscipere debeat; nam effectus distinctus postulat et distinctam causalitatem, seu virtutis applicationem.

88. 3.° Si rei proprietates, licet distinctae, sint tamen ei connaturales, etiam naturaliter illam comitabuntur, ubicumque existat. Id patet ex doctrina Tridentini circa concomitantiam; ea enim de causa, sub speciebus panis inest etiam Sanguis Christi, et sub speciebus vini est Corpus. Ratio est, quia operatur Deus ordinarie juxta rerum naturam: non est ergo, sine causa, fingendum miraculum, quod res alicubi existat sine suis intrinsecis proprietatibus.

89. 4.° Si corpus per actionem adductivam puncto temporis, seu instantanee, alibi constituatur, transferentur *connaturaliter* omnes ejus proprietates. Nam licet aliquae sint accidentales, tamen sunt inhaerentes et unitae corpori, nec habent connexionem (ut supponimus) cum priori praesentia vel quavis alia: jam vero si corpus successive adducatur per diversa loca, patet illud secum afferre omnes suas proprietates; a pari ergo censendum, si non succesive, sed temporis momento in alia loca adducatur.

Si autem per diversas actiones substantiales, seu productivas, constituatur idem corpus, sive temporis puncto, sive successive, in diversis locis, fere ex arbitrio Dei pendet quod habeat ubique easdem accidentales proprietates. Ratio est, quia cum sint extrinsecae et non debitae tales proprietates, requirunt actionem distinctam, ut simul cum subjecto in pluribus locis efficiantur: pendet ergo hoc ex voluntate et concursu extrinseci agentis, Dei nempe. Tamen congruum videtur et rei consentaneum, quod ubique easdem suscipiat proprietates, etsi accidentales, ne aliqua contrarietas et violentia in subjecto fiat.

90. 5.° Mutationes locales corporis in pluribus locis existentis, quae in uno fiunt loco, non item fient in alio, si agentis naturalis virtute perficiantur. Nam agens naturale habet quidem virtutem ad mobile sibi propinquum movendum, non autem si fuerit longe positum, vel immediate ponendum. Sic, ex. gr., sol movet visivam potentiam, et colorat plantas, aliasque substantias; non autem id immediate efficit, sed immutans primo interpositum medium, quo

dissita corpora tandem moventur. Unde judaei trahentes et impellentes Christum D. in sua naturali praesentia, non ideo ullum motum in eo effecissent sacramentalem, vel aliam remotam praesentiam, puta in coelo, immutassent.

Inde colliges, nullam immutationem, quae per motum localem perfici debet, posse naturali virtute fieri in sacramentali, aut alia quavis remota Christi praesentia. Sic exempli causa, Sanguis qui in passione effundebatur vel dividebatur, non fuisset effusus in Sacramento; sputa quae in faciem Domini spuebantur, eam in coelo vel Sacramento non attigissent: tumefactio faciei per alapas, dilaceratio divini Corporis ex flagellis, clavis, lancea, nullatenus foedassent Dominum alibi existentem.

91. 6.° Mutatio qualitatum quae fit in uno loco, puta, calefactio, non potest effici naturali virtute in eodem corpore alibi simul posito. Ad hoc oporteret ut agens posset qualitatem illam longe transmittere, seu tribuere suo effectui praesentiam localem sibi remotam, et quidem sine motu intermedio: atqui id nequeunt efficere naturalia agentia. Pro sacramentali autem praesentia est alia peculiaris ratio: nam omnes qualitates Corporis Domini habent in Sacramento praesentiam, seu situm miraculosum: ergo naturali virtute fieri nequit, quod alteratio in Corpore Christi facta extra Sacramentum, fiat quoque in ipso Sacramento: causa enim naturalis solum efficit effectum extensum in subjecto extenso.

92. 7.° Si fieret augmentum vel diminutio Corporis Christi in propria forma existentis, non necessario fieret etiam in Sacramento, vel alibi existenti. Augmentum enim exigit conjunctionem nutrimenti, diminutio autem separationem substantiae: sed materia quae hic adjungitur, non est alibi, nisi miraculose transferatur; quae hic disjungitur, nequit alibi disjungi, nisi corruptiva vel generativa virtus ibi miraculose se porrigat: secluso ergo novo miraculo, talis mutatio substantialis non afficiet Christum in Sacramento. Sit exemplum: si lumen aliquod Romae simul et Bethlehem existeret, et Romae, adjuncto oleo vel stuppa, cresceret flamma, non ideo cresceret in Bethlehem, cum talis materia comburenda ibi non existat: e contra, si flamma, subtracto oleo, partim extingueretur Romae, non inde decresceret in Bethlehem, quia virtus causae ibi non pervenit. Praeterea ex supernaturali Christi in Sacramento praesentia, eruitur specialis ratio, quam supra notavimus, ne ab ulla possit naturali causa immutari: exigit enim virtutem supernaturalem effectus supernaturalis.

93. 8.° Si eveniat mors seu corruptio corpori in uno loco, non est necessum corrumpi etiam in alio, si insit. a) Quia quod diximus (n. praec.) de partiali corruptione, probat etiam pro totali. b) Quia saepe evenit corruptio et mors propter divisionem conti-

nui, puta, capitis truncationem, sanguinis effusionem etc., et semper accidit praevia aliqua alteratione: atqui, ut vidimus, utraque mutatio erga idem corpus potest in uno loco fieri, non autem in alio. Confirm. exemplo naturali. Anima in manu est unita materiae ab ea distinctae, cui est unita in capite: ex quo patet, quod posset in uno loco uniri huic corpori, et in alio alteri, dissolvi et mori in uno loco, et non in alio: ergo si in diversis locis esset unita anima eidem materiae seu corpori, posset ab eodem dissolvi hic et non alibi. Aliter potest hoc declarari. Etenim quemadmodum eadem anima informat distinctas materias, non elucet repugnantia quod etiam eadem materia informetur, in distinctis locis posita, per diversas formas, vel etiam per eamdem formam: sed si informaretur a diversis formis, posset dissolvi in uno loco et non in alio: ergo a pari, si ab eadem utrobique informetur forma, poterit hic corrumpi, non autem alibi.

94. 9.° Quoad mutationes actuum vitalium aliter sentiendum. Cum procedant ab intrinseco, eosdem poterit homo naturaliter habere, etiamsi in pluribus simul existat locis, dummodo concursus non desideretur objectivus. Unde quod vult Christus D. in coelo, et vult in Sacramento: et similiter quod intelligit in uno loco, in omnibus intelligit. Quoad sensationes autem, cum pendeant a propinquitate objecti, ejusque influxu, non potest Christus naturaliter easdem sensationes habere in Sacramento, quas habet in propria existens specie; tum quia in statu sacramentali externa objecta Christum afficere non possunt, tum quia in eo statu quidquid recipitur, modo supernaturali recipitur, et ideo actionem postulat supernaturalem.

Congruum tamen videtur, ut habeat Christus in Sacramento easdem sensuum affectiones, quas in coelo elicit; non quidem ex immediata objectorum actione, sed per concomitantiam. Utrum autem supernaturali modo, oculis videat, aliisque percipiat sensibus in Sacramento objecta quae circumstant, disputant AA. Ratio dubitandi est, quod species sensiles quid materiale et extensum esse, et in organo recipi extenso debent.

Verum supra diximus (1), manere in Sacramento quantitatem Corporis Christi, et extensionem in ordine ad se, et posse unum quantitatis effectum permitti, dum alius impeditur. Potest ergo Christus permittere, ut externae rerum sensibilium species, concurrente organorum sentiendi quantitate, imprimantur, et fiat sensatio. Tunc sane sensatio non erit extensa in ordine ad locum, sed habebit omnem proportionem in ordine ad se, sicut ipsum sentien-

(1) Cap. I, Thes. V, n. 68; Thes. VI, nn. 77, 78.

di organum, et ita objectum perfecte referet: forsan longe perfectius quam si foret extensa in ordine ad locum; quia nullo alieno tunc impeditur influxu.

95. 10.° Apud agiographos miracula eucharistica non raro leguntur; quod ex. gr. visus fuerit Christus in Eucharistia in forma pueri vel alio modo. Censent nonnulli, quamdam esse umbram, non veram et realem Christi formam. Non negandum sane, posse esse solam umbratilem imaginem; sed tamen concedendum etiam, posse esse id, quod videtur, realem Christi Personam. Potest enim effectum hunc quantitati suae corporeae permittere, ut extendatur sub iis limitibus formae pueri convenientibus. Nec inde sequitur, tunc non existere Sacramentum; quia possunt simul manere species, et sub ipsis Corpus Christi. Neque opus est ad esse sacramentale, ut actu videantur species, sed sufficit esse visibiles, licet casu aliquo non videantur.

Nonnumquam etiam Sanguinem e Sacramento effusum fuisse testantur aliquae historiae, imo et Corporalia eodem madefacta et intincta fuisse, quae proinde venerationi fidelium exponuntur. Primum dubitari potest, utrum verus Sanguis, e venis fluens Christi, ille fuerit, vel sola illius miraculose efformata imago. Quod sit realis et verus Christi Sanguis populus fidelis pie credere solet, et cultum latriae tamquam divino cruori impendit, praelatis consentientibus et adprobantibus. Aliunde videri poterit parum probabile e corpore inmortali et incorruptibili effundi sanguinem, exsiccari et quodammodo corrumpi, et adhaerere sacris linteis impressum per secula.

In primis concedi potest, non esse nisi imaginem veri Christi Sanguinis divina virtute efformatam ad veritatem Sacramenti confirmandam. Nec obstat quod eidem latriae cultus tribuatur; quia est cultus relativus, quemadmodum et cruces omnes coluntur, quia referunt verae Crucis imaginem. Deinde dicendum quoque, ipsum sacrum Sanguinem posse per replicatam et multiplicem ejusdem praesentiam, quin a venis Christi recedat, visibiliter effundi et hominibus apparere. Ex superius traditis elucet, nullam in hoc esse repugnantiam.

Secundo quaeritur, quid censendum de Sanguine, qui ostenditur inhaerens et a remotis temporibus perseverans in aliquo linteo vel altari. Si de sanguine corrupto sermo sit, qui, nempe, non propriam Sanguinis speciem referat, sed remotam aliquam cum eo analogiam, dicendum non esse verum Christi Sanguinem. Nam Scriptura testatur: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (1): et alibi (2): David dicit in

(1) Rom. VI, 9.—(2) Act. II, 25, 27, 31.

eum *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem... Neque Caro ejus vidit corruptionem.* Oportet ergo vestigia illa sanguinea, de quibus agitur, vel solam esse imaginem Dominici Sanguinis, vel ad summum, quaedam esse accidentia, quae Sanguis Domini, cum primum apparuit, sibi copulavit et deinde reliquit, ut sacra forent memoria ac similitudo ipsius in posterum.

CAPUT II.

De effectibus sanctissimae Eucharistiae.

ARTICULUS I.

De gratia quam causat sacra Eucharistia.

THESIS VII.

Eucharistia auget gratiam; unde per se non est instituta ad illam primo causandam.

96. Propositio est fide certa.

I.ª Pars. prob. 1.° Trident. (1) docet: «Sumi voluit Sacra»mentum tamquam spiritualem animarum cibum quo alantur et »confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et »ipse vivet propter me:»* Deinde ait: «Paterno affectu admonet »S. Synodus... haec sacra mysteria Corporis et Sanguinis »ejus ea animi devotione venerentur, ut panem illum supersubs»tantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae »vita, et perpetua mentis sanitas; cujus vigore confortati, ad coe»lestem patriam pervenire valeant.» Florent. Conc. (2): «Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumen»tis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo »Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, »quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: »omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam »agunt corporalem, sustendando, augendo, reparando et delectan–

(1) Sess. XIII. cap. 2 et 8.—(2) Decr. pro *Arm.*

»do, hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo, ut inquit Ur»banus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a »malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratia»rum proficimus incrementum.»

2.° Verba Scripturae sunt aperta: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et Ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (1).

97. 3.° S. Cyrillus. Hierosoly. (2): «Si Christiferi effi»cimur, Corpore ejus et Sanguine in nostra membra distributo, sic »juxta B. Petrum divinae reddimur consortes naturae.» Chry»sostomus (3): «Quis pastor propriis suis membris nutrit oves? »et quid dico, pastor? matres saepe sunt, quae post partus dolores »tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus. »sed ipse nos nutrit proprio Sanguine, et per omnia nos sibi ipsi »conjungit.»

Priorem hanc partem confirmant quae supra dicta sunt de efficacia Sacramentorum *Novae Legis*.

98. II.ª Pars. prob. 1.° Trident. (4) decernit: «Ne tantum »Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem »sumatur; statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis, quos »conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se con»tritos existiment, habita copia confessarii, necessario praemitten»dam esse confessionem sacramentalem.»

2.° Apostolus aperte docet munda tantum conscientia posse recipi Eucharistiam (5): *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

99. 3.° S. Justinus (6): «Alimentum hoc... nulli alii par»ticipare licitum est, quam abluto lavacro propter remissionem »peccatorum et regenerationem, et ita ut Christus tradidit viventi.» S. Cyprianus (7) arguit quod Eucharistia detur. «Nondum »poenitentia acta, nondum exomologesi facta; cum scriptum sit: »qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus, etc.» S. Ambrosius (8): «Ubique igitur ordo mysterii servatur, ut »prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur;

---

(1) Joan. VI, 56-58.—(2) *Catech.* 4.—(3) Hom. in Matth, 82.—(4) Sess. XIII, can. 11.—(5) I Cor. XI, 27-29. - (6) Apolog. 2.ª versus finem.—(7) Ep. 46. —(8) In Luc. l. 6, ad c. 9.

»post alimonia mensae coelestis exuberet.» Augustinus (1): «Multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur: Panem ergo »coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare appor- »tate.»

100. 4.° Ipsa Sacramenti hujus natura ostendit veritatem totius theseos. Cibus enim non primam confert vitam, sed fovet et nutrit; neque bonum afferre potest, nisi sumens vivat. Iam vero ait Dominus: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.*

Obj. 1.° Christus asseruit in coena, Sanguinem suum dare in *remissionem peccatorum.* Ergo confert etiam primam gratiam.

Resp. Nego *ant.* vel explico: non dixit illum dare in remissionem peccatorum: sed, quod Sanguis ille, quem porrigebat, effunderetur in remissionem peccatorum, scilicet in passione.

Obj. 2.° Florentinum (2) docet: «Effectus hujus Sacramen- »ti est adunatio hominis ad Christum.» Sed ad hoc oportet ut remittat peccata; ergo.

Resp. Dist. seu explico *maj.* Est adunatio, id est, major et intimior unio: conc. Prima unio; nego. Vide integram concilii sententiam in prima parte theseos.

THESIS VIII

Eucharistia potest per accidens primam causare gratiam, seu remissionem peccatorum.

101. **Nota.** I. Hanc sententiam tuentur D. Thomas, S. Antoninus, Suarez, Valentia, Arriaga, etc. Oppositam autem sequuntur S. Bonavent., Vazquez, Lugo, etc.

II. Tunc accidit per Eucharistiam remitti mortalia, cum qui obliviscitur peccati admissi, et existimat esse in gratia, ac cum sola attritione peccata omnia detestans, Sacramentum sumit.

Prob. 1.° S. Cyrillus Alex. (3) dicit de hoc Sacramento: «Non mortem solum, sed morbos omnes depellit.» Et S. Damascenus (4): «Corpus et Sanguis Christi... eam vim habet, ut »spurcitiem omnem abstergat.»

2.° Ex Tridentino deduci videtur (5): «Si quis dixerit vel »praecipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccato- »rum, vel ex eo non alios fructus provenire; anath. sit.» Christus etiam dixit absolute (6): *Panis enim Dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo:* et iterum (v. 52): *Panis quem ego dabo, caro*

---

(1) In Joan. Trac. 26.—(2) Decr. *pro Arm.*—(3) In Joan. L. 4, c. 17.—(4) *De Fide,* l. 4, c. 14.—(5) Sess. XIII, can. 5.—(6) Joan. VI, 33.

mea est pro mundi vita. Iam vero plus est dare vitam et magis proprie datur ipsa, si non habenti etiam detur. Ergo cum panis eucharisticus det vitam simpliciter, non est negandum dare aliquando, licet per accidens, non habenti vitam, seu peccatori.

3.° Ne eadem repetantur, vide supra Disq. I, Thes. XX, n. 162.

102. Obj. 1.° Christus instituit Eucharistiam tamquam spiritualem cibum: ergo non intendit nisi vitam dare nutritivam, seu gratiae augmentum.

Resp. Dist. *conseq.* Non intendit *primario* nisi... conc. *Secundario*, seu hypothetice; nego. Nam omnino non assimilatur aliis cibis: est enim Eucharistia *panis vivus* ipsius vitae continens Auctorem.

Obj. 2.° Sola ignorantia nullam confert dispositionem: ergo etiam sciens se solum esse attritum, poterit assequi fructum Sacramenti.

Resp. Dist. *ant.* Non confert dispositionem positivam; conc. Negativam; nego. Nam qui sciens se tantum attritum accipit Eucharistiam, actu peccat; ideoque est positive indispositus et impediens gratiam: hanc indispositionem excludit ignorantia, seu bona fides; attritio autem excludit peccati affectum, et convertit ad Deum, licet imperfecte. Haec ergo conversio imperfecta, accedente bona fide, omne positivum aufert impedimentum, et inde *panis vivus*, qui *dat vitam mundo*, resuscitat animam peccato mortuam.

SCHOLIA

De aliis effectibus divinissimi hujus convivii.

I. Eucharistia delet venialia peccata.

103. In *Catechismo* Conc. Tridentini (n. 53) ut certa traditur doctrina: «Remitti Eucharistia et condonari leviora pecca»ta, quae venialia dici solent, non est quod dubitetur.» Et quidem sat perspicue docuit ipsum Conc. Trid. (1) dicens, esse «An»tidotum, quo liberamur a culpis quotidianis et a mortalibus prae»servamur.» Innocentius III (2) ait: «Venialia delet, cavet »mortalia.» Vide D. Thomam, (p. 3, q. 79, a. 4).

Quomodo autem fiat haec remissio, censet Suarez, cum aliis pluribus, remitti *ex opere operato* ea venialia, quorum non habetur complacentia: alia autem eatenus remittuntur, quatenus excitatur fervor charitatis, cujus actibus conceditur venialium condonatio.

---

(1) Sess. XIII, c. 2.—(2) L. 4, de *Myst. Mis.* c. 44.

II. Alius effectus Eucharistiae est remissio poenae peccatis debitae.

104. Verum cum duplici ratione operetur, tum ut Sacramentum, tum ut Sacrificium; poenas quidem ex opere operato delet, quatenus Sacrificium existit, ut postea dicetur ut Sacramentum autem, ex opere operantis tantum, quia actus illi quibus suscipitur, et qui conceptum fervorem consequuntur, satisfactorii sunt. Ejusmodi adplicantur satisfactiones, cum quis pro animabus quae igne expiantur communionem offert. Ita Suarezius ex mente D. Thomae, et alii plures AA.

III. Praeservat Eucharista a mortalibus.

105. Id docet Trident. cum Innocentio III, ut diximus in Schol. I.

Hic autem effectus procedit: 1.° ex abundantia gratiae, ut notavit Chrysostomus (1): «Ab illa mensa recedamus tamquam »leones ignem spirantes, diabolo terribiles... Hic sanguis animae »nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nu»trit... et magnam vim indit. Hic sanguis digne acceptus daemo»nes procul pellit. Angelos ad nos advocat, ipsumque Angelorum »Dominum.» 2.° Ex dulcedine qua inebriat animam: inde enim fastidiunt vitia. 3.° Quia fugat tentatorem, ut supra dixit S. Chrysost. Damascenus autem (2) ait: «Illis qui cum fide digne »suscipiunt, in remissionem peccatorum et vitam aeternam cedit, »nec non animae corporisque praesidium.» 4.° Quia tamquam ignis «comburit peccata nostra et corda illuminat ut inardescamus et »in Deos evadamus», ut ait (ibi) Damascenus. Atqui lumine divino facilius fugantur tentationum tenebrae et declinamus a barathro peccatorum.

IV. S. Eucharistia praeservat potissimum a peccatis concupiscentiae.

106. Ita docent D. Thomas, Suarez, Lugo, etc. Constat ex doctrina *Catechismi*. Conc. Trid. (3): «Sed carnis etiam »libidinem cohibet ac reprimit.» S. Bernardus quoque (4): «Quis poterit tam efferos motus frangere?... Confidite: sacramenti »dominici Corporis et Sanguinis pretiosi instituturam habetis.» Et S. Cyrillus (5) ait: «Eulogiae particeps fias, credens eam non »mortis solum, verum etiam morborum depellendorum vi pollere: »Christus enim existens in nobis sopit saevientem in nostris mem»bris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbatio-

(1) In Joan. hom. 46, a. 45.—(2) L. 4, c. 13, *de Fide*.—(3) De *Euchar*. n. 53.—(4) Sermo de *Coena Dom*.—(5) In Joan. l. 4, c. 2.

»nem mortificat, delicta in quibus sumus non imputans. sed potius »ut aegrotos sanans.»

Si autem quaeras, quomodo Eucharistia tantum praestet bonum? 1.° Sanando corporis temperamentum quo foedi motus sensuum foventur. 2.° Illuminando mentem, quo lumine cogitationes bonae excitantur, malae arcentur. 3.° Augendo charitatem; nam, ut ait Augustinus (1): «Augmentum charitatis est diminutio cupidi»tatis.»

Ex ipsa Eucharistiae natura profluit haec proprietas. Cibus enim salutaris in corpore sanos creat humores, corruptos eliminat, et facultatum tum corporis, tum animi usum expeditum efficit. Nam quod cibus corporeus vitae naturali, id praestat cibus coelestis vitae supernaturali; atqui concupiscentia est quaedam mentis aegritudo et perturbatio qua vitae spiritualis impeditur exercitium; ergo huic malo concupiscentiae pharmacum existit S. Eucharistia.

V. Cibus eucharisticus transformat nos in Christum.

107. Unde dicit Trident. Concil. (2): «Eucharistiam ci»bum quo viventes vita Christi alantur et confortentur:» quod illis confirmat Domini verbis: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me:* (3) *Catechismus* ejusdem Conc. idem cum Augustino docet: Non enim hoc Sacramentum in substantiam nostram mutatur, sed nos quodam modo in ejus naturam convertimur, ut recte illud Augustini ad hunc locum transferri possit: «Cibus »sum grandium; crede et manducabis me: nec tu me mutabis in te. »sicut cibus carnis tuae; sed tu mutaberis in me (4).» Et Damascenus: «Per illud vero (Sacramentum) purgati, cum Domini »corpore et spiritu ipsius unimur, et Christi corpus efficimur.» Plures alios leges apud Suarezium (5) Patres id confirmantes.

---

(1) L. 88, Quaest. 36.—(2) Sess. XIII, c. 2.—(3) Joan. VI, 58.—(4) L. 4, c. 13. De Euchar. n. 48.—(5) Disp. 64, sec 3.

ARTICULUS II.

De communione sub una tantum specie.

THESIS IX.

In communione sub una specie, eadem gratia per se suscipi videtur ac in communione sub utraque: tamen si sumpta una specie major fuerit dispositio ad sumendam alteram, accipietur uberior gratiae fructus.

108. **Nota.** I.ª sententia dicit communicantem in utraque specie non recipere majorem gratiam. Ita cum D. Thoma et Bellarmino alii AA.

II.ª autem tenet, suscipiendo utramque speciem, et uberiorem recipi gratiam. Ita Vazquez, Lugo, etc. Blanco Archiep. Compostell... qui interfuit Concilio Tridentino, asserit, hanc fuisse mentem et sententiam unanimem Patrum Concilii, ut tradit Enriquez (1).

III.ª quae videtur priores conciliare, affirmat etiam, si post communionem sub una specie sit major dispositio ad alteram. Sic Suarez., Dicast., Munies., Marin, etc.

109. I.ª Pars probatur. Cum de voluntate Christi, e qua omnis efficacia procedit sacramentorum non constet, judicanda est quaestio haec secundum intrinsecam congruentiam ad sanctificandum quae inest speciebus sacramentalibus, simul vel singillatim sumptis. Atqui non est congruentius, ut plus duae species quam una sola sanctificent: ergo. *Min.* prob. Una sola species est infinite congrua ad sanctificandum. Sed major congruitas quam infinita dari nequit: ergo non est congruentius... *Major* patet. Nam sub specie panis est Corpus Dei Verbi, id est, infinite sanctum: sub specie vini autem est divinus Sanguis; concomitanter autem sub utraque totus Christus, Homo-Deus: «Fatendum esse ait Trid. (2), etiam »sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verum»que sacramentum sumi.»

Dices: perfectius significant spiritualem effectum ambae species

---

(1) L. 8, *De Euchar*, c. 44.—(2) Ses. XXI, c. 3.

Sacramenti, quam una tantum: sicut plenius praebent alimentum cibus et potus simul, quam sejunctim. Atqui sacramenta efficiunt quod significant: ergo.

Resp. 1.° Nego paritatem in *majori*. Cum enim cibus et potus corporalis vim alendi habeant limitatam, invicem se complent et perficiunt; quod, ut diximus, non contingit in convivio sacramentali.

Resp. 2.° Dist. *maj*. Perfectius significant, explicite, seu perfectione attingente modum significandi: conc. Implicite, seu perfectione attingente rem significatam: nego. Sic perfectius significat baptismus per immersionem, qua baptizatus sepelitur sub aqua, quam per aspersionem, qua guttulae aliquae faciem attingunt tantum: tamen effectus et res significata unum et idem sunt.

110. II.ª Pars. prob. 1.° Clemens VI concessit Regi Galliae communionem sub utraque specie: in Bulla autem concessionis dixit, id ei concedere *ad augmentum gratiae:* ergo saltem quando secunda species majori suscipitur dispositione, major quoque suscipitur gratia.

2.° Suscipiens secundam speciem vere suscipit Eucharistiam. Atqui melius disposito majorem causant sacramenta gratiam (1): ergo.

3.° Trident. Conc. (2) ait: «Quod ad fructum attinet, nul»la gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.» Videtur ergo innuere, sensisse Patres (quod supra, Nota II.ª dictum est) quod defraudentur aliqua gratia non necessaria: ergo saltem cum major adhibetur dispositio, recipitur major gratia cum secunda sumitur species.

Dices: D. Thomas ait (3): «Potest a populo Corpus sine San»guine sumi, nec exinde sequitur aliquod detrimentum; quia sub »utraque specie totus Christus continetur.»

Resp. 1.° Ex Trident. intelligendum quod dicit D. Thomas: nempe «*detrimentum* gratiae necessariae ad salutem.»

2.° Non sequitur aliquod detrimentum, *per se* loquendo, seu eadem supposita dispositione.

111. **Corollaria.** I. Major iste fructus in communione sub utraque specie non procedit praecise ex diversitate speciei sacramentalis; sed ex eo quod, crescente dispositione, fiat distincta *virtualiter* communio.

II. Licet dispositio ad communicandum sub alia specie non evadat actu intensior, sed fuerit uti prius, libere tamen continuata,

---

(1) Disq. I, Thes. IV.—(2) Ses. XXI, c. 3. — (3) 3. p. q. 80, a. 12, ad 3.

sufficiet ad augmentum gratiae. Nam talis dispositio est novum meritum majori ornatum sanctificante gratia: ergo et melior dispositio quam prior.

SCHOLIA.

Nonnullae quaestiones ad Eucharistiae efficientiam respicientes.

112. I. Communis tenet sententia contra paucos, cibum Eucharisticum et potum causare effectum eo instanti quo deglutitur, non cum ore suscipitur. Ita Sotus, Suarez, Lugo, etc.

Ratio est: quia Eucharistia a Christo instituta est ad modum cibi et potus: *Qui manducat me, vivet propter me... Nisi manducaveritis et biberitis, etc.* Jam vero manducatio et potatio, ex communi sensu, non perficitur manu aut ore solum quidquam capiendo, sed deglutiendo et in stomachum cibum mittendo. Unde eo instanti quo prima particula vel pars specierum sacramentalium eo modo sumitur, suscipitur Sacramentum et ejus effectus.

113. II. Dum autem incorruptae in stomacho perseverant species sacrae, produci ex opere operato augmentum gratiae, docet Cajetanus cum aliis. Auctores tamen plurimi ejusmodi gratiae incrementum fieri censent ea conditione, quod subjectum ad eam se disponat: ita Suarezius, Lugo, Gonet, etc. Quo pacto autem ejusmodi perficiatur dispositio, ex dictis in Thesi facile intelligetur. Alii denique Theologi negant fieri gratiae augmentum, etiamsi crescat dispositio: id censent Valentia, Vazquez, etc.

Secunda sententia magis probanda. Videtur enim non esse negandam cibo spirituali, panique coelesti, efficaciam, quae in corporeo habetur cibo: ut enim docuit Florentinum (1). «Om»nem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt »corporalem, sustentando reparando et delectando, Sacramentum »hoc quoad vitam operatur spiritualem.» Et quidem videtur hoc tanti Sacramenti dignitati valde congruum: continet enim Christum fontem aquae vivae, lucem veram; si ergo vas disponatur et dilatetur, magis implebitur; et mens plus irradiabitur, si ad solem appropinquet justitiae.

114. Dices: manducanti et bibenti Sacramentum promissa est gratia; *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem habet vitam aeternam* (2).

Resp. Explico, seu distinguo; manducanti et bibenti *exclusive*, quasi in eo actu tota expleatur sacramentalis significatio et virtus;

---

(1) Decret. Eugen. *pro Arm.*—(2) Joann. VI, 55.

nego. Quatenus manducando ac bibendo inchoatur sacramentalis actio; conc. Nam hoc Sacramentum, ad modum convivii, est symbolum unionis cum Christo, qui est *panis Dei, dans vitam mundo* (1). Unio autem cibi cum corpore licet ore inchoetur, non tamen in ore perficitur, sed dum permanet in stomacho; ergo significatio sacramentalis perseverat etiam in ipsa permanentia Sacramenti in stomacho; imo et hanc permanentiam, non formalem manducationem solam, esse significativam et ideo sacramentalem, explicite declaravit Christus: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in eo* (2).

CAPUT III.

De natura Eucharistiae.

ARTICULUS I

De constitutione Eucharistiae.

THESIS X.

Sacra Eucharistia est Novae Legis Sacramentum.

115. Prob. 1.° Trident. (3), explicite definivit, inter septem sacramenta adnumerari Eucharistiam. Deinde patet ex tota Sess. XIII. Idem docuit Later. Conc. in cap. *firmiter:* et Florent., Decret. *pro Armenis.*

2.° Conc. Carthag. II (vulgo III), c. 24, decernit: «Ut in «sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur...» etc.

3.° Sacramentum est signum sensibile rei sacrae ad sanctificandos homines a Christo institutum. Atqui Eucharistia: a) est signum sensibile: b) Corporis et Sanguinis Christi, et vitae spiritualis; c) sanctificat suscipientes; d) et est a Christo institutum: ergo.

---

(1) Joann. VI, 33.—(2) Ibid. 57.—(3) Ses. VII, can. 1.

4.° Optimam rationem hujus sacramenti exponit D. Thomas (1): «Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum »homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali »conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem ge»runt. Manifestum est autem quod sicut ad vitam corporalem re»quiritur generatio... ita etiam requiritur alimentum quo homo »conservatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit »esse Baptismum... ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, »quod est spirituale alimentum.»

116. Obj. Confirmationis sacramentum confert robur et perfectionem spiritualis vitae. Sed idem effectus ab Eucharistia causatur: ergo si Eucharistia sit sacramentum, ad eumdem effectum duo inutiliter ordinantur sacramenta.

Resp. Dist. *min.* Idem effectus adaequate; nego. Inadaequate; concedo *min.* Nam quidem utroque sacramento robur aliquod spirituale confertur: at per Eucharistiam ad modum reparationis et incrementi ab extrinseco provenientis et ideo hoc sacramentum indefinite iteratur; per Confirmationem autem roboramur ad modum vitalium virium quae ab intrinseco evolvuntur et ad certum limitem dilatari possunt. In vita enim corporea, ad cujus similitudinem conferre Christus voluit vitam coelestem, ejusmodi duplex vitalis incrementi existit principium.

THESIS XI.

Corpus et Sanguis Christi constituunt intrinsece sacramentum Eucharistiae, non indirecte, seu in obliquo tantum, sed in recto.

117. **Nota.** Aliqui AA. putarunt consistere intrinsece Eucharistiam in speciebus sacramentalibus; Christum autem extrinsece tantum et in obliquo, seu ut significatum per species, pertinere ad sacramentum. Ita Sotus et Gonet, qui ait esse communem thomistarum opinionem. Thesim autem tuemur cum Valentia, Suarez, Vazquez, Lugo, Fr. Sylvio, etc.

118. Prob. Propositiones non sunt verae, nisi praedicatum sit idem in recto cum subjecto, ut supponimus ex logica: sic nix est alba, non tamen est albedo, quia id, quod *album* significat in recto, identificatur cum nive, non autem albedo, quam album significat in obliquo. Atqui Corpus et Sanguis Christi, eorumque attributa affirmantur vere de Eucharistiae sacramento; ergo identificantur cum ipso, et quidem in recto.

---

(1) 3 p. q. 73 a. 1.

Minor patet, multis fidei vel Patrum locutionibus. 1.° Tridentinum docet (1): Ecclesiam catholicam «Latriae cultum, qui vero »Deo debetur, huic Sacramento in veneratione adhibere.» Deinde explicat, quam sit praecelsum et venerabile hoc Sacramentum: quia Christus est Deus, adoratus ab Angelis, a Magis, ab Apostolis. Ergo Eucharistiae sacramentum est idem cum Christo directe, et non tantum in obliquo. Et cap. 8, vocat Eucharistiam «Panem »supersubstantialem, vitam animae, sanitatem mentis, etc.»

2.° Christus absolute dixit: *Panis, quem ego dabo, Caro mea est;* Ubi *panis*, seu sacramentum, idem esse cum carne asseritur.

3.° Iustinus (2): «Alimoniam, quae apud nos vocatur Eucha»ristia, incausati illius Carnem et Sanguinem esse sumus edocti.» Et Irenaeus (3): «Fateri necesse est, Eucharistiam esse Carnem »Filii Dei.» Ita passim loquuntur PP. de hoc Sacramento. Ambrosius (4): «Ante consecrationem aliud dicitur: post consecra»tionem Sanguis nuncupatur: et tu dicis, amen; hoc est, verum »est.» Innocentius III (5) ait: «Corpus Christi esse sacra»mentum et rem» simul; ergo constat sacramentum intrinsece et directe Corpore Christi.

119. Obj. 1.° Sacramentum est signum sensibile; sed Christus non est sensibilis: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Est sensibile secundum omnia constitutiva; nego. Secundum aliqua; conc. Sic dolor in poenitentiae sacramento non est per se sensibilis: verborum significatio est intelligibilis, non autem sensibilis.

Obj. 2.° Corpus Christi est res sacramenti, ideoque effectus sacramenti. Sed repugnat effectum constituere suam causam: ergo Corpus Christi non constituit sacramentum.

Resp, Dist. *maj.* Est effectus sacramenti adaequate sumpti; nego. Secundum partem accepti; conc. Ad *minorem* eodem modo distinguas. Effectum constituere suam causam adaequate, repugnat; conc. Aliter; nego. Exemplum habes hujus causalitatis in partibus corporis, quae virtute animae vegetativae accedunt et eidem assimilantur.

Obj. 3.° In *Catechis.* Conc. Trid. (n. 8, *de Euchar.*) dicitur: Corpus et Sanguinem Christi minus proprie dici sacramentum; «ipsae autem species veram et absolutam hujus nominis ra»tionem habent.»

Resp. Dist. Minus proprie, ratione sensibilitatis, quatenus illam ex se non habent Corpus et Sanguis Christi; conc. In ordine ad ip-

---

(1) Ses. XIII, c. 5.—(2) *Apolog.* 2.ª—(3) L. 4, c. 34.—(4) *De myst.* c. 9.—(5) Cap. *cum Marthae. De Celebr. Mis.*

sum sacramentum; nego. Sicut Corpus Christi, ut sit sacramentum (sensibile nempe), conjungi debet cum speciebus; ita, ut adversarii AA. fatentur, species debent esse conjunctae cum Corpore Christi. Proprie autem Corpus et Sanguinem Christi dici etiam sacramentum non est dubitandum, dicente Florentino: sacramentum hoc *confici* verbis Sacerdotis; in Decret. *pro Armenis*.

THESIS XII

Species constituunt etiam intrinsece Eucharistiae sacramentum, et in recto per sacramentum significantur.

120. **Nota**. Nonnulli theologi putant Eucharistiam constitui intrinsece solo Corpore et Sanguine Christi; species autem esse quasi connotatum seu terminum extrinsecum. Alii autem AA., ut Lugo, Estius, Sylvius etc., censent, etiam species esse intrinsece constitutivas Eucharistiae, sed significari solum in obliquo. Thesim nostram tenent Suarez, Vazquez, Valentia, etc.

Prob. 1.° Innocentius III (ibid. ut in Thes. XI) ait: «Spe»cies esse sacramentum tantum:» sed in aliis sacramentis id quod est et dicitur sacramentum tantum, constituit directe sacramentum: ergo. Item S. Irenaeus (ibid.) docet: «Eucharistiam »duabus rebus constare, terrena et coelesti.»

2.° In *Catec.* Conc. Trid. (n. 8.) dicitur, habere species «ab»solutam et veram rationem sacramenti.» Ergo non minus ad Eucharistiae pertinent sacramentum quam Corpus Christi. Etiam D. Thomas (1): «Ex speciebus et Corpore Christi fit unum sa»cramentum.»

3.° Sacramentum est essentialiter et in recto signum sensibile. Sed Eucharistia est sacramentum physice permanens, et nihil permanet physice sensibile nisi species: ergo species pertinent intrinsece et in recto etc. Confir. Dicit Trident. (2): «In SSmo. Eu»charistiae sacramento vere... contineri Corpus et Sanguinem Do»mini Nostri Jesu Christi.» Sed proprie non continetur in se ipso, sed sub speciebus: ergo vere et in recto species constituunt sacramentum saltem inadaequate.

121. Obj. 1.° Eucharistia absolute adoratur cultu latriae. Sed species non ita adorari queunt: ergo non constituunt Eucharistiam.

Resp. Dist. *maj*. Sacramentum Eucharistiae, adaequate sump-

---

(1) 4 Dist. 8, q. unic. a. 1, ad. 2.—(2) Sess. XIII, can. 1.

tum, adoratur... conc. Inadaequate, seu ratione cujusvis constitutivi; nego *maj*. Et dist. *min*. Species non adorantur culto absoluto latriae; conc. *min*. Cultu relativo; nego.

Obj. 2.° Species non sunt materia neque forma Eucharistiae: ergo non constituunt intrinsece.

Resp. Dist. *ant*. Non sunt materia remota; conc. Materia proxima; nego.

Obj. 3.° Eucharistia conficitur verbis Sacerdotis, ut docet Florentinum. Sed solum conficitur Corpus et Sanguis Christi; ergo. Resp. Dist. seu explico *maj*. Conficitur formaliter; conc. Effective; subd. Quoad primarium constitutivum; conc. Secundum omnia intrinseca; nego *maj*. Et subd. *min*. Solum efficitur Corpus Christi efficienter; conc. Formaliter; nego *min*. Verba enim uti forma afficiunt non tantum Corpus Christi, sed etiam species.

Obj. 4.° Species non sunt cibus animae: atqui Eucharistiae sacramentum est cibus verus spiritualis; ergo.

Resp. Dist. *maj*. Species materialiter, seu nude sumptae, non sunt cibus; conc., Simul cum aliis constitutivis; nego. Nam simul cum Christi Corpore et verbis significant practice gratiam et animae refectionem.

THESIS XIII.

Verba consecrationis intrinsece constituunt Eucharistiae sacramentum, non vero actio transubstantiativa.

122. **Nota**. Partem primam negant Vazquez, Gonet et alii plures: eam autem defendimus cum Suarez, Valentia, Lugo, etc. Lugo cum aliis, quos laudat, AA. dicit, actionem qua ponitur Corpus Christi sub speciebus, spectare intrinsece ad sacramentum: Suarez autem, cum communi sententia, id negat.

I.ª Pars probata est, supra Disquis. I. Thes. VII, (pag. 30).

II.ª Pars prob. Actio qua convertitur panis in Corpus Christi, et vinum in Sanguinem, praecedit sacramentum, ut via praecedit terminum. Sed quod praecedit non est constitutivum ejus quod praeceditur; ergo actio etc.

Dices: unio Christi cum speciebus, seu conjunctio et coexistentia in eodem loco, est constitutiva sacramenti. Sed talis unio in eo consistit, quod panis convertitur in Corpus Christi: ergo actione hac conversiva constituitur sacramentum.

Resp. Conc. *maj*. Nam sacramentum hoc in eo consistit, quod Christus est sub speciebus vi verborum, et ideo importat quamdam

unionem Corporis Christi cum speciebus; non quidem quasi species sint in Christo sicut in subjecto; sed quod ita connectuntur, ut ubi sunt species, ibi et existat Corpus Christi.

Nego autem *min.* Non enim idem sunt unio et actio conversiva.

THESIS XIV.

Sumptio, seu usus Eucharistiae, non spectat ad ejus constitutionem intrinsecam.

123. **Nota.** Supra rejecimus haereticorum errorem dicentium, in ipso usu consistere hoc sacramentum, et tunc praesentem esse Christum realiter, vel in figura. In alio sensu quidam DD. catholici dixerunt, sumptionem esse partem sacramenti essentialiter completivam; vel, ut volunt alii, esse partem integrantem; vel ipsam per se distinctum constituere sacramentum transiens.

Prob. In primis nequit usus constituere Eucharistiam quasi *pars essentialis.* Nam Tridentinum docet (1): «peracta consecra»tione, in admirabili Eucharistiae sacramento esse Corpus et San»guinem Domini nostri Jesu Christi, ante et post usum.» Ergo ante usum et post usum nihil deest essentiale ut sit sacramentum. Praeterea docet, Christum in sacramento adorandum, in processionibus circumferendum, populo proponendum, in sacrario asservari, etc. Florentinum etiam docet, confici Eucharistiam verbis sacerdotis: ergo usus non est essentialis.

124. Deinde usus non est *pars integrans* sacramentum. Nam hoc sacramentum institutum est a Christo ad modum cibi et potus: sed nullam perfectionem vel integritatem cibus accipit vel potus per usum, sed perfecti supponuntur in sua natura; ergo. Unde dicit Christus: *Caro mea vere est cibus. Sanguis meus vere est potus.*

Dices: sumptio Eucharistiae est quid sensibile, a Christo institutum; ait enim: *Accipite et comedite:* significat etiam et causat gratiam: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Ergo vel sumptio est sacramentum distinctum, vel saltem spectat intrinsece ad Eucharistiae sacramentum.

Resp. Sumptio causat gratiam, quatenus est conditio ut Eucharistia causet illam; conc. Formaliter, seu per se; nego. Sicut manducatio per se non alit, sed est pura conditio ut cibus alere possit. Hinc legitur in vitis sanctorum, aliquando absque manducatione susceptam miro modo sacram Eucharistiam.

---

(1) Sess. XIII, can. 4 et 6.

ARTICULUS II.

De materia Eucharistiae.

THESIS XV.

Panis et vinum sunt materia remota sacramenti Eucharistiae; panis autem triticeus et vinum de vite.

125. **Nota.** I. Materia sacramentorum communiter distinguitur in proximam et remotam. Proxima est quae propriissime materia dicitur sacramenti, nam illud essentialiter constituit, uti dictum et explicatum est (1). Remota autem, seu extrinseca, illa dicitur circa quam formae verba versantur, quin eidem uniatur ut pars, sed tantum ut subjectum vel quasi objectum. Peccata ex. gr. dicuntur sacramenti Poenitentiae materia, non quia intrinsece eam constituant et cum forma gratiae significandae vim habeant; sed quia ea respicit et attingit forma ut destruantur, seu remittantur.

II. Plurimi haeretici, ut Cataphrigae. Gnostici, Manichaei, Calvinistae, aliique turpissime errarunt, alias ad Eucharistiam inducendo materias.

126. I.ª Pars prob. 1.° Conc. Later. cap. *Firmiter*, docet: «Cujus Corpus et Sanguis in sacramento altaris sub speciebus »panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Cor»pus, et vino in Sanguinem potestate divina.» Et Trid. (2): «Declarat Sancta Synodus, per consecrationem panis et »vini, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam... »et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis... etc.» Idem quoque tradiderat Conc. Carthag. II. (vulgo III), can. 24: «Ut in sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius of»feratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua »mixtum.»

2.° Ex SS. Litteris. S. Marcus (3): *Accepit Jesus* panem... et ait: Sumite, hoc est Corpus meum... *Et accepto calice, ait illis: Hic est Sanguis meus... Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimime vitis, usque...*

---

(1) Disquis. I, Thes. VIII. – (2) Sess. XIII, cap. 4. – (3) XIV, 22-25.

3.° Irenaeus (1): «Quemadmodum lignum vitis... suo fruc»tificat tempore, et granum tritici decidens in terram et dissolu»tum, multiplex surgit; quae deinde percipientia verbum Dei Eu»charistia fiunt, quod est Corpus et Sanguis Christi...» etc. Tertullianus (2): «Acceptum panem, Corpus suum illum fecit... »Ita Sanguinem suum in vino consecravit.»

4.° Congruentes rationes, ut haec materia panis et vini fuerit a Christo adhibita, vide apud D. Th. (3).

127. II. Pars prob. 1.° Panem ex tritico esse materiam, explicite docuit Florent. in Decr. *Union.*: «Definimus, in azymo sive »fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici.» Item in Decreto pro *Armenis:* «Materia est panis triticeus et vinum de »vite.» Et *Carthag. II* (ibid): «Nec amplius in Sacrificiis offeratur, »quam de uvis et frumentis.» Vide etiam Irenaeum hic, in I.ª parte.

2.° Denique ipsa Ecclesiae praxis et traditio est praecipuum hujusce rei argumentum. Hinc *Catechismus* Conc. Trid. ait (4): «Nullus panis, nisi triticeus, apta ad Sacramentum materia putan»dus est; hoc enim apostolica traditio nos docuit, et Ecclesiae Ca»tholicae auctoritas firmavit.» Et inferius: «Altera hujus sacramen»ti materia est vinum ex vitis fructu expressum, cui modicum »aquae permixtum est... Atque hoc ex apostolica traditione perpe»tua Sancta Ecclesia servavit.»

SCHOLIA

§ I.

De usu tum panis azymi, tum fermentati.

128. Tum panis azymus, tum fermentatus, est materia valida ad Eucharistiae sacramentum: at ex praescripto Ecclesiae, sacerdos latinus tenetur uti azymo, graecus autem fermentato. Ita definitur a Florentino in Decreto *Unionis*. Patet quoque ex constanti Ecclesiae sive orientalis sive occidentalis usu.

Tamen ut ostendit D. Thomas (5), convenientior per se est panis azymi usus. 1.° Quia melius refert Corporis Christi puritatem: 2.° Quia signum est etiam puritatis qua Sacramentum est suscipiendum, juxta Apostoli explicationem: *Expurgate vetus*

---

(1) *Contra Haeres.* l. 5, c. 2.—(2) *Adv. Marc.* l. 5, c. 40.—(3) 3 p. q. 74, a. 1. —(4) *De Euchar.* n. 15.—(5) 3 p. q. 74, a. 1.

fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi... Epulemur non in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis (1). 3.° Quia Dominus in azymo pane consecravit, uti patet ex quaest. I, praemit. n. 3.

§ II.

De modica aqua vino miscenda.

129. Modica aqua est cum vino miscenda ad consecrationem. Docuit Florent. Concilium in Decreto *pro Armenis:* «Ma»teria est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem »aqua modicissima admisceri debet.» Ita etiam Conc. Carthag. in I.ª Parte Thes. laudatum testimonium. S. Irenaeus, qui et Orientalis et Occidentalis Ecclesiae optime dignoscebat traditiones, dicit (2): «Quando ergo et *mixtus calix* et fac»tus (aa. fractus) panis percipit verbum Dei, et fit Eucharistia...» S. Cyprianus (3): «Admonitos autem nos scias, ut in calice »offerendo Dominica traditio servetur neque aliud fiat a nobis quam »quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemo»rationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.» S. Iustinus (4): «Diaconi dant unicuique eorum qui adsunt participandum vinum »et aquam, quae cum gratiarum actione consecrata sunt.»

§ III.

Quid fiat de aqua vino mixta post consecrationem.

130. Prima opinio non converti aquam in Sanguinem Christi defendit: sed in aquam vel humorem aqueum, qui fluxit e latere Christi, sentiunt aliqui; vel, ut alii putant, remanere ipsam aquam, post consecrationem, perfusam accidentibus vini. Prius tamen damnatum ab Innocentio III. (cap. *in quadam*, De celeb. mis.) dicit Suarez cum aliis AA.; vel saltem opinionem esse temerariam, alii docent theologi, cum fides doceat, in Sanguinem fieri transubstantiationem. Secundum autem, scilicet, permanere aquam, ut falsum communiter rejicitur.

Secunda sententia est plurimorum cum S. Thoma, Scoto, S. Bonaventura, Suarez, Vazquez, etc. etc.; aquam prius converti in vinum hujus virtute et efficacia; deinde totum vinum in Sanguinem Domini.

---

(1) I Cor. V, 7, 8.—(2) L. 5, c. 2.—(3) Epis. 43, ad *Caecilium*.—(4) Apolog. 2.

Tertia sententia tuetur, aquam immediate in Sanguinem converti. Id multa eruditione defendit Baronius ex SS. Patribus et aliis antiquis Scriptoribus; item Toletus, Salmeron, Lugo, qui late et solide eam defendit (Disp. IV, Sec. 4), et alii multi, ita ut dicatur communis inter recentiores theologos.

Dico. Aqua in consecratione convertitur in Sanguinem Christi.

131. Ita D. Thomas (1): «Haec opinio stare non potest »(aquam permanere): quia in sacramento altaris post consecratio»nem nihil est nisi Corpus et Sanguis Christi. Alioquin non totum »adoraretur veneratione latriae.»

Ex SS. Patribus vide supra (in Schol. II.) Justinum dicentem, aquam et vinum pariter consecrari. Damascenus (2): «Panis, vinum et aqua per invocationem Sancti Spiritus supernatu»raliter transmutantur in Corpus et Sanguinem Christi.» S. Ambrosius (3): «Ergo didicisti, quod ex pane Corpus fiat Christi, et »quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit Sanguis consecra»tione verbi coelestis.» Et iterum: «Ante verba Christi, calix est »vini et aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi San»guis Christi efficitur. Ergo videte, quantis generibus potens est »sermo Christi universa convertere:» nempe, panem, vinum, aquam. Confir. Verba consecratoria efficiunt quod significant, alias falsa existerent: sed pari modo significantur vinum et aqua; de toto enim dicitur quod in calice traditur: *accipite et bibite; hic est enim Sanguis meus, etc.*

132. Quod autem fiat *immediate*, juxta tertiam sententiam, conversio aquae in Christi Sanguinem, hac fulcitur ratione. Supponitur aquam naturaliter in vinum converti vi ipsius vini. Sed hanc vini efficaciam nullatenus docet experientia, saltem quod brevi tempore possit vinum eo modo transmutare aquam: imo experientia potius contrarium docere videtur, adsunt enim media quibus aqua a vino cui est admixta distingui possit ac separari.

Tamen cum pars aliqua aquosa in vino semper existat, non videtur improbabile, posse partem aliquam aquae vino commixtae ita eidem assimilari, ut nihil ab aquoso vini differat elemento. Quod quidem eo facilius eveniet, quo vinum fuerit generosius, et in eo diutius perennet aqua. Quibus perpensis, secunda sententia non caret probabilitate.

133. Obj. 1.° Conc. Flor. (4), dicit: materiam esse vinum de vite, cui modicissima aqua miscenda est: ergo solum vinum,

---

(1) 3 p. q. 74, a. 8.—(2) L. 4, *De fide*, c. 14 (al 13).—(3) *De Sacram.* l. 4, c. 4, n. 13; c. 5, n. 23.—(4) Decr. pro *Arm.*

non vero aqua, est materia, et convertitur in Sanguinem Christi.

Resp. Dist. *conseq.* Solum vinum est materia necessaria; conc. Materia apta; nego. Etenim aqua ex praecepto quidem, non necessitate sacramenti, adhibenda: ut id eluceret, eo modo distinxit vinum ab aqua Florentinum.

Obj. 2.° Catechismus Trident. dicit, ideo modicissimam aquam misceri, quia convertenda est in vinum. Ergo vera est secunda sententia.

Resp. Dist. antec. Ita ut unica ratio sit, quia in vinum convertenda; nego *ant.* Quatenus est quaedam ratio probabilis; conc. Aqua vino in Sacramento mixta populum Christo copulandum et assimilandum refert: «Quando autem, ait Cyprianus (1), in »calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.» Jam vero Christo populus, non populo Christus assimilandus; modica ergo miscenda aqua, ut omnino similitudinem saltem vini induat. Verum quia probabilis est opinio alia, quod in vinum sit aqua convertenda, jure etiam hac de causa, modicissima est miscenda, ne virtus vini evacuetur.

134. 3.° Si aqua immediate in Sanguinem convertitur, voluisse Christum aquam consecrari dicendum est. Ergo aqua est materia necessaria sicut et vinum.

Resp. Dist. *ant.* Voluisse Christum *absolute;* nego. Voluisse *hypothetice*, quatenus aqua vinum usuale comitatur; conc. Christus vinum, uti potum usualem et in coena adhibitum, consecravit, et similiter faciendum praescripsit. Vinum, sive merum, sive aliqualiter mixtum, est potus usualis; unde vinum merum est materia sufficiens pro Sacramento.

Obj. 4.° Trident. Conc. definit manere dumtaxat species panis et vini: ergo non manent species aquae, ideoque in vinum convertitur.

Resp. Dist. *ant.* Nomine vini, intelligendo vinum merum; nego. Vinum usuale; conc. Usus enim non tantum vinum merum, sed et aliquantulum mixtum, vinum simpliciter vocat. Praeterea canon ille haeresim configebat quae substantiam vini manere docebat: vox ergo illa, *dumtaxat*, erat exclusiva substantiae cujusvis, non vero specierum fortasse aliquarum aquae.

Obj. 5.° Aquam e vino separari dicitur possibile: si ergo post consecrationem fieret separatio specierum, haberetur Sacramentum sub solis aquae speciebus.

Resp. Aliqui consequentiam amplectuntur: verius neganda est; nam materia valida est, vel vinum merum, vel vinum aliquantu-

(1) Epist. ad *Caecil.*

lum mixtum: hoc enim venit nomine vini usualis. Jam vero species aquae a speciebus vini sejunctae non sunt vini usualis species, adeoque sunt materia corrupta, neque Sacramentum esse valent.

135. Eodem modo responderes, si de panis speciebus eadem urgeretur dificultas: in pane enim elementum aquae inveniri notum est, et in fermentato fermenti compositionem, et sal: numquid si haec a panis speciebus separarentur, erit aqua illa, vel sal, vel fermentum, verum Sacramentum?

§ IV.

Utrum miscenda sit aqua ex praecepto divino vel ecclesiastico in materia Eucharistiae.

136. Valentia et alii AA., quibus favet S. Cyprianus cum Concil. Carthag. II. censent ex praecepto divino procedere. Alii praeceptum existimant ecclesiasticum ab ipsis Apostolis procedens. Ita Vazquez, Suarez, Lugo, etc.

Verum rem esse incertam jure alii notant theologi. Et quidem si permisit Apostolis, ut pane vel azymo vel fermentato uterentur, licet ipse adhibuisset azymum; probabiliter possumus conjicere, iisdem facultatem fecisse ut statuerent quod modica aqua vino misceretur, cum id vino usuali nullatenus sit alienum, et ad plura repraesentanda mysteria aptissimum sit et congruum: puta, quod ex latere Christi fluxit Sanguis et aqua, unionem Christi cum populo fideli, qui illius gratia transformatur.

ARTICULUS III.

De forma Eucharistiae.

THESIS XVI.

Forma consecratoria S. Eucharistiae sunt verba: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus*, quibus Christus ipse consecravit.

137. I.ª Pars, quae est de fide. prob. 1.º Tridentinum (1): «Semper haec fides in Ecclesia fuit. statim post consecrationem ve»rum Domini Corpus. verumque eius Sanguinem sub panis et vini »specie... existere: Corpus quidem sub specie panis. et Sanguinem »sub vini specie ex *vi verborum*.» Et deinde. «Quoniam autem »Christus Corpus suum id. quod sub specie panis offerebat, vere »esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit. idque nunc »denuo sancta haec Synodus declarat. per consecrationem pa»nis et vini. conversionem fieri totius substantiae...» Florentinum id quoque docuerat in Decreto *pro Arm.*: «Forma hujus Sa»cramenti sunt verba Salvatoris. quibus hoc confecit Sacramen»tum: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sa»cramentum.»

2.º S. Augustinus (2): «Ante verba Christi panis dicitur; »ubi Christi verba deprompta fuerint. jam non panis. sed Corpus »appellatur.» Ambrosius (3): «Sacramentum istud quod acci»pis. Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo »Eliae. ut ignem de coelo deponeret: non valebit Christi sermo. »ut species mutet elementorum?... Ipse clamat D. Jesus: *hoc est* »*Corpus meum*. Ante benedictionem alia species nominatur. post »consecrationem Corpus significatur. Ipse dicit Sanguinem suum: »ante consecrationem aliud dicitur. post consecrationem Sanguis »nuncupatur. Et tu dicis. Amen; hoc est. verum est.» Idem docet in libro de *Sacramentis*. l. 4. cap. 5. Damascenus (4): «In »principio dixit: producat terra... Divino praecepto roborata. foe»tus suos profert. Dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum; et hic* »*est Sanguis meus: et Hoc facite in meam commemorationem:* idque »omnipotenti ejus praecepto. donec veniat. efficitur.»

138. II.ª Pars. **Nota**. Nonnulli DD. in dubium revocarunt. quod Christus iisdem consecraverit verbis. quibus nunc perficitur Sacramentum: hac de causa posteriorem theseos partem statuimus. quae est theologice certa.

Prob. 1.º Docet Trid. conc. (5); tunc Christum instituisse hoc Sacramentum. cum illa verba protulit in ultima coena: sed si illa verba non fuissent consecratoria. supponerent Sacramentum jam institutum. et solum significassent usum et manifestationem Sacramenti: ergo. Confir. Florent. in Decreto pro Arm. ait: «Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris. quibus hoc con»fecit Sacramentum.»

2.º Tertullianus (6): «Acceptum panem. Corpus suum illud

---

(1) Sess. XIII, c. 3 et 4. – (2) Ser. 28 de *verb. Dni.* – (3) De *Myst.* c. 9. – (4) Lib. 4, de *fide*, c. 13. – (5) Sess. XIII. c. 1 et 2. – (6) Contr. *Marc.* l. 4, c. 4.

»fecit, *Hoc est Corpus meum* dicendo.» Idem tradit S. Chrysostomus, hom. 2. de *proditione Judae:* et hom. 83 in Matth. Et S. Ambrosius (vel auctor catholicus ejusdem temporis), in lib. 4, *de Sacramentis*, c. 4.

3.° A posteriori potest confirmari. Voluit Christus per ministros suos illis suis verbis in perpetuum consecrare: ergo decebat ut iisdem ipse conficeret Eucharistiam. Praeterea: praecepit ut facerent quod ipse fecerat: *Hoc facite in meam commemorationem:* sicut ergo Apostoli iis consecrarunt verbis, idem Christus fecit.

THESIS XVII.

Sola illa verba: Hic est Sanguis meus, vel aequivalentia, sunt essentialia; saltem non omnia alia quae dicuntur sunt de essentia formae pro consecratione calicis.

139. **Nota.** Certum est de fide, verba illa: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel aequivalentia, esse de essentia formae. Disputatur a theologis de verbis subsequentibus, quae in calicis consecratione proferuntur, et duplex est sententia praecipue notanda, utraque probabilis. 1.ª quam sequitur D. Thomas cum nonnullis thomistis, affirmat alia verba esse quoque essentialia. 2.ª quae est communis scholasticorum, cum Magistr. Sententiarum, Bonaventura, Cajetano, Suarezio. etc., id negat.

Prob. 1.° In dictis verbis referendis, quoad sensum, conveniunt Evangelistae, cetera autem facile praetermittunt. Sed non omississent si fuissent essentialia; ergo. Prob. *min.* Evangelistae referunt Eucharistiae institutionem, et tradunt Christi praeceptum institutam rem illam celebrandi: *Hoc facite...* Atqui non est credibile deesse aliquid essentiale, cum de re instituta dicunt: *Hoc facite:* ergo.

2.° In diversis liturgiis, a remotissima antiquitate usitatis in Ecclesia, plura praetermittuntur ex aliis verbis, et tantum in his constanter conveniunt. Atqui nullatenus id accidisset, si cetera forent essentialia; ergo. *Min.* patet; Ecclesia enim Romana, omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, talem ac tantum sacrilegum abusum minime tolerasset. Etiam in Florent. Concilio, cum de aliis minoris momenti ritibus tractatum esset, quibus graeci a latinis discrepabant; circa formam calicis nulla fuit discussio vel difficultas.

140. 3.° Clemens Alex., Justinus, Ambrosius, Hieronymus, et alii plures Patres, verba referentes consecrationis, plura omittunt, tantumque consentiunt in dictis verbis vel

in sensu illorum. Ergo cetera non sunt essentialia. *Antec.* vide apud Suarezium, aliosve AA. (1).

4.° Sola illa verba, *Hic est Sanguis meus*, significant practice transubstantiationem vini in Sanguinem. Sed ea verba sunt de essentia consecrationis, quae practice significant transubstantiationem; ergo. *Major* patet ex Trident. (Sess. XIII, c. 4). *Minor* autem ex *Catech.* ejusdem Conc. (De *Eucharistia* n. 21.)

Confir. a) Eodem modo se habent verba illa: *Qui pro vobis effundetur*, ac illa: *Quod pro vobis tradetur*. Atqui haec non sunt necessaria; ergo neque illa.

b) Cum agitur de valore sacramentorum, non licet uti nisi opinione practice certa: ex Decreto Innocentii XI (ann. 1679). Sed permittit Ecclesia Romana graecis et armenis uti formis, inquibus non sunt verba omnia, quae in nostra adhibentur: ergo est practice certum, non omnia verba esse necessaria.

141. Obj. 1.° Innocentius III (2) dicit: formam verborum, ut habetur in canone, acceptam esse a Christo et Apostolis. *Catechismus* Tridentini ait: «Certe tenendum formam Conse»crationis vini his verbis contineri.»

Resp. Dist. Accepta a Christo, quoad *substantiam;* conc. Quoad *adiecta*, seu quoad omnia; nego.

Item dicit *Catechismus*, *contineri*, id est, nihil essentiale deesse: conc. Omnia verba illa essentialia existere: nego.

Obj. 2.° In hoc Sacramento debet significari passio Christi Domini. Sed nisi verbis his: *Hic est Sanguis meus*, cetera adjiciantur, passio haud bene significatur: ergo.

Resp. Nego *min.* Nam cum separatim fiat consecratio tum Corporis, tum Sanguinis, clare significatur consummatio passionis et mortis Domini.

142. Obj. 3.° Ex Missali Romano, verba omnia ad consecrandum calicem adhibita aeque designantur, et pari solemnitate proferuntur. Ergo omnia sunt aeque essentialia.

Resp. Nego *conseq.* Nam particula *enim* in utraque panis et vini consecratione pari modo designatur et cum aliis verbis profertur: similiter in sacramento Poenitentiae verba illa; *In nomine Patris et Filii et Spiritui Sti:* tamen non censentur essentialia.

Obj. 4.° Pius V. a commentariis Cajetani expungere sententiam contrariam opinioni D. Thomae jussit: videtur ergo ipso facto illam reprobasse.

Resp. Nego *conseq.* Nam Cajetanus dicebat. «nulla ratione

---

(1) Suar. De *Euchar.* D. 60, sec. 1, nn. 5, 6.—(2) Cap. *cum Martha*, De celebr. Missar.

»apparere sibi probabilem D. Thomae opinionem.» Jam vero indecorum videbatur, *Summam* D. Thomae edi cum tali commentatoris judicio: merito igitur commentarium illud fuit exclusum, salva tamen Cajetani opinione caeterorumque communiter scholasticorum.

Obj. 5.° Sicut digitus est de substantia hominis, non tamen de ejusdem essentia; et satisfactio est pars integralis sacramenti Poenitentiae, non autem essentialis: a pari, ergo, poterunt caetera consecrationis verba esse de substantia Eucharistiae.

Resp. Concesso Ant., dist. *consequens*. Possunt esse de substantia Eucharistiae, ita ut suspendatur effectus consecrationis donec proferantur; nego. Aliter; transeat.

THESIS XVIII.

In consecratione Eucharistiae necessum est ac esentiale proferre verba assertive.

143. **Nota.** I.ª Duplex de sensu formae Eucharistiae est quaestio: inter catholicos et haereticos una; catholicorum ad invicem, altera. Haeretici enim contendunt, formam recitari *concionatorie*, ad fidem populi excitandam: de quo errore supra (1) egimus: catholici autem omnes docent, dici a Sacerdote *consecratorie*, convertendo nempe panem et vinum in Corpus et Sanguinem Christi. Verum catholici quidam DD. opinantur, proferri verba formae *recitative*, seu *historice*, veluti enarrando simpliciter quid Christus dixerit: alii, e contra, docent, proferri verba a Sacerdote *assertive*.

II.ª Proferre verba *recitative*, est narrare Christum Dominum ita dixisse quando consecravit: proferre autem *assertive*, est velle significare id quod verba indicant de praesenti materia: ita ut, quemadmodum *asseruit* Christus illum panem, quem prae manibus habebat, esse suum Corpus; ita nunc Sacerdos idem asserit, nomine Christi, de praesenti pane.

III.ª 1.ª sententia, scilicet, proferri verba *recitative* tantum, traditur ab Innocentio III, Durando, Salmerone (2), et aliis. 2.ª autem defenditur a Vasquezio, Scoto, etc. 3.ª sententia est, proferri verba *recitative* et *assertive* simul: puta, sicut cum concionatores proferunt contra peccatores verba seu dicta Scripturae, vel sanctorum, quae in alios prolata fuerant. Sic dixit Dominus: *Bene prophetavit de vobis* Isaias... (3). Hanc tenent D. Thomas, Sotus, Suarez, Bellarm. Lugo etc. Proinde pro Thesi stant AA. 2.ae et 3.ae Sententiae.

---

(1) Disq. I, Thes. IX. - (2) Tom. 9, in *Evang.* - (3) Matth. 15, 7.

144. Prob. 1.° Ait Tridentinum (1): «Ex vi verborum» existere statim post consecrationem Corpus Christi sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini. Atqui non existerent *vi verborum*, nisi *assertive* dicerentur: ergo. *Min.* prob. Si non dicuntur verba *assertive*, nihil de praesenti significant; si solum *historice* recitantur, solum significatur, Christum hoc vel illud asseruisse. Atqui talis significatio, seu vis verborum, vera erit et integra, etiamsi nunc neque ponatur Corpus Christi sub specie panis, neque Sanguis sub specie vini: ergo non existerent Corpus et Sanguis Christi vi verborum, nisi etc.

2.° Fatentur adversarii pronomina *hoc* et *hic* denotare praesentem materiam. Sed minime denotarent, si *recitative* tantum proferrentur: ergo. *Minor* patet. Christus D. enim dixit ea verba super materiam illam tunc praesentem, non vero super hanc nunc exstantem. Sed si *recitative* tantum proferuntur, nihil denotant nisi quod iisdem verbis significavit Christus: ergo.

3.° Verba sacerdotis consecrantis efficiunt quod significant. Sed si loquitur *recitative tantum*, non efficiunt quod significant: ergo. *Maj.* constat communi sensu DD. et Ecclesiae: unde ut de re per se aperta ait *Catechismus* Trid. (2): «Forma ea est, qua illud »significatur, quod in Sacramento efficitur...» Hinc etiam Conc. Trid. effectum consecrationis et ipsam transubstantiationem eruit. *Minor* etiam clare patet; nam recitatio historica non facit quod significat, sed factum esse praesupponit. Deinde quod de praesenti fit, transubstantiatio nempe, non est illud factum historicum quod de Christo narratur: ergo si loquitur, etc.

4.° Christus protulit verba *assertive*. Atqui praecepit dicens: *Hoc facite...*: ergo et a Sacerdote ita proferri debent. *Major* certa est ex Trid. (3). Praeterea, patet recitative, seu historice, a Christo non potuisse verba illa proferri.

145. Obj. 1.° Si a Sacerdote proferuntur assertive verba consecrationis, assertive significant corpus sacerdotis, non autem Christi; ergo sunt falsa.

Resp. Dist. *ant.* Si proferuntur assertive a sacerdote et nomine suo; conc. *ant.* Si autem in persona Christi cujus est minister; nego *ant.* et *conseq.*

Obj. 2.° Verba consecrationis vini significant Sanguinem in futuro tempore effundendum: ergo si proferuntur assertive, falsum significant.

Resp. 1.° Dist. *ant.* In futuro effundendum respectu ad momentum, quo a Christo Domino fuerunt dicta; conc. Relate ad momen-

---

(1) Sess. XIII, c. 3.—(2) De *Euchar.* n. 20.—(3) Sess. XIII, c. 3, 4.

tum praesens; nego. Nihil sane obstat in mente sacerdotem habere tempus praeteritum in quo Christus eadem verba protulit, et relate ad illud tempus loqui. quemadmodum etiam nihil impedit tempus aliquod futurum, puta, annum bis millessimum, mente apprehendere. et respectu ad illud de praecedentibus loqui temporibus. Eo quidem modo praeterita vere dicuntur ut futura, et futura ut praeterita.

Resp. 2.° Si concedamus verba illa, *Pro vobis effundetur*, dici *recitative*. nihil thesi opponitur, cum ad essentiam formae non spectent.

THESIS XIX.

Verba formae dicuntur simul recitative, seu historice; non tamen id est de necessitate sacramenti.

146. I.ª Pars prob. 1.° Ex contextu *canonis:* «Qui pridie quam »pateretur, accepit panem... dicens: accipite et comedite. Hoc est »enim...» Quibus patet, ea quae formam praecedunt esse meram narrationem, et ipsam formam ut connexam et dependentem cum eadem historia proferri.

2.° Possunt utroque simul sensu proferri verba; sed congruit ut ita fiat: ergo. *Major* videtur evidens. Licet enim sint diversi sensus historicus atque assertivus, non opponuntur et possunt a loquente simul intendi. Idque patet etiam exemplis. Christus dixit (1): *Hypocritae, bene prophetavit de vobis* Isaias *dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Item concionatores et doctores passim duplici sensu utuntur: sic cum illa populo addicunt verba et commemorant: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, sicut dicta a Domino (2) judaeis.

Min. patet. Congruum enim est ut sensum ab Ecclesia explicite indicatum concipiant: sed sensus historicus explicite in canone exprimitur, ut dictum est. Praeterea ex ministeriali officio suo tenetur Sacerdos agere et loqui nomine Christi: atqui ad id optime conducit sensus historicus, si nempe, mente gerat et ore dicat, hoc ipsum fecisse olim et dixisse Christum: ergo.

147. Obj. Excluduntur invicem sensus assertivus et historicus: ergo nequeunt simul intendi. *Ant.* prob. Sensus assertivus determinat verba ad materiam praesentem; historicus autem ad illam de qua locutus est Christus. Sed qui determinate locutus de una re fuit, falso introducitur quasi loquens de alia: ergo.

---

(1) Matth. XV, 7, 8.—(2) Luc. XIII, 3.

Resp. Nego *ant.* et dist. *min.* Falso introducitur, si iisdem illis verbis, quibus locutus est de una materia, non loquatur etiam de alia; conc. Si et loquatur ipse de alia; nego. Nam loquitur Sacerdos in persona Christi: unde sensum historicum tribuit Christo quoad materiam illam praeteritam: sensum autem assertivum concipit Sacerdos nomine Christi quoad materiam praesentem.

Inst. 1.° Christus D. in coena nihil asseruit de materia praesenti: ergo si verba consecratoria habent sensum assertivum de tali materia, falso tribuuntur Christo per sensum recitativum et historicum.

Resp. Dist. *Consequens*, vel potius nego suppositum *Consequentis*. Nam verba consecrationis, cum habeant duplicem sensum, unum assertivum de praesenti et alterum de praeterito, seu mere conceptum a sacerdote et historicum; sacerdos ut *recitative* loquens, tribuit Christo *signate* sensum assertivum praeteritum, seu mere conceptum a Sacerdote et historicum; et ita nihil falso tribuit Christo: ut autem loquens *assertive*, tribuit *exercite* Christo sensum assertivum de praesenti: nam vere loquitur Sacerdos Christi nomine, et ut minister ejusdem gerens personam; sicut Angelus ille, qui nomine Dei dicebat: *Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham...* (1).

Inst. 2.° Qui loquitur nomine suo, non loquitur nomine alterius. Sed si *recitative* loqueretur Sacerdos, loqueretur nomine suo: ipse enim narraret quid factum sit in coena, non autem Christus D.; alias diceret: *Ego, qua nocte tradebar, accepi panem... et dixi: Hoc est Corpus meum.* Ergo falsum est, loqui Sacerdotem nomine Christi. Ergo si loquatur assertive, non potest loqui recitative.

Resp. Dist. *maj.* Qui praecise loquitur nomine suo, non loquitur nomine alterius; conc. Qui non praecise... nego *maj.* Igitur Sacerdos, dum consecrat, *recitative* loquitur et assertive: quatenus recitative, id praestat nomine suo, licet ministeriali; quatenus *assertive*, persona Christi tantum loquitur, nam nullo modo intendit dicere verba de *Corpore suo:* sicut Angelus ille nullo modo de intelligebat: *Ego Deus Patrum tuorum.*

---

(1) Act. VII, 32.

CAPUT IV.

De Ministro et subjecto S. Eucharistiae.

ARTICULUS I.

De S. Eucharistiae ministro.

THESIS XX.

Sacerdotum proprium est sacram Eucharistiam consecrare.

148. **Nota**. Non pauci adversus hanc fidei doctrinam errarunt haeretici. Sic gnostici mulieribus etiam concedebant potestatem conficiendi Eucharistiam: laicis omnibus, dummodo probis moribus essent ornati, waldenses id proprium esse docebant: Calvinus dixit, quemlibet de plebe esse idoneum ministrum consecrationis, licet expediat unum tantum constituere, ne exoriatur confusio, dum quilibet vellet officium exercere.

Prob. 1.° Concil. Lateran. IV, cap. *Firmiter:* «Et hoc »utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui »rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse con»cessit Apostolis eorumque successoribus Jesus Christus.» Innocentius III. in *professione* fidei waldensibus praescripta dicit: «Firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine praecedenti »ordinatione episcopali credit et contendit, se posse sacrificium »Eucharistiae facere, haereticus et perditionis Core est particeps et »ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus.»

Haec confirmavit Trident. Sess. XXIII, cap. I. et can. I.

2.° S. Isidorus (epist. ad *Landefr.* quae et legitur in Decret. dist. 25, cap. *Perlectis*, ait: «Ad Presbyterum pertinet sacramentum »Corporis et Sanguinis Domini in altare Dei conficere.» S. Cyprianus (epist. 4) praescribit: «ut presbyteri, qui illic apud con»fessores offerunt, per vices alternent:» unde proprium esse presbyterorum Eucharistiam conficere supponit. S. Epiphanius (*Haeres.* 79), expugnans quamdam haeresim, qua mulieres sacrificia posse offerre putabant, ait: «Neque Diaconis quidem ipsis ullum

»in Ecclesiastico Ordine sacramentum perficere conceditur.» Hieronymus (1) ostendit, apud luciferianos veram non esse Ecclesiam, quod sacerdotes non habeant qui Corpus Christi conficiant. De Diacono autem ait: «Cum Diaconus ab Ecclesia recesserit, »neque Eucharistiam conficere potest, Episcopum et Presbyterum »non habens.» Concil. Nicaenum (2) mandavit: «Pervenit »ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis et »civitatibus, Presbyteris gratiam sacrae Communionis Diaconi »praebeant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, »qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi Cor»pus accipiant.»

149. 3.° Prioribus seculis ad confessores, non sine magno periculo, Eucharistia mittebatur a Sacerdotibus consecrata: si autem per alios quam per sacerdotes confici potuisset Sacramentum, aliter sane confessoribus provissum esset.

Obj. 1.° Sacramenta vim habent ex *opere operato:* ergo a quocumque perficiatur *opus*, seu materia et forma eucharistica adhibeatur, perficietur sacramentum, ejusque effectus.

Resp. Dist. *min.* Si opus quod perficitur sit quale institutum a Christo est, seu, si materia et forma sacramentalis adhibeatur; conc. Aliter: nego *min.* Aliud enim sunt materia et forma sacramenti; aliud materia et forma sacramentalis: seu aliud est materia et forma inadaequate: aliud adaequate. Ut materia et forma sint adaequate tales, id est, sacramentales, ordinari debent ad sacramentum: hoc autem fit debita intentione, ut diximus (3), quae legitimum supponit ministrum.

150. Obj. 2.° Tertullianus (4) ait: «Differentiam inter Or»dinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas.» Ergo saltem ex licentia Ecclesiae poterunt laici conficere Eucharistiam.

Resp. Dist. *maj.* Auctoritas Ecclesiae tantum, seu differentiam omnem constituit Ecclesia; nego. Ita ut procedat differentia ab ipso etiam Ordine; conc. Ipse Tertullianus adjicit: constituit Ecclesiae auctoritas, «et honor per Ordinis consessum sanctificatus.» Ecclesia sane constituit, ut hi, potius quam alii de plebe, Ordinem suscipiant, et insuper ut, praeter Ordinem, nonnulla alia habeant Ordinati privilegia.

Inst. Subjicit Tertullian.: «Adeo ubi non est Ecclesiastici »Ordinis consessus, et offers et tingis Sacerdos, qui es tibi solus. »Sed et ubi tres, Ecclesia est, licet laici.» (ibid.)

Ad haec, 1.° responderi potest, Tertullianum librum

---

(1) Dialog. adv. *lucifer.* n. 2. – (2) Can. 18.—(3) Disq. I, Thes. X. - (4) *Exhort. ad Cast.* c. 7.

illum scripsisse cum in haeresim Montanistarum ruisset: quapropter errasse concedi potest.

2.° Cum dicit laicum *offerre*, *Sacerdotem* esse, de spirituali sacerdotio intelligendum, et hostiis spiritualibus, ut dixit B. Petrus (1), et Joannes (2), *Et fecit nos regnum et Sacerdotes Deo et Patri:* quem locum citat Tertullianus; non de sacerdotio et sacrificio proprie dicto. Haec interpretatio consonat cum alio testimonio parallelo ejusdem Tertulliani (3): «Cum ex»tollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus. »tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri suo »fecit.»

Et de spiritualibus quidem agere Tertullianum hostiis, ex contextu elucet: post illa enim objecta verba, immediate subdit: «Unusquisque enim *sua fide vivit*, nec est personarum acceptio »apud Deum: quoniam non auditores legis justificantur a Deo, *sed* »*factores*.» Ecce his ostendit, quo pacto ubi sint tantum laici, ibi possit offerri, ibi esse Ecclesiam, ibi posse laicum assequi salutem; nempe, si, quod potest, laicus praestiterit, fide vivens, opera legis servans.

THESIS XXI.

Potestas ordinaria ministrandi fidelibus Eucharistiam convenit Sacerdotibus jure divino.

151. **Nota.** Cum Eucharistia sit sacramentum permanens, potest considerari in fieri, et in facto esse, et quoad usum. Prout in fieri est sacramentum, exigit consecrationis ministrum: quatenus autem permanet in facto esse, custodientem postulat solummodo ministrum, qui, ex disciplina hodierna Ecclesiae, laicus esse potest a sacerdote ad custodiam deputatus. De ministro ergo quoad usum, seu traditionem Eucharistiae, agit thesis.

Quis sit minister ordinarius, quis autem extraordinarius, supra explicavimus (4).

I.ª Pars theseos, quae certa dicenda est, probatur.

1.° Trident. (5) ait: «Semper in Ecclesia mos fuit, ut laici a Sa»cerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebran»tes seipsos communicarent: qui mos tamquam a traditione apos»tolica jure merito retineri debet.»

2.° Apostolus docet (6): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*

---

(1) I ep. II, 5.—(2) Apoc. I, 6.—(3) L. *de Monog.* c. 12.—(4) Disq. I, Thes. XIV.—(5) Sess. XIII, c. 8.—(6) I Cor. IV, 1.

3.° Ex jure quoque patet (1): «Pervenit ad notitiam nostram »quod quidam Presbyteri laico aut foeminae Corpus Domini tra»dunt ad deferendum infirmis. Igitur interdicit Synodus ne talis »praesumptio ulterius fiat, sed Presbyter per semetipsum infirmos »communicet.» Concil. Carthag. IV, c. 38, jussit: «Dia»conus, praesente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi popu»lo, si necessitas cogat, jussus eroget.» Supponit ergo Presbyterum vi ordinis sui id posse: Diaconum vero uti ministrum Presbyteri tantum. Simili modo loquuntur canones, Nicaeni dicti, (can. 14.), et Arelatenses, (can. 19). Tertullianus (2) ait: «Eucharistiae sacramentum... non de aliorum manu quam praesi»dentium sumimus.»

152. II.ª Pars, seu quod haec potestas *jure divino* Presbyteris conveniat, elucet ex dictis testimoniis; nam ostendunt, id facere vi proprii gradus, non concessione vel delegatione aliqua.

Quomodo autem ex potestate consecrandi consequatur et alia ministrandi, explicat Doctor Ang. 1.° In hoc ministerio conficiendi Eucharistiam gerit Sacerdos personam Christi. Sed Christus sicut consecravit, consequenter et aliis dedit Corpus suum; nam propter hoc consecratur.

2.° Sacerdos in officio est mediator inter Deum et populum: ergo sicut consecrando offert Deo dona populi, ita dona Dei sanctificata debet populo tradere.

3.° Omnia quae contingunt hoc Sacramentum, ex reverentia consecrantur, calix, corporale, etc. Ergo et per manus consecratas Sacerdotis est per se ministrandum.

Dices: ex primaeva Ecclesiae disciplina fideles sibi ipsis Eucharistiam ministrabant, manu nuda viris illam suscipientibus, super mundum linteolum foeminis: imo et sacras particulas domum laici deferebant, ut interim per hebdomadem sibi ministrarent. Ergo et laici ministri sunt ordinarii.

Resp. Dist. seu explico. Ita ut ea consuetudo vim haberet ex pia oeconomia Ecclesiae iis congrua temporum circumstantiis, cum tot periculis persecutionum, paucitate ministrorum laboraret fidelium coetus; conc. Quasi ea disciplina per se foret convivio eucharistico adnexa et magis congrua; nego.

Unde pro rerum circumstantiis hac in re posse Ecclesiae disciplinam mutari, docet quoque Trid. Concilium (3). «Prae»terea, declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in »sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statue-

---

(1) De consecrat. dist. 12, c. *Pervenit.*—(2) De *Virgin. vel.* c. 3.- (3) Sess. XXI, c. 2.

»ret. vel mutaret. quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacra»mentorum venerationi. pro rerum. temporum. et locorum varieta»te, magis expedire judicaverit.»

THESIS XXII.

Eucharistiam possunt Presbyteri, secundum Ecclesiae praescriptionem, per Diaconum dispensare.

153. Prob. 1.° Ex conciliis in praecedenti Thes. laudatis.

2.° S. Cyprianus (1) ait: «Ubi solemnibus adimpletis ca»licem Diaconus offerre praesentibus coepit... sanctificatus in Do»mini Sanguine potus...» In Constitutionibus S. Clementis (2). quae omnes priorum sunt saeculorum. eadem traditur disciplina. In laudato canone Nicoeno (vel Sardicensi). clare significatur. Diaconos Eucharistiam dispensasse. dum decernit quod ab iisdem non suscipiant Presbyteri.

3.° Diaconus est minister Sacerdotis in oblatione sacrificii. ut ex tractatu de Ordine supponimus; congruum ergo est ut per illum possit Eucharistiam dispensare: salva enim sacramentorum substantia. uti docet Tridentinum (3), Christus commisit Ecclesiae ea quae ad eorum dispensationem pertinent.

154. *Dices.* Ex dictis consequi videtur. posse etiam Ecclesiam per laicos Eucharistiam ministrare: non enim pertinet dispensatio sacramenti ad ejusdem substantiam.

Resp. Communis est sententia. praeter Summum Pontificem. nullum alium Praelatum posse laicis hanc facultatem tribuere. extra casum necessitatis. Licet autem in prioribus seculis in propriis manibus susciperent fideles S. Eucharistiam, imo et apud se domi retinerent. et privatim communicarent. id ministratio proprie dicta non erat. sed potius receptio Eucharistiae inchoata e manibus Sacerdotis vel Diaconi, et tandem completa cum domi communicabant. Sic et Apostoli. cum manu Domini panem consecratum et calicem susceperunt, non Eucharistiam sibi ministrasse. sed a Domino accepisse dicendi sunt.

In extrema autem necessitate et mortis periculo. probabile est satis. posse per laicum ministrari Eucharistiam: quod docent Valentia, Layman, Coninch, Filliuci., etc., etc., cum Suarez (4). Non solum alteri. sed etiam sibi ipsi ministrare posse. pro dicto necessitatis casu. eadem ratione concedunt dicti AA..

---

(1) L. *de Lapsis.*—(2) Lib. 8, c. 2.—(3) Sess. XXI, c. 2.—(4) Disp. 72, Sec. 3.

et alii. Sic Maria Scotiae Regina in carcere servabat Eucharistiam, et ante mortem sibi a carnifice illatam, propria manu communicavit. Parisiis etiam in ultimis perturbationibus (la Commune) pii obsides cum Archiepiscopo, interventu piarum foeminarum, sacras formas accipiebant, quibus in carcere spiritu reficiebantur, et ad mortem fortiter obeundam roborati sunt.

Cum Sacerdos alium a quo Eucharistiam suscipiat adire non potest, nec celebrare valet, posse se ipsum communicare, non tantum in mortis periculo, sed etiam ex sola devotione, docent cum Cajetano et Suarez alii plures, gravesque AA. Imo si per Diaconum Sacerdoti aegroto offeratur Eucharistia, posse et debere tunc propria manu communicare, dicunt plures cum eodem Suarez: quia Diaconus, solum absente, vel impedito Sacerdote, est minister hujus Sacramenti.

ARTICULUS II.

Sacrae Eucharistiae subjectum.

THESIS XXIII.

Eucharistiae subjectum est tantum homo baptizatus; et justus, saltem existimative, ac aversus a peccato esse debet, ut fructuose eam recipiat.

155. I.ª Pars constat communi consensu theologorum. Prius est enim nasci in Christo et incorporari cum Christo, quam vitam ab eo et incrementum participare: hinc, communi effato, dicitur Baptismus omnium sacramentorum janua. Ideo *Catechismus* Conc. Trid. (1) docet: «Cur autem D. Dionysius principium sanctis»simorum mandatorum vocaverit (Baptismum), perspicuum est; »cum hoc sacramentum veluti janua sit, qua in christianae vitae »societatem ingredimur, atque ab eo divinis praeceptis obtempe»randi initium facimus.» Confir. Eucharistia in eo qui non est baptizatus nequit esse signum sensibile spiritualis cibi: ergo non baptizatus nequit sacramentaliter Eucharistiam suscipere. *Ant.* prob. Nihil potest rationem cibi habere nisi respectu ad vivens. Sed qui non est baptizatus non est sensibiliter vita spirituali vi-

(1) De *Bapt.* n. 4.

vens; ergo Eucharistia in eo, etc. *Min.* patet: nam baptismus est signum sensibile necessarium regenerationis spiritualis.

II.ª Pars constat ex supra dictis, Thes. VII et VIII.

156. **Nota.** Si quis mortalis noxae conscientiam habeat, non ei satis esse, quod existimet se esse contritum: sed, habita copia confessarii, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem.

Contrariam docuerat sententiam Cajetanus (in Summa Morali); nunc autem erronea esset vel, ut aliqui putant, haeretica haec opinio, quae confutatur:

1.° Ex Trid. (1) «Ne tantum Sacramentum indigne, atque »ideo in mortem et condemnationem sumatur: statuit, atque decla»rat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mor»talis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habi»ta copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem »sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel »pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere »praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.»

2.° S. Paulinus, Patriarcha Aquilejensis, ad finem sec. VIII, (inter opera S. August. tom. 6, in Append. edit. Maur.) ait in Libro *Exhortationis ad quemdam Comitem:*» «Quando eum acci»pere debemus, ante ad confessionem et poenitentiam recurrere de»bemus.»

Leo quoque Papa (epist. 91, c. 2), idem docet.

157. Utrum hoc praeceptum praemittendi ad Eucharistiam Confessionem sit naturale, vel ecclesiasticum, vel positive divinum ab Apostolis promulgatum, inquirunt AA. Communis veriorque sententia docet cum Suarez, Vazquez, aliisque pluribus, esse praeceptum divinum, a Paulo traditum ut a Christo acceptum, ab Ecclesia autem declaratum, ut videtur significare Tridentinum, ibidem, cap. 7, et can. 9. Vide Suarez, Disp. 63: et Vazquez, Disp. 207.

158. Obj. 1.° Etiam non baptizati justificari gratia Christi possunt. Sed qui vivit vita Christi potest crescere et nutriri cibo Christi: ergo etiam non baptizatus potest Eucharistiam suscipere. *Maj.* patet; catechumeni enim actu perfecto charitatis et voto baptismi tantum concepto possunt justificari.

Resp. Dist. *min.* Nutriri possunt cibo Christi sacramentali; nego. Cibo pure spirituali, seu alio interno incremento: conc. *min.*

---

(1) Sess. XIII, can. 9.

Obj. 2.° Innocentius pp. III (1) dixit Eucharistiam posse sumi a non baptizatis: ergo.

Resp. Dixit hoc disserendo seu disputando; conc. *ant.* Docendo seu definiendo; nego. Nam potius tandem concludit, ante Baptismum invalida esse cetera sacramenta.

SCHOLIA

De puerorum communione.

159. I. Infantibus rationis usu carentibus, licet capaces sint Eucharistiae, tamen rationabiliter non administratur. Antiqua erat in Ecclesia consuetudo parvulis etiam Eucharistiam administrandi; et quidem rationabiliter eo tempore id fieri potuisse testatur Trid. Synodus (2): «Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabi»lem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos »nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum »est » Scilicet seculorum decursu, cum fides frigescat tot haereticorum et apostaticorum infidelitatis exemplo, devotio quoque ac reverentia in res divinas torpescit. Cum ergo parvulorum communio ad disciplinam, non autem ad salutis necessitatem spectet, et minoris reverentiae erga S. Eucharistiam occasionem praebere posset, prudenter ab occidentali Ecclesia et orientali fere universa non amplius adhibetur.

Dices: videtur parvulis etiam necessariam esse Eucharistiam necessitate medii: sicut enim dixit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto....* pariter ait: *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis.* Atqui baptismus etiam ratione carentibus est necessarius necessitate medii; ergo.

Resp. negando paritatem, quia priora verba sunt universalia, et quosque amplectuntur qui Spiritu nasci opus habent: unde abs dubio infantes quoque respiciunt. E contra, secunda sententia ad audientes ac ratione utentes dicta fuere, ut ad eos qui vita spirituali donati, in ea deficere et infirmari possunt.

160. II. Qua autem aetate possit jam et debeat communio parvulis ministrari, secundum praesentem Ecclesiae disciplinam, intelligendum ex lege ab Innocentio III promulgata (3): «Om»nis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis perve»nerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel »in anno... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae

---

(1) Cap. *Veniens*, de *Baptismo*.—(2) Sess. XXI, c. 4. - (3) Conc. Later. l. V, c. 21.

»sacramentum.» Quia vere discretio pedetentim cum aetate evolvitur, ad eam in parvulis dignoscendam optimam tradit D. Thomas (1) regulam: «Quando jam pueri *incipiunt aliqualem* usum »rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus Sacramen»ti, tunc potest eis hoc Sacramentum conferri.»

Verum enim vero, in articulo mortis sub obligatione stricta concedenda est parvulis Eucharistia, eo ipso quod usum rationis habeant, possintque distinguere cibum hunc sacrum a profano. Praeter enim divinum praeceptum, de quo postea, et Ecclesiasticum nuper laudatum, non solum utile Sacramentum, sed forte necessarium erit ad salutem ejusmodi parvulis doli capacibus, ut poteris intelligere ex dictis supra (2): ita Suarez (Disp. 70, Sec. I), Layman, etc., etc.

Nota. De ceteris, tum quoad animam, tum quoad corpus, requisitis dispositionibus in eo qui Eucharistiam sacram est suscepturus, consule AA., praesertim Suarezium (Disp. 66 et 68) et Lugonem (Disp. 14 et 15).

CAPUT V.

De necessitate et usu Eucharistiae.

ARTICULUS I.

De necessitate Eucharistiae.

THESIS XXIV.

Ex praecepto divino et ecclesiastico necessaria est sumptio S. Eucharistiae.

161. **Nota.** Certum est, ac explicite a Tridentino (3) decretum, ex praecepto ecclesiastico necessum esse Eucharistiam suscipere. Utrum etiam de praecepto divino, non eadem constat evidentia; nonnulli enim theologi id negarunt. Vera tamen est sententia

(1) P. 3, q. 80, a. 9, ad 3.—(2) Thes. VIII.—(3) Sess. XIII, can. 9.

D. Thomae (1), Suarezii, et fere omnium AA., dari divinum praeceptum.

Prob. 1.° Ait Dominus (2): *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

2.° Trident. Concilium (ibid. c. 2) dicit: «Sacramen»tum hoc instituit... et in illius sumptione colere nos sui memo»riam *praecepit*, suamque anuntiare mortem, donec ipse ad judi»candum mundum veniat.»

162. 3.° S. Justinus (3), quo pacto celebretur Eucharistia, distribuatur, explicat, et cur id fiat, dicens: «Nam Apostoli in com»mentariis suis, quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Je»sum tradiderunt: eum, scilicet, dixisse: *hoc facite in meam comme»morationem*... Ex illo tempore haec semper nobis invicem in me»moriam revocamus.» S. Cyrill. Alex. (4) in illa verba: *Nisi manducaveritis*... ait: «Expertes enim et vacui plane vitae, »quae in sanctificatione ac felicitate est, remanent, qui mysticam »eulogiam non susceperunt, Filium.» Gregor. Naz. (5): «Sine pudore et dubitatione Corpus ede, Sanguinem bibe, si modo »vitae desiderio teneris.»

163. II.ª Pars aperte patet ex Tridentino (ubi supra): «Si »quis negaverit Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos dis»cretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad »communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; »anath. sit.»

Praeceptum autem Ecclesiae, de quo Tridentinum ac Later. IV, sub Innocentio III, fuit promulgatum, vide supra, Thes. XXIII, Schol. II, n. 160.

SCHOLIA.

164. I. Quaeri solet, quando vel quoties hoc divinum communicandi praeceptum obliget?

Diversa apud diversos leguntur AA. Communis valde sententia est, aliquoties in vita obligare hoc praeceptum, determinationem autem ad Ecclesiam pertinere. Unde qui semel in anno ad Eucharistiam accedit, tum ecclesiastico, tum divino satisfacit praecepto. Ita D. Thomas, Suarez, Vazquez, Valentia, uterque Soto, etc., etc.

II. Maxime praeceptum communionis urgere in articulo mortis consentiunt theologi. Id autem ex fine ipsius praecepti elucet: tum

---

(1) Q. 80, a. 11.—(2) Joan. VI, 54.—(3) *Apolog.* I, n. 65 et 66.—(4) In Joan. VI. 54.—(5) Ord. 45, in *S. Pascha*, 19.

enim maxime urget, cum major est necessitas ejusdem finem assequendi. Jam vero, ut ait Trident. (1): «Sumi voluit (Christus) »Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo »alantur et confortentur viventes vita illius.» Atqui ali et corroborari maxime urget, cum majus graviusque est deficiendi periculum, et majoris roboris est necessitas; ergo.

THESIS XXV.

Non datur praeceptum divinum sumendi S. Eucharistiam sub utraque specie.

165. Est fide certum. Prob. 1.° Tridentinum (2) definivit: «Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et »singulos Christi fideles utramque speciem SSmi. Eucharistiae sa»cramenti sumere debere; anath. sit.» Concil. Constantiense (Sess. XIII), et Martinus V. eumdem damnarunt errorem.

2.° Christus D. ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (3). Ex quibus patet, quod sumptio unius tantum speciei sufficit ad vitam aeternam assequendam, uti notavit quoque ipsum Tridentinum (4): sed non ita eveniret, si necessum esset utramque sumere speciem: ergo.

166. 3.° In Ecclesiae exordiis sub panis tantum speciebus communiter ministratam fuisse Eucharistiam indicat S. Lucas (5): *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus.* Et quidem ex pia secta nazaraeorum plures convertebantur, qui voto erant obstricti non utendi vino: cum autem ceteris judaeis legalia permitterentur, non est credendum eos ad hanc speciem fuisse constrictos sumendam. Deinde in prioribus seculis ad infirmos solae species panis afferebantur, ut patet ex vita S. Ambrosii, n. 41, a Paulino scripta, nec non ex Concil. Toletano XI, c. 11. Praeterea ubi etiam ambae species fidelibus ministrabantur, integrum eis erat vel duabus, vel una tantum communicari, uti docet Leo. M. (6). Plures quoque referunt Patres pristinam consuetudinem, nempe, attulisse fideles in mundis linteis Eucharistiam, ut privatim domi communicarent.

167. Obj. 1.° Christus D. ait: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis... et biberitis ejus Sanguinem... non habebitis vitam in vobis* (7). Ergo utraque species pariter requiritur.

Resp. 1.° Nego *conseq.* Particulam *et* intelligendam non copulative, sed disjunctive, verba Christi in probationibus tradita aperte

---

(1) Sess. XIII, c. 2.—(2) Sess. XXI, can. 4.—(3) Joan. VI, 59.—(4) Sess. XXI, cap. 1.—(5) Act. II, 42.—(6) Serm. 4 *Quadrag.*—(7) Joan. VI, 54.

indicant. Voluit ergo Dominus significare, et Carnem suam et Sanguinem nobis se daturum, ut necessario vel sub una, vel sub alia specie eum sumeremus ad salutem. Sic cum Lex praecipit (1): *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur*, non dices, utrumque debere occidi, ut poenam a lege positam incurras.

Resp. 2.° Dist. *conseq.* Utraque species requiritur in ratione sacrificii, et quatenus per Sacerdotem populus christianus debet de utraque specie participare; conc. In ratione sacramenti a singulis fidelibus percipiendi; nego. Hac distinctione intelligentur Christi verba in coena: *Accipite et manducate. Bibite ex eo omnes.* Et iterum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam sacerdotes futuri erant exinde omnes Apostoli, ideoque non ut simplices fideles instituebantur: quatenus sacerdotes illud Sacrificium oblaturi, utramque speciem jubebantur sumere et ad sacrificium adhibere: ut autem cum Christo communicarent et fructum susciperent divini convivii, in sola panis, vel vini specie perficiebatur, ut ex dictis supra patet (2).

168. Obj. 2.° Omnes fideles commemorare tenentur Christi mortem, et quidem per S. Eucharistiam: atqui ut hanc perficiant commemorationem, debent facere quod Christus ipse fecit: *Hoc facite in...* Ergo debent utramque sumere speciem, prout Christus sumpsit et dedit.

Resp. 1.° Nimis, ideoque nihil probat argumentum: eodem jure posses deducere, omnes fideles teneri offerre sacrificium.

2.° Dist. *min.* Debent facere *per sacerdotem* quod Christus fecit; conc. Per se ipsos; subdist. Quantum requiritur ad participandum tali sacrificio et commemorandam Christi mortem; conc. Aliter; neg. Jam vero unam tantum sufficere speciem ad eam faciendam commemorationem, aperte significavit Dominus, ut refert Paulus (3): *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* De calice autem, seu sanguine, similiter ait: *Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Utraque ergo sufficit participatio mortis, ut Christi fiat commemoratio, tum manducatio Corporis, tum potatio Sanguinis.

169. Obj. 3.° Gelasius Papa (4) ait: esse sacrilegium communionem sub una tantum specie.

Resp. Explico sensum illius canonis Gelasii: manichaei vinum ut rem a malo ortam principio reprobabant, et consequenter sub panis tantum specie consecrabant: ejusmodi superstitiosam

---

(1) Exod. XXI, 15.— (2) Thesis IX, n. 108.— (3) I Cor. XI, 24, 25.— (4) Dist. 2, de Consecr., c. 12.

communionem damnavit Pontifex, et ideo sanxit ut utramque in ea regione sumerent speciem, ne aliqui cum ea superstitione ad Sacramentum accederent.

Obj. 4.° Eucharistia sub symbolo convivii est instituta: sed non est perfectum convivium sine potu: ergo non sumitur perfecte Sacramentum sub una tantum specie.

Resp. Dist. *min.* Convivium spirituale non est perfectum sine potu; nego: Corporale; transeat, vel subdist. Si in cibo corporali non existat virtualiter et potus; conc. Aliter; nego. Cum in cibo vel potu eucharistico spirituali sit integer Christus, nihil refectionis spiritualis desiderari potest, licet in una tantum specie Eucharistia sumatur.

ARTICULUS II.

De S. Eucharistiae usu.

THESIS XXVI.

Est triplex Eucharistiae perceptio: sacramentalis tantum, spiritualis et sacramentalis simul, et spiritualis tantum.

170. **Nota.** I. Omnes DD. catholici distinguunt duplicem S. Eucharistiae usum, spiritualem et sacramentalem. Haeretici realem Christi praesentiam negantes, non aliam nisi spiritualem, per fidem, nempe, agnoscunt manducationem.

II. Spiritualis usus Eucharistiae distinguitur in pure spiritualem, et in spiritualem sacramentalem. De priori agit Tridentinum (1), et quid ad eam requiratur declarat: non enim sufficit ad pure spiritualem Eucharistiae manducationem quodvis ejusdem desiderium; sed requiritur simul «Fides viva, quae per dilectionem »operatur:» aliter enim qui sine ejusmodi dispositione eam appetunt «Fructum Sacramenti et utilitatem non percipiunt.»

III. Communio spiritualis proprie dicta postulat, ut desiderium terminetur ad Christum, prout est in Sacramento; desiderare enim Christum absolute et simpliciter, est simplex actus spei vel charitatis.

IV. Theseos prima et secunda pars definitae sunt a Concil. Tridentino: tertia autem est doctrina catholica et certa.

---

(1) Sess. XIII. c. 8.

171. I.ª et II.ª pars prob. Quoad primam docet Trid. (1): «Si »quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad su»mendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum; anathema sit. »Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et con»demnationem sumatur; statuit... etc.» Quoad autem secundam »partem, ait (2): «Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibi»tum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentali»ter ac realiter; anath. sit.»

III.ª pars prob. Docuit idem Concilium (3): «Optaret qui»dem sacrosanta Synodus, ut in singulis Missis adstantes non »solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae per»ceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi hujus Sacrificii »fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, prop»terea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter com»municat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo »commendat, siquidem illae quoque Missae vere communes cense»ri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicat, »partim... etc.»

172. Summatim autem **tres communicandi modos** distinxit.

1.° Triden. Synodus (4): «Recte et sapienter Patres nos»tri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerunt: quos»dam enim docuerunt *sacramentaliter dumtaxat* id sumere, ut pec»catores: alios tantum *spiritualiter*... Tertios porro *sacramentaliter* »*simul et spiritualiter*.»

2.° S. Augustinus (5) dixit: «Ipse (Christus) dicens: *Qui* »*manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et* »*ego in eo,* ostendit, quid sit non Sacramento tenus, sed revera Cor»pus Christi manducare, et ejus Sanguinem bibere: hoc est enim in »Christo manere, ut in illo maneat et Christus.» Quidam ergo sacramentaliter solum manducant; alii vero simul et spiritualiter, effectum, scilicet, Sacramenti assequentes, unionem cum Christo. Quo pacto autem possit fidelis fructum ex Sacramento spiritualiter tantum suscipere tradit ipse Augustinus (6): «Zachaeus et ille »Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit »Dominum, alter dixerit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum* »*meum*, ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario »modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti... In »primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem »sapiebat; sic uniuscujusque in corde christiani Sacramentum, quo »subjugatus est mundus. Nam et ille honorando non audet quotidie

---

(1) Sess. XIII, can. 11.—(2) Ibid. can. 8.—(3) Sess. XXII, cap. 6. — (4) Sess. XIII, cap. 8.—(5) *De civit. Dei* l. 21, c. 25.—(6) Epist. 54 ad *Januar.* c. 3.

»sumere; et ille honorando non audet ullo die praetermittere: con»temptum solum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium.»

173. 3.° Confirm. rationes theologicae. a) Quod Eucharistia sit signum practicum rei sacrae sanctificantis nos, non pendet a sumente, cum sit sacramentum permanens; e contra fructus, seu sanctificatio ab illius pendet dispositione: ergo Eucharistiae perceptio, potest esse sacramentalis tantum. *Ant.* patet ex supra dictis. b) Sacramentum rite susceptum suum necessario causat gratiae effectum, ut probatum est: ergo usus Eucharistiae potest esse sacramentalis et spiritualis simul. c) Qui solo voto suscipit Eucharistiam, ejus fructum participat: ergo datur usus spiritualis tantum. *Ant.* prob. primo exemplis: ita Deo placet votum Baptismi, ut ex illo fructus ipsius Baptismi percipi possit; idem dic de Poenitentia. Abraham quoque praemium habuit, quod voluerit sacrificium offerre. Secundo: excellentia et sanctitas rei desideratae in perfectionem et meritum redundat ipsius desiderii: ergo qui spiritualiter sumit Eucharistiam, tantae excellentiae sacramentum, spirituali ipsius fructu non carebit.

SCHOLION

174. Quaeri potest, utrum spiritualis Communionis fructus procedat ex Eucharistia quasi ex opere operato, vel objective tantum et ex opere operantis.

Nonnulli existimarunt ex opere operato oriri effectum, ut in illis qui Baptismi voto justificantur: inde cum quis Viaticum suscipere nequit, votum ipsius eumdem praebere effectum isti AA. putabant. Tamen Suarezius, cum D. Thoma et aliis AA. communiter, dicit id omnino falsum. Cum enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii, nulla occurrit ratio, qua effectus ex opere operato ejusdem soli desiderio tribui possit.

PARS II.

De Sma. Eucharistia ut Sacrificio.

DIVISIO GENERALIS.

PRAEAMBULUM. De natura Sacrificii.
CAPUT I. De existentia Sacrificii eucharistici.
— II. De re oblata in Sacrificio eucharistico.
— III. De actione Sacrificii eucharistici.
— IV. De excellentia et virtute Sacrificii Missae.
— V. De efficientia et valore Sacrificii Missae.

PRAEAMBULUM.

De natura Sacrificii.

175. **Dico I.** Sacrificium est quoddam signum sacrum.

Prob. 1.° D. Thomas (1) ait: «Oblatio Sacrificii fit ad aliquid »significandum. Significat autem Sacrificium, quod offertur exte»rius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert »Deo.» S. Augustinus (2) etiam: «Sacrificium visibile, ait, »invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est.»

2.° Ratio est: Sacrificium est quidam externus actus, ex. gr., animalis occisio, ad colendum Deum ordinatus. Sed quod ad Dei honorem perficitur est signum sacrum: ergo. *Min.* patet: in primis est quid sacrum talis actus, cum Deo sit dicatus, seu consecratus: deinde est quoddam signum; nam qui alium colit. eo ipso significat se aliquam excellentiam in eo agnoscere.

176. **Corollarium.** Sacrificium est signum ad placitum.

Nam nullus actus natura sua significat, quod divinam recognoscamus excellentiam, nostramque subjectionem. Ait D. Thomas: «In oblatione sacrificii non pensatur pretium occisi pecoris.

---

(1) 2. 2 q. 85, a. 2.—(2) *De civit. Dei*, l. 5, c. 5.

»sed significatio, qua hoc fit in honorem summi Rectoris totius »universi» (1). Unde Judaei Christum occidentes non obtulerunt Sacrificium; non enim in testimonium, seu significationem divinae excellentiae, id egerunt.

177. **Dico II.** Significat Sacrificium in Deo supremam excellentiam et dominium; in homine autem recognitionem talis excellentiae et debitam subjectionem.

Patet ex verbis relatis D. Thomae in praecedenti Coroll. Etiam Augustinus (2): «Sacrificium certe nullus hominum »est, qui audeat dicere, deberi, nisi Deo. Multa de cultu divino »usurpata sunt, quae honoribus deferuntur humanis... Quis vero »sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, »aut finxit?»

Confir. Est Sacrificium supremus actus religionis: ergo et summus cultus. Sed cultus est significatio excellentiae illius qui colitur, et subjectionis ejus qui colit; ergo Sacrificium significat summam Dei excellentiam, et summam hominis subjectionem.

178. **Dico III.** De necessitate actionis, quae est sacrificium, est, ut sit oblatio alicujus rei permanentis Deo facta.

1.° Quod sit oblatio. Secundum Scripturas, idem est sacrificare, ac offerre Sacrificium: sic (3) *Pontifex constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Deus autem, praescribens Abrahae offerre sacrificium, dixit (4): *Tolle filium tuum... atque offeres eum in holocaustum.* Si ergo sacrificare, seu sacrificium facere, est offerre; necesse est, ut actio sacrificativa in oblatione alicujus rei consistat.

2.° Rei permanentis. Oportet enim differre ab aliis actionibus externis ad cultum Dei ordinatis, quae analogice tantum sacrificium appellantur, ut *orationes*, *laudes*, etc. Sed nisi esset Sacrificium oblatio alicujus rei permanentis, non differret ab illis actionibus: etenim ejusmodi referuntur ad Dei cultum et sunt religionis actus: ergo oportet ut per sacrificium Deo res aliqua ab actibus transeuntibus distincta offeratur.

179. **Dico IV.** In Sacrificio sunt duo accurate distinguenda, res et actio.

Praeter subjectivam significationem Sacrificii, quam sacrificans mente concipit, in ipso sacrificio, seu oblatione rei, duo continentur: *res*, et *actio* per quam offertur. Res est quasi materia sacrificii:

---

(1) 2. 2. q. 85, a. 2, 2.—(2) *De civit. Dei*, l. 10, c. 4.—(3) Hebr. V, 1.—(4) Gen. XXII, 2.

actio autem, per quam offertur, est veluti forma; quia determinat illam ad esse hostiae seu oblationis.

Insuper res, seu materia sacrificii, potest considerari vel ante actionem, vel post: ante actionem est v. gr. animal vivum; post actionem, animal occisum. In utroque statu solet res appellari *Victima, hostia, materia Sacrificii:* tamen proprie non ita vocatur, nisi post actionem; tunc enim res est proxime, immediate et formaliter oblata et sacrificata, hostia, et sacrificium, seu *Factum sacrum.*

180. **Dico V.** Non omnis oblatio est Sacrificium, sed illa tantum quae fit cum aliqua rei oblatae immutatione.

D. Thomas explicat (1), quo differant oblatio et sacrificium. «Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid »fit; sicut quod animalia occidebantur, panis frangitur, comeditur, »et benedicitur... Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid »offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat: sicut dicuntur offerri de»narii vel panes in altari, circa quos nihil fit.»

S. Paulus (2) ait de sacerdote, quod *offerat dona et sacrificia:* aliud proinde est donum offerre, aliud sacrificium.

Theophilactus (3) dicit: «Sacrificium est, quod est per san»guinem aut ignem; oblatio autem ex fructibus, et sine sanguine, »aut igne, aut alia immutatione fit.» Idem quoque docuit Isidorus, *(Etymolog.* l. 6, c. 19).

Nota. Qualis et quanta requiratur immutatio rei, ut fiat sacrificium, non una est AA. sententia.

181. **Dico VI.** Ministrum Sacrificii debere esse legitimum.

1.° Omnis Sacerdos mediator Dei et hominum existit, ad offerenda sacrificia pro peccatis; *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (4). Et sane quomodo potest quis esse mediator ex parte Dei, nisi hoc munus Deus ei committat? Quomodo ex parte hominum, nisi eorum vicem accipiat?

2.° Lex, sacerdotium et sacrificium sunt ad invicem connexa, ut docet Apostolus (ibid. c. VII). Sed lex a legitimo debet esse legislatore: ergo a pari sacrificium et minister sacrificii legitime constitui debent. Denique, omnis oblatio debet esse accepta ei cui exhibetur; sed talis esse nequit nisi legitime perficiatur: ergo.

182. **Dico VII.** Multiplex esse potest, sacrificium.

1.° Ex parte *rei oblatae.* Cum animal offerebatur, appellabatur *Hostia*, vel *Victima:* cum vero fructus terrae, *Immolatio:* cum autem liquores, nomen erat *Libatio.*

---

(1) 2. 2, q. 85, a. 3, ad 3.—(2) Hebr. V, 1.—(3) In c. VIII ep. ad Hebr.—(4) Hebr. V, 4.

2.° Ratione *actionis*. Si sacrificium cum rei occisione fiebat, dicebatur *Cruentum;* sin vero, *Incruentum*, ut illud Melchisedech. Cum res comburebatur, erat *Holocaustum* (ὁλόκαυστον), seu totaliter combustum: si partim victima cremabatur, partim a sacerdote absumebatur, *Hostia pro peccato:* si autem et ab offerente pars consumebatur, erat *Hostia pacifica*.

3.° Ratione *finis*. Aliqua sacrificia ad solam Dei summam excellentiam profitendam ordinabantur, quod fiebat *Holocaustis:* alia ad peccata expianda, et erant *Hostiae pro peccato:* quaedam offerebantur ad finem alius virtutis, et vocabantur *Hostiae pacificae*. Quae si referebantur ad gratias pro beneficiis agendas, erant *Sacrificium laudis*; si ad nova impetranda, *Impetratorium*, vel *Propitiatorium* vocabantur sacrificium.

183. **Corollarium**. Sacrificii nomine, in sensu proprio, venit externa et sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, ut legitimo ritu in Dei cultum a legitimo ministro immutetur.

CAPUT I.

De Existentia Sacrificii eucharistici.

ARTICULUS I.

De existentia Sacrificii in Ecclesia.

THESIS 1.

In Ecclesia Christi datur verum ac proprium Sacrificium.

Haec thesis est de fide catholica.

184. Prob. I. Trident. Concilium definivit (1): «Si quis »dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium: »anath. sit.» Et alibi: «Deus et Dominus noster... sacerdotem se»cundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum »declarans, Corpus et Sanguinen suum sub speciebus panis et vi-

(1) Sess. XXII, can. 1, et cap. 1.

»ni Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, »quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat... eorumque »in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit.» Eamdem docuerat doctrinam Conc. Later. IV, sub Innocentio III.

185. II. Ex Malachia (1): *Ad vos, o sacerdotes... Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur. Nomini meo oblatio munda.* Ex quibus verbis ita arguo. Quae praedicuntur a Deo per Prophetam non spectant ad *Vetus Testamentum*, sed ad *Novum*. Atqui praedicit Deus novum Sacrificium: ergo datur in Ecclesia, quae juxta alibi dicta (2) est Novum Testamentum.

Major probatur. Sacrificia *Veteris Testamenti* in ostio tabernaculi tantum, et in templo Hierosolymitano, et quidem a sacerdotibus leviticis offerri solum poterant. Quod patet ex Levitico, c. XVII; ex Deuter., c. XII et XVI et XVIII et XXVI. Atqui a Malachia praedicitur offerendum in omni loco inter gentes: ergo. Confir. a) *Novum Testamentum* ad benedictionem omnium gentium destinatum erat, sicut *Vetus* judaico tantum populo concessum. Sed illa divini Nominis magnificatio inter gentes, et ille placens Deo cultus ubique terrarum exhibitus, supponunt Dei benedictionem ad omnes gentes pervenisse: ergo quae promittuntur a Propheta non ad *Vetus*, sed ad *Novum* respiciunt *Testamentum*. b) Communi consensu SS. Patrum, cum Tridentino (Sess. XXII, c. 1): vide Irenaeum (L. 4, c. 32); Justinum (L. in *Triph.*); Cyprianum (L. 1, *contra Judaeos*, c. 16): Eusebium (L. 1 *Demonstr. evang.*, c. 6): Hieronymum, etc., etc.

186. *Minor*, prima prob. 1.° Ex **contextu**. Loquitur Deus cum Sacerdotibus, et de altari, et de eorum sacrificiis: eos reprehendit, quod pollutas offerant victimas, qua de causa eorum reprobat munera, et praedicit alia sibi futura accepta, quae in omni loco inter gentes munda offerentur... Unde arguimus adversus protestantes. a) Illa nova oblatio succedit veris sacrificiis, et cum eis comparatur: ergo censenda est etiam verum sacrificium. b) Eatenus nova oblatio non esset judicanda proprie dictum sacrificium, quatenus significaret Deus, sacrificia vera non ei amplius placitura. Sed hoc nullo modo significavit: ergo. *Major* patet: nam ab initio mund sacrificia semper Deo placuerant, et illa praescripserat, neque unquam fuit sine sacrificio religio: ergo nisi significet Deus non amplius ei placere sacrificia, non est censendum, gratissima illa mu-

(1) I, 6, 10, 11.—(2) V. I, Disq. II, De *Relig. revel.* Thes. XXVIII.

nera succedentia in *Novo Testamento* sacrificiis *Veteris* non fore vera sacrificia. Confir. Deus per Prophetam ostendit, quod antiqua illa sacrificia, quatenus sacrificia, valde illi placebant, et inde arguit quod ab immundis offerentur sacerdotibus, neque ritum praescriptum servarent; praecipitque, ut rite sacrificia offerant. Atqui dum Deus ostendit sibi placere vera et legitima sacrificia, nequit apte intelligi quod in ea complaceat oblatione, quae ubique terrarum illis succedet, quin sit verum Sacrificium: ergo sensui obvio totius contextus adversantur protestantes, dum contendunt, novam illam ac universalem oblationem non fore verum sacrificium.

187. 2.° Ex **vocum significatione**. Tres voces a Propheta adhibentur ad oblationem illam Novi Testamenti significandam: מִנְחָה (minhhha). מֻגָּשׁ (muggasch) מְקֻטָּר (muqtar). Atqui hae voces, in adjunctis illis quibus Deus loquebatur, non nisi de vero sacrificio intelligi poterant: ergo. *Min.* prob. In eo sensu accipi debent voces illae, quem habent in aliis Scripturarum locis parallelis; id est, ubi in similibus adjunctis adhibentur. Sed tunc adhibentur ad vera sacrificia significanda: nam de qua re sermo est apud Malachiam? De sacerdotibus; de eorum sacrificiis; de ritu servando in iis offerendis. Jam vero in libris S. Scripturae, ubi de ea re agitur, vera sacrificia illis vocibus appellantur. a) Nam vox *minhhha* saepe legitur in cap. II. Levitici, ubi sermo est de institutione et differentiis sacrificiorum, et de ritu a sacerdotibus adhibendo, et significat ea vox incruenta sacrificia. Imo ipse Malachias, in loco de quo disputatur, eamdem adhibet vocem ad significanda illa sacrificia polluta et reprobata: «*Munus* (minhhha) *non suscipiam de manu vestra.*» b) Vox *muggasch*, ex radice *nagasch* (appropinquare), in c. V. v. 25. Amos, ubi evidenter sermo est de sacrificiis, et in eodem capite ipsius Malachiae, v. 7 et 8, significat offerre sacrificia. c) Tertia vox *muqtar*, ex radice *qatar* (fumare odore suavi), in forma hiphil, adhibetur pro adolere, seu offerre holocausta et sacrificia, in Levit. cap. I et II, ubi de ipsa institutione et forma sacrificiorum sermo est: similiter tum in singulis fere capitibus ejusdem libri, tum passim in aliis locis Scripturae, ubi agitur de sacrificiis adolendis. In ejusdem passiva, hophal, participium *muqtar* potest significare vel uti verbum, sicut intelligit Vulgata nostra, vel uti nomen verbale, ac significat suffimentum, seu sacrificium bene olens. Quocumque autem modo sumatur, significabit vel holocaustum ipsum, vel actionem illam adolendi, seu cremandi, ubi sermo est de sacrificiis. Patet proinde, praedictas tres voces, apud Malachiam, de vero sacrificio, et quidem externo et visibili debere intelligi.

188. 3.° Ex **auctoritate** denique, sermonem esse in Mala-

chia de vero sacrificio. constat tum laudatis testimoniis, tum plurimum Rabbinorum consensu apud Galatinum, lib. XI. cap. 11.

189. III. Prob. thesis ex Isaia (XIX, 19, 21). *In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti... cognoscent aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus;* seu ut in Haebraico textu: *et facient sacrificium* זֶבַח (zebahhh), *et munus* מִנְחָה (minhhha); nempe tum *sacrificium cruentum*, tum *incruentum*. Unde arguimus. Hic sermo est de *Novo Foedere*. Sed in eo praedicuntur vera sacrificia: ergo. *Major* patet: nam talia sacrificia *Veteri Legi* adversantur et prohibentur; et praeterea dicit Propheta, benedictionem Dei pervenisse non tantum ad Aegyptum, sed etiam ad ceteras gentes; quod *Novo Foedere* praestandum erat.

190. IV. Prob. ex SS. Patribus. S. Justinus (1): «De iis »autem quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei sacrifi»ciis, hoc est, de pane Eucharistiae et de calice similiter Eucharis»tiae, jam tunc praedixit (Malachias)...» S. Irenaeus (2): «Manifeste significans Malachias per haec, quoniam prior qui»dem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium »offeretur ei.» Et alibi (3): «Igitur Ecclesiae oblatio, quam Domi»nus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputa»tum est apud Deum... Et non genus oblationum reprobatum est. »Sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia: sed species immutata »est.» S. Cyprianus (4) multis testimoniis Scripturarum hanc probat propositionem: «Quod sacrificium vetus eva»cuaretur, et novum celebraretur.»

191. V. Ubi est verum sacerdotium, et verum Sacrificium. Atqui in Ecclesia est verum Sacerdotium; ergo. *Major* constat ex Apostolo (5): *Omnis Pontifex constituitur ut offerat sacrificia.*

VI. Ubi est altare, et Sacrificium sit oportet. Sed in Ecclesia est altare: ergo. *Min.* constat ex Apostolo (*Hebr.* XIII, 10): *Habemus altare... Maj.* elucet ex SS. Litteris; numquam enim in eis sermo est de altari, nisi respectu ad Sacrificium. Deinde, tum hebraice, tum graece ex eadem radice dicuntur voces altaris et Sacrificii, ut notavit Bellarminus (6): ex זָבַח (zabahhh), sacrificare, fit זֶבַח (zebahhh), sacrificium, et מִזְבֵּחַ (Mizbeahhh), altare. Et a verbo θύειν (sacrificare), fit θυσια (sacrificium), et θυσιαστήριον (altare).

192. Obj. 1.° Sacrificia *Novi Test.* intelligi possunt spirituales hostiae, de quibus agit S. Petrus (1 c. II, 5): sed hae non sunt vera sacrificia: ergo.

---

(1) L. in *Triphon.* n. 41.— (2) L. 4, c. 32, (17) Migne.— (3) C. (34) (18).— (4) *Contra Judaeos*, c. 16.— (5) Hebr. V. 1; et VIII, 3.— (6) *De Missa*, l. 1, c. 2.

Resp. 1.° Eadem ratione posses fingere, aquam baptismatis veram non esse aquam, quia aliquando significat aqua gratiam.

Resp. 2.° Nego *maj.* Ad sensum enim metaphoricum non sunt referenda verba, nisi sensus proprius, perpensis adjunctis, locum habere nequeat.

Obj. 2.° Vox *minhhha* significat donum: ergo ex Malachia non probatur verum dari sacrificium.

Resp. Dist. *ant.* Significat donum, vel speciale donum; conc. Donum in genere tantum; nego *ant.* Nam cum in sacris Litteris agitur de sacrificiis, significat *minhhha* genus quoddam sacrificii, ut diximus.

193. Obj. 3.° Vulgata latina vertit *Sacrificatur* et *offertur*, seu, *Sacrificium offertur;* at vero LXX Interpretes dicunt, *thymiama offertur*. Atqui crematio incensi, seu oblatio *thymiamatis,* vel solum significat preces, ut Patres quidam interpretantur, vel saltem non reputatur verum sacrificium: ergo.

Resp. Dist. *min.* quoad utramque partem. Oblatio thymiamatis significat preces apud aliquos Patres, quia preces concurrunt ad oblationem Sacrificii; conc. Quia solae constituunt preces tale Sacrificium; nego. Deinde: oblatio thymiamatis non censetur Sacrificium, si sumatur pro simplici incensi crematione; conc. Prout transfertur ad significandam sacrificii adustionem ascendentis ad Dominum in odorem suavitatis; nego. Scilicet, verbo θυμιάω, apud graecos, accidit quod verbo קָטַר (qatar) apud hebraeos: translatum est etiam ad significanda, quae thymiamati assimilantur. Propterea, cum viderent utriusque vocis analogiam et originem. LXX Interpretes, pro מִקְטָר (muqtar), thymiama verterunt, quin merum incensum significare vellent, et verum excludere sacrificium.

194. Obj. 4.° Dixit Deus per prophetas, se nolle ultra sacrificia. Sed non potest id de eo tempore Legis intelligi: ergo de Ecclesia intelligendum.

Resp. Dist. *maj.* Nolle sacrificia absolute; nego. Talia sacrificia, seu in talibus adjunctis; concedo *maj.* Sic in ps. L, 18, dicitur: *Si voluisses Sacrificium, dedissem... holocaustis non delectaberis.* Verum loquitur de iis qui sine contritione putant, solis sacrificiis Deum placandum, vel de tempore eversionis Jerusalem; ut patet ex sequentibus, etc. Deinde; Isaiae (I, 11, 13) dicitur: *Quo mihi multitudinem victimarum? Plenus sum. Holocausta nolui... Ne offeratis ultra sacrificium frustra...* Verum loquitur de illis qui justitiam contemnebant, et solo cultu externo Deum honorabant. Unde horum non tantum sacrificia respuit, sed etiam solemnitates, sabbata et orationes. In Ps. XXXIX, 7, dicitur: *Sacrificium noluisti: holocaustum pro peccato non postulasti.* Sed sermo est de efficacia ad de-

lenda peccata, ut explicat Apostolus ad Hebraeos (c. 10): ideoque pro illis sacrificiis accepit Deus Unigeniti Jesu Christi oblationem et sacrificium.

Inst. Dicit Paulus, obedientiam Filii successisse illis sacrificiis (1): *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.* Ergo proprie dictum sacrificium non existit, sed sola obedientia; *melior est enim obedientia quam victimae* (2).

Resp. Dist. *ant.* Sucessisse obedientiam solam; nego. Simul cum sacrificio; conc. Unde ait (ibid.) Paulus: *In qua voluntate sancti-«ficati sumus per oblationem Corporis Christi semel»* (v. 10).

Melior quidem est obedientia quam victimae solae; non autem quam victimae simul cum obedientia.

ARTICULUS II.

De confectione Sacrificii in Eucharistia.

THESIS II.

S. Eucharistia, prout in Christi Ecclesia conficitur, est verum Novae Legis sacrificium.

195. Est doctrina fidei, et prob. 1.° Trident. Conc. (3) ait: «Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium »sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis »ad manducandum dari... aut nudam commemorationem Sacrificii »in Cruce peracti: anath. sit.»

2.° Consensu constanti Ecclesiae. Antiquissimae liturgiae, graeca, syriaca, chaldaica, latina, gothica, illa quae dicitur S. Jacobi, S. Clementis, S. Basilii, S. Chrysostomi, omnes, tamquam de vero Sacrificio, de Eucharistia agunt. Graeci quoque schismatici eamdem retinentes fidem, pro eadem testantur. Vel dicendum igitur, universam Ecclesiam turpiter et constanter errasse, vel haereticos impios esse aut stolidos.

196. 3.° Confirmatur gravissimis testimoniis. Concil. Carthag. II, can. 24, decrevit: «Ut in sacramento Corporis et »Sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam... panis et vinum »aqua mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quam de uvis »et frumentis.» Concil. Alexand., in epistola ad Nesto-»rium, in Syn. Ephesina approbata, dicit: «Necessario igi-

(1) Hebr. X, 9.—(2) I Reg. XV, 22.- (3) Sess. XXII, can. I et III.

»tur et hoc adjicimus... incruentam celebramus in Ecclesiis Sacri»ficii veritatem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et »sanctificamur participes Corporis et Sanguinis Christi.» S. Cyrillus, in declaratione anathematismi XI, dixit coram Ephes. Synodo: «Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesia »celebramus Sacrificium... et tamquam proprium vivificantis Verbi Corpus et Sanguinem accipimus.» S. Irenaeus et S. Justinus idem testantur; quorum testimonia habes in Thes. praecedenti. S. Hieronymus (1): «Si laicis imperatur, ut »propter orationem abstineant se ab uxorum coitu: quid de Episco»po sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis, illi»batas Deo oblaturus est victimas?... Tantum interest inter propo»sitionis panes et Corpus Christi, quantum inter imaginem et ve»ritatem.» Presbyteri et Diaconi Achaiae (*in act. Marty.* S. Andreae) referunt S. Apostolum dixisse: «Ego immacula»tum agnum in altari offero... qui immolatus integer perseverat et »vivus.» S. Hyppolitus martyr, in *Orat. de Antichristo*, in»ducit Christum dicentem: «Venite, Pontifices, et Sacerdotes, qui »pretiosum Corpus et Sanguinem meum quotidie immolastis.» S. Ambrosius (2): «Cum sacrificamus, Christus adest, Chri»stus immolatur.»

197. 4.° Ratione theologica. a) In Ecclesia datur verum ac proprium Sacrificium. Sed nihil aliud offertur et sacrificatur nisi S. Eucharistia: ergo. b) Sicut gentiles de immolatis comedentes participabant de mensa et cultu idolorum; atque judaei edentes hostias fiebant altaris participes; ita communicatio Sanguinis Domini et participatio Corporis Domini est participatio mensae et altaris Domini. Sed si Corpus et Sanguis Domini non forent Sacrificio oblata, eorum participatio non esset altaris et mensae Domini participatio: ergo est Eucharistia verum sacrificium. *Maj.* constat ex Paulo (3): *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?... Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant... Non potestis mensae Domini participes fieri, et mensae daemoniorum. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* c) S. Eucharistia est *hostia* mundissima ac digna quae et Deo offeratur; scilicet, Corpus et Sanguis Domini: est *actio sensibilis*, nempe, consecratio: est *immutatio hostiae*, nam vi actionis consecrativae ponitur Corpus Christi sacramentaliter sub speciebus panis, et Sanguis sub speciebus vini, repraesentando

---

(1) In Epis. ad Tit. I. 8, 9.—(2) In Cap. I. Luc.—(3) I. Cor. X, 16, 18, 20 21, et Hebr. XII, 10.

Christi mortem, et deinde fit consumptio victimae per sacerdotem: deinde ejusmodi... mortis Christi repraesentatio, seu mactatio mystica, *fit in cultum Dei*, ut oblatio Abelis, et Sacrificium Abrahae: fit quoque totum a *legitimo ministro* juxta Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo nihil in Missa desideratur ad perfectum sacrificium. d) Secundum Malachiam prophetam, *Novi Foederis* Sacrificium hisce fulget characteribus: quoad victimam, est munda neque vitio potest pollui offerentium: quoad oblationem, est incruenta (*minhhha*): quoad Sacerdotes, non ex Levi, sed ex *gentibus:* quoad altare non in solo hierosolymitano templo, sed in omni loco. Atqui omnia haec S. Eucharistiae, eique soli conveniunt: ergo.

198. Obj. 1.° Sacrificium Novi Foederis debet esse *Minhhha*, id est, compositum ex simila oleo mixta et conspersa incenso. Sed talis non est Eucharistia: ergo.

Resp. Dist. *maj*. Debet esse *minhhha*, ut typus: conc. Secundum speciem; nego *maj*. Nam uti ait Apostolus, *Omnia in figura contingebant illis* (1). Deinde, dist. *min*. Eucharistia non est *Minhhha* in specie: conc. Ut typus, nego *min*. Eucharistia enim ex simila, sed quoad substantiam transmutata, conficitur; et illum continet, qui oleo significabatur, et Christus seu unctus dicitur, de quo propheta (2): *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae:* quique suavissimum spirat odorem totius sanctitatis.

Obj. 2.° Imago Sacrificii est umbra, non veritas Sacrificii. Sed Eucharistia, ut ait D. Thomas (3), «Imago quaedam est re»praesentativa passionis Christi, quae est vera ejus immolatio; et »ideo celebratio hujus Sacramenti dicitur Christi immolatio:» ergo non est verum Sacrificium.

Resp. Dist. *maj*. Est umbra Sacrificii, quatenus imago est; conc. Quoad ea, quae talem imaginem constituunt, et comitantur, non est veritas Sacrificii; nego. Etiam vetera Sacrificia imago erant et umbra Sacrificii Crucis: tamen nemo negat fuisse vera Sacrificia. Dist. etiam *min*. Est Eucharistia imago verae immolationis *cruentae;* conc. *Incruentae;* nego *min*... Non enim Christus in *imagine*, tantum, sed *vere* in Eucharistia immolatur, licet incruente.

Obj. 3.° *Semel oblatus est Christus* (4). Ergo non offertur in Missa.

Resp. Dist. *Ant*. Semel oblatus est cruente, et ad satisfaciendum pro peccatis, ut ibidem (v. 26) explicat Apostolus; conc. Modo incruento: nego.

---

(1) I. Cor. X, 11.—(2) Ps. XLIV, 8.—(3) P. 3, q. 83, a. 1.—(4) Hebr. IX, 28.

CAPUT II.

De re oblata in Sacrificio eucharistico.

ARTICULUS I.

De oblatione Christi in Sacrificio Missae.

199. **Nota.** Alibi diximus, Eucharistiam intrinsece rem esse compositam. Dubitari ergo potest, utrum totum quod in ea continetur in sacrificium offeratur, vel quae pars tantum. Item, actio sacrificandi circa rem aliquam versatur: res autem considerari potest vel ante actionem, ut materia ejus, vel post, tamquam terminus. Dilucidandum igitur, utrum panis et vinum, vel Christus, vel utrumque simul in hoc Sacrificio offeratur? Item: an Christus immoletur secundum esse, quod habet ante consecrationem, vel quod habet in ipso Sacramento?

THESIS III.

Christus D. est res principaliter oblata in Sacrificio Missae.

200. Thesis est theologice certa et communis Catholicorum.

Prob. 1.° Ex Trident. (1): «Sacerdotem secundum ordinem »Melchisedech se declarans... Corpus et Sanguinem suum »sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit... et Apostolis, quos »tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut offerrent prae»cepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*» Deinde addit: «Novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia sub signis »sensibilibus immolandum.» Unde: illud principaliter offertur, quod directe respicit immolatio et oblatio. Atqui in Missa immolatio et oblatio directe respiciunt ipsum Christum: «Corpus et San»guinem sub speciebus obtulit...» «Instituit... se ipsum immolan»dum ab Ecclesia:» ergo.

2.° S. Hieronymus (2): «Vitulus saginatus, qui ad poeni-

(1) Ses. XXII, c. 1.—(2) Epist. ad *Damas. De Filio Prod.*

»tentiae immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus Carne pasci»mur, Cruore potamur.» Vide etiam Hieronymum, S. Andream, S. Hyppolitum, S. Ambrosium, supra (1).

3.° Quo nobilior est res oblata, eo aptior est, ut Deo offeratur in testimonium ejus excellentiae et supremi dominii. Atqui in Sacrificio Missae, quod praecipuum ac nobilissimum est, ipse est Christus; ergo non decet ut minus principaliter offeratur.

201. Obj. 1.° Res in Sacrificio oblata debet esse sensibilis; sed Christus non est sensibilis: ergo.

Resp. Debet res oblata esse sensibilis per se, vel per adjuncta: conc. *maj.* Per se praecise: nego. Sic ex. gr. cum agnus immolatur, non utique est sensibilis nisi per accidentia. Quis autem putabit non offerri principaliter agni substantiam? Pariter, dist. *min.* Christus non est sensibilis per se: conc. Sacramentaliter: nego *min.*

Obj. 2.° In Sacrificio Missae non est totus Christus sacramentaliter sensibilis, sed Corpus tantum et Sanguis. Ergo saltem non offertur totus Christus.

Resp. Dist. *ant.* Non est totus sensibilis *directe;* conc. *Indirecte*, seu concomitanter; nego. Licet enim non ponatur totus Christus vi significationis verborum, ponitur tamen concomitanter; ideoque ministri sacrificantis intentio ad totum Christum uti victimam respicit.

THESIS IV.

Christus D., ut existens sub speciebus, est res oblata in Sacrificio Missae.

202. **Nota.** Christus independenter et antecedenter ad consecrationem existit in propria specie, sicut existebat antecedenter ad sacrificium Crucis: consequenter autem ad consecrationem, cujus est terminus, existit sacramentaliter seu sub speciebus. Non quidem secundum illam priorem, sed secundum posteriorem existentiam, est Christus res in Sacrificio oblata.

1.° Prob. ex Trident., cujus verba atque doctrinam perpende in thesi praecedenti.

2.° S. Chrysostomus (2), prophetiam exponens Malachiae, ait: «Vide quam luculenter atque dilucide mysticam in»terpretatus mensam, quae est incruenta hostia.» Patet mysticam »mensam dicere Eucharistiam. Christus ergo, prout in Eucharistia existens, est hostia et victima. S. Ambrosius (3) quoque ait: «Tum ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur:

(1) Thes. II, n. 196.—(2) In ps. XCV.—(3) In ps. XXXVIII.

»imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sa»crificium quod offertur.» Ex quibus patet. Corpus Christi in terris offerri: sed est in terris secundum esse Sacramentale tantum: ergo. Item: eatenus Christus ipse offert, quatenus sermo ejus sanctificat Sacrificium quod offertur. Atqui quod sanctificat sermo Christi, non est Christus in propria specie, sed sub speciebus sacramentalibus existens: ergo solum sub speciebus est res oblata, seu Sacrificium. S. Irenaeus (1): «Suis discipulis dans consilium pri»mitias Deo offerre... cum qui ex creatura panis est accepit, dicens: »*Hoc est corpus meum:* et calicem similiter, suum Sanguinem con»fessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem.»

203. 3.° Sacrificium, seu res oblata, debet esse sensibile; postulat etiam actionem aliquam Sacerdotis in victimam; ipsa quoque victima est immutanda. Sed in Missa Christus non est sensibilis, neque terminat actionem Sacerdotis, neque immutatur, nisi ut existens sub speciebus: ergo.

204. Obj. 1.° Eadem offertur victima in Missa, quae in Sacrificio Crucis. Sed ibi oblatus fuit Christus in propria specie: ergo in Missa etiam.

Resp. Eadem individualiter et substantialiter: conc. *maj.* Eadem quoad existendi modum offertur victima: nego. Jam vero quod Christus sit sub speciebus sacramentalibus, ad accidentalem ipsius existendi modum pertinet.

Obj. 2.° Id quod offertur praesupponitur oblationi. Sed Christus praesupponitur tantum ut existens in propria specie: ergo ita existens offertur, et non sub speciebus.

Resp. Dist. *maj.* Quod offertur tamquam materia ex qua fit oblatio, praesuponitur oblationi; conc. Quod veluti terminus oblationis et sacrificii offertur, praesupponitur oblationi; nego *maj.* Deinde, concessa *minori*, negatur *conseq.*

Corollarium. Species oblatae intrinsece spectant ad rem in Sacrificio Missae oblatam.

---

(1) L. 4, c. 17, n. 5.

ARTICULUS II.

De oblatione panis et vini in Sacrificio Missae.

THESIS V.

Panis et vinum offeruntur in Missa tamquam materia ex qua fit sacrificium.

205. Prob. 1.° Conc. Carthag. II, can. 24, dixit: Ut in Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus obtulit, «hoc est, panis et vinum aqua mix»tum.» Et Ecclesia in antiphona quadam ait: «Sacerdos in aeter»num, Christus Dominus, secundum ordinem Melchisech, »panem et vinum obtulit.»

2.° S. Cyprianus (1) ajebat: «Per Melchisedech prae»cedit ante imago Sacrificii Christi, in pane, scilicet, et vino cons»tituta: quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem et ca»licem mixtum vino obtulit.» S. Irenaeus (2) pariter: «Prae»cepit Christus Apostolis ut primitias creaturarum, scilicet, panem »et vinum, Deo in Sacrificium offerant.»

206. 3.° Illud offertur in Sacrificio Missae, quod per ipsum Sacrificium sanctificatur in honorem Dei. Sed panis et vinum in Dei honorem sanctificantur: ergo. *Minor* prob. Per Sacrificium convertuntur panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi. Atqui hoc est sanctificari in honorem Dei: ergo. Probatur *min.* Quod convertitur in aliud, hujus participat excellentiam. Sed Corpus et Sanguis Christi consecrantur, seu sanctificantur in cultum Dei: ergo quod convertitur in Corpus et Sanguinem Christi, sanctificatur in honorem Dei.

Scholion. Ex his intelligitur, cur Ecclesia ante consecrationem etiam panem et vinum Deo offerat; quia, nempe, creaturae illae, quatenus in Corpus et Sanguinem Christi convertuntur, eo ipso in Dei cultum santificantur, et sunt terminus a quo actionis sacrificativae.

207. Obj. Una tantum est hostia in *Novo Testamento*, ipse Christus. Sed panis et vinum non sunt Christus; ergo non offeruntur in

---

(1) Ep. 63.—(2) L. 4, c. 32, 18.

Missa. *Major* patet ex Apostolo (1): *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei:* et ex Tridentino (2): «Una enim eademque est hostia.»

Resp. Dist. *maj.* Una est formaliter, seu in ratione hostiae; concedo *maj.* Materialiter, seu ratione termini a quo et ad quem oblationis; subd. In sacrificio cruento Crucis; conc. In Missae incruento sacrificio; nego.

Inst. Idem sunt Sacrificium Missae et Sacrificium Crucis: ergo sicut Sacrificii Crucis una est victima, ita et Sacrificii Missae.

Resp. Dist. *ant.* Idem sunt numero; nego *ant.* Idem sunt specie; subd. Quoad actionem sacrificativam: nego: quoad hostiam principalem, seu terminum ad quem oblationis; conc. Itaque ut objectio et instantia praecedens intelligantur, perpendere oportet: in omni oblatione praesupponi aliquid quod offeratur, et in omni sacrificio, aliquid circa quod actio sacrificativa versetur: terminum igitur a quo, et terminum ad quem in quolibet sacrificio inveniri necessum est. Hoc posito, perspicuum est, non multiplicari sacrificium formaliter, eo quod duplex in eo inveniatur extremum, sed potius unum formale ex utroque extremo fieri Sacrificium. Sic, ex. gr., aliud sane est agnus vivus et agnus mortuus, seu termini a quo et ad quem immolationis agni: tamen una est tantum victima formalis. Quod si actio sacrificativa fuerit adaequate conversiva, major forsan erit inter utrumque terminum diversitas; una tamen manebit sacrificii formalis ratio ex utroque coalescens termino.

208. Ex his ratio et unitas Sacrificii Missae, et ejusdem comparatio cum Sacrificio Crucis facile intelligetur. In *Sacrificio Crucis*, terminus a quo Christus vivus fuit, et terminus ad quem ipse Christus mortuus et exsanguis; *Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* (3). In *Sacrificio* autem *incruento Missae*, offert quidem se ipsum Christus ministerio Sacerdotis: non actione occisiva sui ipsius, sed actione conversiva panis et vini in Corpus et Sanguinem suum secundum esse sacramentale, per quod in statu victimae constituitur.

Proinde ex pane et vino, tamquam termino a quo, transubstantiatis in Corpus et Sanguinem Christi, una adaequata et formalis victima constituitur. Quod autem praecipue offertur, tum ex intentione offerentis, tum ex rei dignitate, est Corpus et Sanguis Christi, sicut supra dictum est. Utrumque respectum significare et comprehendere visa est Constantinop. Synodus in Can. 32. Trull.: «In Sacrificio Missae nihil plus quam Corpus »et Sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit; hoc est, »panis et vinum aqua mixtum.»

---

(1) Hebr. X, 12.—(2) Sess. XXII, c. 2. - (3) Hebr. IX, 14.

CAPUT III.

De actione Sacrificii eucharistici.

209. **Nota.** Cum in omni Sacrificio actio aliqua, quae circa victimam versetur, requiratur, quaerendum quae sit in Missa actio oblationem sacrificativam perficiens. Quia vero multiplex est offerentis Sacerdotis actio, quae sit Sacrificio essentialis dicemus.

ARTICULUS I.

De Actionibus accidentalibus Sacrificii Missae.

THESIS VI.

Oblationes panis et vini, quae fiunt ante consecrationem, et oblationes hostiae, quae fiunt post, non constituunt actionem Sacrificii.

210. I.ª pars prob. De iis oblationibus panis et vini nihil innuunt Evangelistae et Apostolus, qui de Eucharistiae Sacrificio loquuntur: neque eas Ecclesia universaliter et constanter adhibuit: neque necessariae sunt ad Sacrificium: sola enim immutatio victimae cum intentione colendi Deum sufficit. Proinde nulla est sufficiens ratio, qua possit actio Sacrificii in iis oblationibus reponi.

Confir. Ecclesia perspicue supponit, post tales oblationes non esse factum Sacrificium: ait enim: «Aeterne Deus, benedic hoc Sacrificium tuo sancto Nomini praeparatum.»

211. II.ª pars prob. In primis occurrunt eaedem rationes pro priori parte expositae. Praeterea, actio sacrificativa aliquid debet circa victimam praestare ad eam immutandam. Atqui per illas hostiae oblationes, quae consecrationem consequuntur, nihil in victima efficitur: ergo.

Insuper, preces illae, quibus ejusmodi oblationes perficiuntur, supponunt immolatam et consummatam esse victimam, non vero per eas immolari: dicitur enim: «Offerimus praeclarae Majestati »tuae de tuis donis et datis hostiam puram, hostiam sanctam, hos»tiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem sa-

»lutis perpetuae... Respicere digneris et accepta habere, sicut... »munera Abel, et Sacrificium Patriarchae nostri Abrahae...» Ejusmodi Ecclesiae orationes supponunt hostiam omnino sanctam et Deo consecratam; sed victima sanctificatur et consecratur Deo, quatenus sacrificatur; ergo supponunt Sacrificium peractum. Haec confirmantur verbis illis Ambrosii (in Ps. XXXVIII): »Tum »ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur: imo ipse »offerre monstratur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium »quod offertur.»

THESIS VII.

Neque fractio hostiae et mixtio cum calice, neque distributio Sacramenti ad communicandum populo, sunt actio sacrificativa seu de essentia Sacrificii.

212. I.ª pars prob. adversus Melch. Cano. 1.° Christus fractionem et mixtionem illam non fecit, neque ejusdem quidquam meminerunt Apostoli.

2.° Hic ritus fractionis et mixtionis non est universalis in Ecclesia: non enim habetur in liturgia S. Basilii. Ipsa Romana Ecclesia dispensat ab hac fractione hostiae, si tota forsan in calice cadat: atqui in substantialibus dispensare non potest. Sic, cum defectu veri vini, imperfectum fuit Sacrificium, praescribit iterari consecrationem, non autem fractionem et mixtionem.

3.° Praeterea, ut dictum est supra, ante ejusmodi actionem supponitur in orationibus, quae a sacerdote dicuntur, peractum esse Sacrificium. Ergo.

213. II.ª pars prob. 1.° Si communio populi esset de Sacrificii essentia, non posset praetermitti: atqui Tridentinum (1) definivit: »Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramen»taliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anath. »sit.»

2.° Usus Ecclesiae thesim confirmat: solet enim Sacrificia offerre, etiamsi populus ad communicandum non accedat. Similiter in *Veteri Lege* plura fiebant sacrificia, quorum particeps non erat populus: ergo haec participatio non est de ratione Sacrificii. Imo cum de Sacrificio participabant, illum perfectum et Deo oblatum supponebatur, juxta illud Apostoli (2): *Nonne qui edunt hos-*

(1) Sess. XXII, c. 8.—(2) I Cor. X, 18.

tias, participes sunt altaris? et verba illa Levitici (1): *Anima polluta, quae ederit de carnibus hostiae pacificorum, quae oblata est Domino, peribit de populis suis.* Hinc S. Chrysost. (hom de *Prodit. Judae*): «Pacem non inis, frustra Sacrificium participas... »Illud primum facito, pro quo Sacrificium oblatum est, et tunc illo »pulchre frueris.» Et in hom. 17 Ep. ad Hebr.: «Acclamat Sacer»dos, sanctos vocans (ad communionem), ut nemo accedat non »praeparatus.... Emittit hanc vocem, postquam peractum fuit Sacri»ficium.»

ARTICULUS II.

De actione essentiali Sacrificii Missae.

THESIS VIII.

Consecratio eucharistica est essentialis Sacrificio.

214. Prob. 1.° ex Innocentio III (2): «Ad quod officium »(altaris Sacrificium conficere) tria sunt necessaria: presbyter, et »illa solemnia verba... et fidelis intentio proferentis.» Atqui ordinatio et intentio ita sunt necessaria, ut sint essentialia; ergo et consecratio.

2.° Trident. (3) ait: «Sacerdotem se declarans secundum or»dinem Melchisedech, Corpus et Sanguinem suum sub spe»ciebus panis et vini Deo Patri obtulit.» Atqui non aliter se declaravit nisi dicens: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus:* ergo. Item ait: «Sacerdotibus ut offerrent praecepit per haec verba: »*Hoc facite in meam commemorationem.*» Atqui praecipuum quod *Hoc facite* significabat et Christus fecerat, erat consecratio: ergo oblatio Sacrificii in consecratione principaliter sita est.

3.° *Catechismus* Conc. Trid. ostendit, ipsum Christum esse Sacerdotem offerentem hoc Sacrificium: «Nam ministri, qui »Sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, »cum ejus Corpus et Sanguinem conficiunt... Neque enim Sacer»dos dicit: Hoc est Corpus Christi, sed: *Hoc est Corpus meum.*» Ergo oblatio et Sacrificium per ipsam efficitur consecrationem.

4.° S. Irenaeus (4) ait: «Cum Christus dixit: *Hoc est Cor-*

---

(1) C. VII, 20.—(2) *Profess. fidei.* pro Waldens.—(3) Sess. XXII, cap. 1.—(4) L. 4, c. 17.

»*pus meum*, et *Hic est Sanguis meus*, Novi Testamenti novam do»cuit oblationem.» Vide quoque verba Ambrosii in Thesi I. Et auctor Sermonis *de Coena Domini* (inter Cypriani opera), docet, per verba consecrationis, Eucharistiam fieri holocaustum. S. Chrysostomus (ibid. Thes. praec.) ait: «Vox haec (conse»crationis) semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam... »Sacrificium perfectum efficit.» S. Gregorius (1): «In ipsa immola»tionis hora ad Sacerdotis vocem, coelum aperiri, ima summis »conjungi, unum ex visibilibus et invisibilibus fieri.»

5.° Per consecrationem ponitur victima in altari, immutatur in honorem Dei et sufficienter significat supremum ejus dominium, repraesentans Christum mortuum: aliunde intentio est in Sacerdote offerendi sacrificium: ergo in consecratione nihil deficit, ut sit de essentia Sacrificii Missae.

THESIS IX.

Verisimilius est totam essentiam Sacrificii in consecratione reponi: communionem autem Sacerdotis ad integritatem pertinere.

215. I. Pars. Prob. 1.° Innocentius III (in Thes. praec.) docens, quae necessaria sunt ad offerendum Sacrificium, solam meminit consecrationis actionem: de communione autem nihil dixit. Item Concil. Toletan. XII arguit quosdam sacerdotes, quod «in una die plurima offerrent Sacrificia, et in sola extremi sa»crificii oblatione communionem sumerent.» Deinde reddit rationem propter quam reprehensibiles sunt: «Quasi non sit toties illi »vero sacrificio participandum, quoties Corporis et Sanguinis im»molatio facta constiterit.» Ex quibus elucet: existimasse Concilium, offerri Sacrificium, etiam ubi non communicat Sacerdos: insuper, communionem non esse ipsum Sacrificium, sed sacrificii peracti participationem: denique non esse communionem causam immolationis, seu sacrificii, sed e contra; ideo esse communicandum, quia facta est immolatio Corporis et Sanguinis Domini.

2.° Eruitur quoque ex Patrum relatis sententiis. Si enim post consecrationem quippiam essentiale ad Sacrificium deesset, non satis ostendisset Christus verbis suis oblationem facere, ut docet Irenaeus: neque constaret ipsum Christum offerre, eo quod ejus sermone fiat oblatio, juxta Ambrosium: nec sat firmum foret Sacrificium, quia dicuntur Christi verba: *Hoc est Corpus meum*, uti putabat Chrysostomus: neque tunc esse horam

(1) L 4. *Dialog.*

immolationis, ad mentem Gregorii. Confirmat Gregorius Nysen. (1): «Panis in principio panis est: at ubi illud mysterium »sacrificaverit, Corpus Christi est et dicitur:» ecce, consecratio, qua fit Corpus Domini, ipsa est Sacrificium.

216. 3.° Communio est *participatio de Altari*, juxta Paulum; sed participare de altari supponit peractum Sacrificium: sic enim intelligit Apostolus (2): *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus... Non potestis mensae Domini participes esse et daemoniorum.* Et Conc. Tolet. (ibid.): «Vero et sin»gulari Sacrificio participandum, quoties Corporis et Sanguinis Do»mini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit... Nam ecce »Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris?*» Ergo, peracta consecratione et ante communionem, nihil deest essentiae Sacrificii. Unde dicebat Chrysostomus (3): «Vox haec »(consecrationis) semel prolata in ecclesiis ad unamquamque men»sam, ab illo ad hodiernum usque tempus, et usque ad adventum »ejus *Sacrificium perfectum* efficit... Ad horrendum et sanctum Sa»crificium accedis. Reverere hujus oblationis argumentum (id est, »subjectum seu materiam); occisus jacet Christus.»

217. II.ª pars prob. 1.° Ipsa sacrificatio, seu consecratio, ad communionem ordinatur; ergo aliquod accedit complementum ad Sacrificium per communionem. *Ant.* patet ex forma ipsa consecrationis, quae connexa profertur cum invitatione: *Accipite et comedite: Hoc est enim...* Item Christus jussit simul utrumque fieri: *Hoc facite in meam commemorationem.*

2.° Toletan. Concilium XII, can. 5, ait: «Certum est, »quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacra»menti... Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans »particeps esse cognoscitur?» Exigit ergo Sacrificium istud Sacerdotis participationem, quae si praetermittatur, eidem Sacrificio non nihil derogare videtur. Non enim fit tantum reus violati alicujus praecepti, sed ipsius Sacramenti et Sacrificii: nam, *quale erit illud Sacrificium cui...*, etc.

3.° Id quoque supponit Ecclesiae praescriptio. Si moriatur Sacerdos ante communionem, debet Sacrificium ab alio sacerdote expleri, quod et notat D. Thomas (4). S. Chrysostomus (5) eos arguit, qui exeunt, nondum facta communione; dum Christi mysteria, ait, celebrantur, dum sanctum illud Sacrificium adhuc peragitur.

218. Obj. 1.° Christus Dominus est victima principalis, et qui-

---

(1) Lib. *de Bapt.* — (2) 1. Cor. X, 17, 21. — (3) Hom. I, de *Proditione Judae.* — (4) 3, P. q. 83, a. 6, ad 1. — (5) Hom. de *Bapt. Christi.*

dem quatenus est sub speciebus consecratis. Sed victima praesupponitur sacrificio, nam se habet veluti materia et objectum ejus: ergo actio sacrificativa est posterior consecratione.

Resp. Dist. *min.* Victima quae est terminus a quo sacrificii, praesupponitur; conc. Quae est terminus ad quem sacrificii, praesupponitur; nego *min.*

Obj. 2.° In Parasceve offertur sacrificium, uti supponit Ecclesia: «Fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo... Orate fratres, ut »meum ac vestrum Sacrificium...» Atqui non fit eo die consecratio: ergo.

Resp. Nego *maj.* quam et negat D. Thomas (1). Vocat utique Ecclesia Sacrificium eo sensu, quo victima sacrificata denominatur sacrificium. Quia, scilicet, die praecedenti hostia fuerat sacrificata, ipsius oblatio *denominative*, non *essentialiter*, vocatur ea die sacrificium.

219. Obj. 3.° Per sacrificium immutanda est victima: atqui per consecrationem non immutatur, sed ponitur solum in altari: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Immutanda, id est, destruenda est victima; nego. Ita immutari debet, ut vi actionis quae circa victimam exercetur, innuatur suprema Dei excellentia et dominium; conc. *maj.* Licet victimae immutatio, communiter et naturaliter, fieri nequeat nisi per actionem rei destructivam; supernaturaliter autem et virtute divina fit ejusmodi immutatio in Eucharistia per actionem productivam et conversivam. Producitur enim, sub speciebus panis et vini, Corpus et Sanguis Christi in cibum et sanctificationem animarum, et in symbolum mortis cruentae ipsius Christi. Atqui productio talis victimae, et in tali statu, mirifice repraesentat summam Dei excellentiam et supremum dominium, nam ipsa actio propria est divinae Omnipotentiae, utpote creativa; cibus et sanctificatio animarum opus est etiam virtutis Dei; significatio autem mortis Christi refert illam Dei excellentiam, propter quam *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis* (2). Quapropter quae unquam extitit victima, vel victimae destructio, quae ita proprie ac plene summam excellentiam ac supremum Dei dominium testaretur?

Obj. 4.° Sacrificium Missae habet perfectionem holocausti, quod totaliter in Dei honorem destruendum est: «Hoc enim holocaus»tum, haec victima pro peccatis, haec hostia pacifica, hoc juge sa»crificium, haec munda oblatio, quam in omni loco Malachias »praedixit offerendam» (3). Sed Sacrificium Missae non destruitur

---

(1) 3, P. q. 83, a. 2, ad 2.—(2) Philip. II, 8.—(3) Conc. Senonen. an. 1528.

totaliter nisi in sacerdotis communione: ergo haec spectat ad essentiam Sacrificii.

Resp. Dist. *maj*. Totaliter destruendum materialiter; nego. alioquin nec Crucis Sacrificium fuisset holocaustum. Formaliter. quatenus totum Sacrificium in cultum Dei consecratur. quin aliquid usui humano cedat: conc. *maj*. Corpus et Sanguis Christi sub speciebus sacramentalibus sunt perfectum holocaustum. quia ad Dei cultum totaliter ordinantur. Licet enim deinde a Sacerdote et ceteris fidelibus sumantur. hoc ipsum in Dei cultum et honorem cedit. ut dictum est: est enim talis usus quoddam Sacramentum. ideoque non profanus, sed sacer et divinus; ipsaque destinatio ad talem usum est testimonium divinae excellentiae.

ARTICULUS III.

Sacrificii essentia sub quo respectu consecrationi vindicatur.

THESIS X.

Consecratio constituit essentiam Sacrificii, quatenus per illam fit mystica mactatio, seu separatio, vi verborum, Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus.

220. **Nota**. In utraque specie fit vera consecratio: nam vi verborum. panis convertitur in Corpus Chtisti. vinum in Sanguinem. concomitanter autem utrumque convertitur in totum Christum. Dubitatur ergo. an quaevis consecratio sit plena Sacrificii essentia. an utraque simul. Primum tenuerunt aliqui DD., secundum defendimus cum Bellarmino, Suarezio et D. Thoma (1).

Prob. Hoc Sacrificium essentialiter constitutum est in mystica immolatione Christi. seu expressa repraesentatione cruenti Sacrificii Christi: atqui eatenus tale est. quatenus per consecrationem ponitur sub distinctis speciebus Corpus et Sanguis Christi; ergo.

Maj. prob. 1.° Tridentinum (2) ait: «Ut dilectae sponsae »suae Ecclesiae... relinqueret Sacrificium. quo cruentum illud in »Cruce peragendum repraesentaretur. ejusque memoria in finem

(1) 3, P. q. 80, a. 12, ad 3, q. 83, a. 1. – (2) Sess. XII, cap. 1.

»usque saeculi permaneret... Corpus et Sanguinem suum sub spe»ciebus panis et vini Deo Patri obtulit... Novum instituit Pascha, »se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes immolandum in memoriam »transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis »effusionem nos redemit.» *Catechismus* etiam Concilii id explicat (n. 70): «Nec vero Salvator noster ullam suae erga nos im»mensae charitatis illustriorem significationem dare potuit, quam »cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruentum illud semel »in Cruce paulo post immolandum instauraretur, ejusque memoria »usque in finem saeculi quotidie coleretur.» Ergo duo haec aperta sunt. a) Hoc Missae Sacrificium esse repraesentationem immolationis Christi in Cruce. b) Esse immolationem, qua mystice instauratur illa quae facta est in Cruce.

2.° Ex verbis Christi D. *Hoc facite in meam commemorationem*, seu in memoriam mortis meae, ut interpretatur Apostolus (1).

3.° S. Cyprianus (2) dicit: «Et quia passionis ejus mentio»nem in sacrificiis omnibus facimus, passio est enim Domini Sa»crificium quod offerimus, nihil aliud quam quod ille fecit facere »debemus.» Eusebius Caesar. (3): «Mirabilem victimam Sa»crificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra salute obtu»lit; ejusque memoriam, ut nos ipsi Deo pro Sacrificio offerremus, »instituit... Sacrificamus et incendimus memoriam magni illius »Sacrificii... mysteria celebrantes.» S. Chrysostomus (4): »An non quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem »revocamus in memoriam; et ipsa una est, non multae... Non aliam »hostiam, sicut Pontifex, sed eamdem semper facimus, vel potius »Sacrificii efficimus commemorationem.» Ecce quam sit huic Sacrificio intrinseca commemoratio mortis Christi, ut ex illa deducat Chrysostomus Sacrificii unitatem.

221. **Minor** probatur. 1.° Ex ejusdem Tridentini verbis laudatis: «Ut Sacrificium in Cruce peragendum repraesentaretur... »Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri »obtulit.»

2.° S. Cyprianus (ibid. n. 4): «Praecedit antea imago Sa»crificii Christi, in pane et vino constituta, quam rem perficiens »Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit...» Deinde (n. 9): «Unde apparet Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum »calici, nec Sacrificium Domini cum legitima sanctificatione cele»brari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni.» Vult, nempe, probare Cyprianus, sacrificium offerendum

---

(1) I Cor. XI, 25, 26.—(2) Ep. 63, n. 17.—(3) *Demons. Ev.* l. 1, c. 10.—(4) Hom. 17, *in* Ep. ad Hebr.

etiam sub specie vini, et hanc, praeter alias, assignat rationem: quod aliter non offertur Sanguis (sub specie sensibili), et consequenter Sacrificium nostrum non respondet *Passioni*, id est, non repraesentat Sacrificium cruentum. Ut eamdem confirmet doctrinam, alium typum exponit ejusdem Sacrificii: «Noe typum futurae »veritatis ostendens, non aquam, sed vinum bibit: et sic imaginem »Dominicae passionis expressit.» Eusebius Caesar. (ibid. confirmat: «Cum ergo hujus Sacrificii memoriam signis quibus»dam in mensa celebrandam, Corporisque item illius, salutarisque »Sanguinis, ut *Novi Testamenti* institutum habet, acceperimus...» Hanc autem memoriam Sacrificii Crucis, et Corporis ac Sanguinis Christi, esse quoque Sacrificium docet: «Merito sane, quando il»lius memoriam, Corporisque ejusdem et Sanguinis recordationem »quotidie celebrant, et ad longe praestantius et Sacrificium et mu»nus assumpti sunt, quam illud antiquius (Veter. Testam.) fuerit.» Unde patet duobus signis tum Corporis, tum Sanguinis, constare hoc Sacrificium.

3.° Essentia Sacrificii Missae pendet e Christi voluntate: ergo ex verbis et factis illius judicandum, quid illud essentialiter constituat. Atqui obtulit Christus sub utraque specie, explicite significando effusionem Sanguinis: *Hic est Sanguis... qui pro vobis et multis effundetur:*» et dixit: *hoc facite in meam commemorationem:* ergo cum sit de essentia Sacrificii quod sit legitimum, constituitur essentialiter Missae Sacrificium per consecrationem sub utraque specie, seu per mysticam mactationem.

222. Obj. Sub consecratione cujusque speciei invenitur perfecta Sacrificii ratio; ad essentiam ergo Sacrificii Missae non requiritur utraque species.

Resp. Dist. *maj.* Remote seu quoad aptitudinem; conc. Sacrificii a Christo instituti; nego vel subdist. Sacrificii inchoati; conc. Completi; nego. Utique in consecratione cujusque speciei ea omnia concurrunt, quae ad rationem Sacrificii sufficerent, si Christus Dominus unam tantum voluisset ad Sacrificium speciem assumere: verum ut clarius mortem suam repraesentaret et in memoriam hominum revocaret, statuit utriusque speciei consecrationem sub una clariori significatione conjungere; ideoque ejusmodi perfectius signum Deo Patri in Sacrificium offerri voluit.

223. **Corollarium.** Numquam licet unam sine altera speciem consecrare; neque fructus Sacrificii applicatur ante consecrationem utriusque speciei.

THESIS XI.

Consecratio est de essentia Sacrificii, non tantum quatenus est effectio et separatio mystica in facto esse termini ad quem (Corporis et Sanguinis Christi), sed etiam quatenus est transubstantiatio, seu destructio termini a quo (panis et vini) et effectio termini ad quem in fieri.

224. Ita Suarez contra nonnullos DD. scholasticos dicentes sitam esse essentiam Sacrificii in mystica separatione termini ad quem; transubstantiationem autem esse praeviam et praesuppositam Sacrificio, seu mysticae mactationi.

Prob. 1.° Si consisteret sacrificium in illa separatione mystica in facto esse, quamdiu perduraret illa separatio, seu quamdiu permanerent species, perduraret Sacrificium. Sed hoc est falsum: cum enim sit quaedam victimae immutatio, facta immutatione cessat Sacrificium; ergo.

2.° Sacrificium consistit actione: *Sacrum facere*. Atqui post transubstantionem nulla succedit actio, sed simplex tantum permanentia Corporis et Sanguinis Christi in mystica separatione; ergo in consecratione, quatenus est actio transubstantiativa, est essentia Sacrificii.

3.° Sacrificium Crucis factum fuit per actualem oblationem passionis, non vero per Corpus et Sanguinem Christi separatim existentia: tunc enim non erat amplius Sacerdos offerens. Atqui actualis passio Christi non significatur per separationem mysticam in facto esse, sed per actualem separationem seu transubstantiationem; ergo in hac sita est Sacrificii repraesentativi et incruenti essentia: per hanc enim fit mystica mactatio, sicut per actualem passionem illa cruenta facta fuit.

4.° Per hoc sacrificium offeruntur etiam panis et vinum, ut supra dictum est (1). Sed post transubstantiationem, vi cujus desinunt panis et vinum, nulla est actio quae attingat panem et vinum; ergo in ipsa transubstantiatione completur Sacrificium, seu oblatio, tum termini ad quem ut principalioris, tum termini a quo ut minus principalis.

225. Obj. Hoc Sacrificium est repraesentativum Sacrificii Crucis.

---

(1) Thes. V, 205.

Atqui consecratio in fieri seu transubstantiatio, nihil repraesentat, cum sit insensibilis: ergo in illa praesentia et separatione Corporis et Sanguinis, prout de facto existunt... sub distinctis speciebus, consistit Sacrificium.

Resp. Dist. *maj*. Est repraesentativum ad modum actionis, quatenus dum fit hoc sacrificium incruentum, repraesentatur illud aliud cruentum; conc. Repraesentat Sacrificium Crucis ex parte termini tantum; nego *maj*. Nempe cum perficiatur consecratio per verba formae, sufficienter percipi potest, transubstantiari vi verborum panem in Corpus Christi, vinum in Sanguinem, quod quidem mactationem realem Christi in Cruce repraesentat.

CAPUT IV.

De excellentia et virtute SSmi. Sacrificii Missae.

ARTICULUS I.

De excellentia Sacrificii Missae.

THESIS XII.

Sacrificium Missae non differt esssentialiter a Sacrificio Crucis, sed accidentaliter, quoad rem oblatam et Sacerdotem offerentem: differt tamen quoad ritum.

226. I.ª pars prob. 1.° Tridentinum (1) ait: «Una eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tum in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.»

2.° Eamdem doctrinam explanat *Catechismus Rom.* (2). «Unum itaque et idem Sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in Missa peragitur, et quod in Cruce oblatum est: quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui se ipsum in ara Crucis... Sed unus etiam atque idem Sacerdos est Christus D.; nam ministri, qui Sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cum ejus Corpus et Sanguis confi-

(1) Sess. XXII, c. 2.--(2) Pars 2.ª, nn. 76, 77.

citur.» Vide etiam quae supra (1) de victima hujusce Sacrificii dicta sunt.

3.° Irenaeus (2) dixit: «Per Jesum Christum offert Ecclesia.» S. Cyprianus (3): «Sacerdos in altare vice Christi fungitur, »et Sacrificium Deo Patri offert.» Augustinus (4): Christus »ipse offerens, ipse est oblatio.» Et Ambrosius (5), supra, eamdem tradit doctrinam.

II.ª pars, differre nempe. Sacrificium Missae a Sacrificio Crucis *accidentaliter*, aperta est. Nam Christus in Cruce immediate offerebat Sacrificium; in Missa autem, mediate offert Sacerdotum ministerio: victima autem ibi in naturali specie, hic autem in Sacramentali offertur.

III.ª pars prob. Actio sacrificativa spectat ad essentiam Sacrificii: ut patet ex dictis in *Praeambulo*. Sed differt actio Sacrificii Missae ab actione sacrificativa in Cruce: ergo. Confir. Essentialiter postulat Sacrificium visibile ritum externum. Sed ritus externus diversus est omnino in Missa ac in Cruce: ergo.

Obj. Paulus (6) docet, alios Sacerdotes easdem saepe offerre hostias; Christum autem unam tantum hostiam et *semel* obtulisse: ergo post Crucis Sacrificium non amplius Christus est nec hostia neque offerens.

Resp. Dist. *ant.* Unam tantum hostiam et *semel* obtulisse, oblatione, seu Sacrificio efficaci; conc. Oblatione *applicativa* effectus Sacrificii; nego ant. Loquitur enim Paulus de Sacrificio cruento pro satisfactione oblato, quod utique unum fuit ac semel oblatum: id patet ex cap. IX, ubi conferens pluralitatem Sacrificiorum *Veter. Test.* cum Sacrificio Christi, ait (v. 11, 12): *Christus autem... per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta aeterna redemptione inventa:* et Cap. X, 14, iterum: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

THESIS XIII.

SSmum. Missae Sacrificium habet omnium antiquorum Sacrificiorum virtutem et excellentiam.

227. Prob. 1.° Ex Tridentino (7): «Et haec quidem illa »munda oblatio est... quae per varias sacrificiorum naturae et le»gis tempore similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia

---

(1) Thesis III, et IV.—(2) Lib. 4, c. 32. (37).—(3) Ep. 63.—(4) L. 20 de *Civit. Dei*, c. 20.—(5) Thes. VI, n. 211.—(6) Hebr. X.—(7) Sess. XXII, c. 1.

»per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfec»tio, complectitur.» Ecclesia sic orat (1): «Deus qui legalium diffe»rentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti...»

2.° S. Augustinus (2): «Id Sacrificium successit omnibus »illis Veter. Testamenti, quae immolabantur in umbra »futuri... pro omnibus illis sacrificiis et oblationibus Corpus ejus »offertur et participantibus ministratur.» Eusebius Caesar. (3): «Quando... ad longe praestantius Sacrificium assumpti »sunt, quam illud antiquis fuerit... non amplius fas esse putamus »in prima illa et infirma elementa recidere, quae utique signa quae»dam et imagines, non ipsam veritatem complectuntur.» Patet igitur, sicut excellentius est Corpus umbra, et res superat imaginem, ita eminere hoc Sacrificium supra omnia antiqua, in perfectione et virtute. Jure proinde affirmat (ibid.) Eusebius: «Sacrificamus Deo »plenum et sacrosanctum Sacrificium.» Vide quoque supra (4) Concil. Senonensis sententiam; praeter quam, dicit etiam (ibid. decret. 11): «Nihil igitur in sacrificiis majus esse potest, »quam Corpus et Sanguis Christi, nulla potior oblatio.»

ARTICULUS II.

De virtute Sacrificii Missae.

THESIS XIV.

Sacrificium Missae est honorarium, seu holocaustum: gratiarum actionis, seu eucharisticum.

228. I.ª pars prob. quae est theologice certa et catholica.

1.° Patet ex dictis: cum enim sit verum sacrificium, necessario est honorarium, et cum totaliter ad cultum Dei ordinetur, habet rationem holocausti.

2.° Sacerdos principalis est infinita fulgens dignitate: victima autem infiniti est pretii: ergo summum honorem Deo tribuit.

3.° Quantum hoc Sacrificio honorificetur Deus, significavit per Malachiam (5): *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo*

---

(1) Domin. VII, post Pent. Orat. secr.—(2) De *Civit. Dei*, l. 17, c. 20.—(3) *Demons. Evang.* l. 1, c. 10.—(4) Thes. IX, n. 219.—(5) C. I, 11.

oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Quae quidem commentans Irenaeus ait (1): «Manifestissime significans per haec, quoniam prior popu»lus cessavit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, »et hoc purum, nomen autem ejus glorificatur in gentibus.» Vide Trident. Conc. et Eusebium in secunda parte Thesis.

229. II.ª pars prob. Est catholice certa, et saltem proxima fidei.

1.° Trident. (2): «Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum »esse laudis et gratiarum actionis; anath. sit.» 2.° Eusebius Caesar. (3): «Sacrificamus Deo altissimo Sacrificium laudis... »sacrificamus et incendimus in memoriam magni illius Sacrificii, »secundum ea quae ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, et »gratias Deo pro salute nostra agentes.» S. Justinus (4): «Si»milae oblatio figura erat panis Eucharistiae, quam D. N. Jesus »Christus fieri praecepit... et ut simul gratias agamus Deo, tum »quod mundum creaverit, tum...» S. Irenaeus ait (5): «Offe»rimus enim ei non quasi indigenti, sed gratias agentes domina»tioni ejus.»

3.° Aliquod donum benefactori offerre est optimum signum gratiarum actionis; unde dicit Propheta (6): *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Atqui Eucharistia est summum pretii donum; ideoque Ecclesia ait: «Offerimus de tuis donis ac da»tis, hostiam puram, hostiam sanctam...» Ergo.

THESIS XV.

Novae Legis Sacrificium est propitiatórium, seu pro peccatis; et impetratorium.

230. I.ª pars, quae est de fide catholica, probatur.

1.° Trident. (ibid.): «Si quis dixerit, Missae Sacrificium esse »laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sa»crificii Crucis, non autem propitiatorium... neque pro peccatis, »poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; »anath. sit.»

2.° Paulus (7) docet: *Omnis Pontifex... constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Atqui Missa est Sacrificium, offerens autem verus Sacerdos: ergo.

3.° In liturgia S. Jacobi dicitur: «Offerimus tibi incruen»tum Sacrificium pro peccatis nostris...» S. Cyprianus (8)

---

(1) L. 4, c. 17.–(2) Sess. XXII, can. 3, et cap. 3.—(3) De demonstr. Ev l. I, c. 10.—(4) Dialog. *cum Triph.* n. 41.–(5) L. 4, c. 18.—(6) Ps. CXV, 12.—(7) Hebr. V, 1.–(8) L. de *Lapsis.*

arguit, quod lapsi ad communionem accederent, «ante purga»tam conscientiam Sacrificio et manu Sacerdotis.» S. Ambro»sius (1): «Nunc Christus offertur, quasi recipiens passionem: »et offert se ipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.» S. Chrysostomus (2): «Quis hominum, dic mihi, sine peccato »est? Sed propterea Sacrificium et Ecclesia... Habes Ecclesiam Sa»crificia offerentem, orationes Patrum... quae te a peccato ad justi»tiam revocare possunt.»

4.° Sacrificia antiqua erant propitiatoria: vide Job. c. I, 5 et c. XLII, 8: Levit. cc. IV, V, VI. Atqui longe perfectius est Missae Sacrificium: ergo.

231. II.ª pars fide catholica *certa* est.

Prob. 1.° Ex Trident. Concilio (ibid.), ut in I parte.

2.° Ex liturgiis tum hodiernis, tum antiquissimis, Jacobi. Clementis. Basilii, etc.: in omnibus enim supplicationes inter offerendum, et pro merito tanti Sacrificii, fiunt pro pace, fructibus, etc.

3.° Tertullianus (3): «Sacrificamus et pro salute Imperato»ris.» Cyrillus Hierosolym. (4): «Postquam confectum est »spirituale Sacrificium, super ipsa propitiationis hostia, obsecra»mus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro regibus, pro mi»litibus, pro sociis...»

4.° In *Veteri Lege* institutae quoque erant hostiae pro beneficiis impetrandis: Reg. 2, c. XXIV, 2 Machab. c. III, etc. Confir. Facilius est amicis dona conferre, quam inimicis: ergo si efficax est Missa pro peccatorum remissione, multo praestantior erit pro aliis beneficiis impetrandis.

232. Obj. 1.° Vetera Sacrificia non expiabant peccata: ergo illorum argumento nihil probatur.

Resp. Dist. *ant.* Peccata legalia; nego. Peccata moralia; subd. Non expiabant virtute propria; conc. Virtute figurati Sacrificii; nego.

Obj. 2.° Irenaeus (5) ait: «Non sacrificia sanctificant homi»nem... sed conscientia ejus qui offert, sanctificat sacrificium.» Ergo.

Resp. Dist. *ant.* Sacrificia *Veteris Legis;* conc. Sacrificium *Novae Legis* non sanctificat: nego *antec.*

Inst. Dicit ipse Irenaeus (ibid): «Quoniam igitur cum sim»plicitate Ecclesia offert, juste munus ejus purum Sacrificium de-

---

(1) De *Offic.* l. 10, 48.—(2) Hom. in Petrum et Eliam.—(3) Lib. ad *Scapul.* – (4) *Cateches.*—(5) L. 4, c. 18.

»putatum est.» Ergo etiam in *Novo Test.* «Qui offert. sanctificat »Sacrificium, non e converso.

Resp. Dist. et explico *ant.* Deputatum est purum Sacrificium, ex eo tantum quod cum simplicitate offertur; nego. Etiam deputatum purum. quia offert Ecclesia cum simplicitate; subd. Quoad fructum retributionis; conc. Quoad fructum ex sanctitate victimae et offerentis principalis; nego. Nam nostri Sacrificii sanctitatem non refert S. Irenaeus ex sola sanctitate Ecclesiae, sed etiam quia offert Sacrificium *purum*. Corpus, nempe, et Sanguinem Dñi. et quia Ecclesia offert per Jesum Christum. ut patet ibid. c. 17. nn. 5. 6. Verumtamen. quia Deus non nobis tale ac tantum dedit munus ipsi offerendum propter suam necessitatem, sed propter nostram utilitatem (ibid. c. 18. n. 6): ideo. quoad fructum intentum. non placet Deo Sacrificium. nisi offerentes cum simplicitate offerant. id est. ab iniquitate recedant: propterea orat Ecclesia divinam offerens hostiam: *Ut placeat tibi Domine Deus.*

233. Obj. 3.° cum Calvino. Si Missa est propitiatorium Sacrificium. enervatur Crux Christi, fit injuria Sacrificio cruento; ergo. *Ant.* prob. Crucis Sacrificium habet vim infinitam et aeternam ad peccata remittenda. Sed si alia inferuntur propitiatoria Sacrificia. virtus illius supponitur limitata: ergo.

Resp. Nego *ant.* et dist. *min.* prob. Si alia sacrificia sint conmemorativa Sacrificii Crucis et applicativa fructuum ipsius: nego. Aliter; permitto.

Obj. 4.° Apostolus quamlibet excludit oblationem pro peccato, post Sacrificium Crucis: ergo. *Ant.* prob. *Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos:... peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius* (1). *Ubi autem horum remissio. jam non est oblatio pro peccato.* Ergo Apostolus quamlibet...

Resp. Nego *ant.* et explico Apostoli verba. Jam non est oblatio *redemptiva* pro peccato; conc. Non est oblatio *applicans* redemptionem et remissionem; nego. Unde quemadmodum aplicatio Sacrificii Crucis, quae fit per Sacramenta, per fidem etc., non opponitur virtuti illius oblationis in cruce; ita neque applicatio quae per Missae Sacrificium perficitur.

---

(1) Hebr. X, 14, 17, 18.

CAPUT V.

De efficientia et valore Sacrificii Missae.

ARTICULUS I.

De Effectibus Smi. Sacrificii Missae.

THESIS XVI.

SSmum. Missae Sacrificium habet aliquem effectum ex opere operato.

234. Haec doctrina est communis DD. cum D. Thoma (1).

Prob. 1.° *Catechis.* Concil. Tridentini (2) docet: «Ut »Sacramentum est, meriti causam affert... Ut autem Sacrificium »est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam con»tinet. Nam ut Christus D. in passione sua pro nobis meruit ac sa»tisfecit, sic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiscum communi»cantur dominicae passionis fructus, merentur ac satisfaciunt.»

2.° Tridentinum Conc. (3) ait, institutum esse hoc Sacrificium, ut Sacrificii Crucis virtus nobis applicaretur, pro peccatis, poenis, ac satisfactionibus debitis. Sed sola efficacia ex opere operantis procedens non sufficit, ut institutum dicatur Sacrificium Missae ad eam virtutem habendam: etenim si objective tantum et fidem movendo ex opere operantis causaret, quamvis non esset Sacrificium, nec a Christo ad id institutum, id effectus sequeretur ex communi providentia; ut accidebat in veteribus Sacrificiis, et evenit in praedicatione, et meditatione passionis, et aliis virtutum actibus.

3.° Juxta Ecclesiae doctrinam, fructus Sacrificii est independens a justitia offerentis: ergo oritur ex opere operato. Confir. Nisi haberet Missae Sacrificium effectum ex opere operato, non plus valeret quam oblatio communionis, vel passionis Christi interno affectu exhibita: sed hoc est contra communem fidelium sensum: ergo.

---

(1) 3 p. q. 79, a. 5.—(2) De *Euchar.* n. 71.—(3) Sess. XXII, c. 1 et 2.

235. Obj. 1.° Effectus ex opere operato, qui tribuitur Sacrificio Missae, vel intelligitur quoad sufficientiam tantum, vel quoad efficaciam, seu applicationem. Sed neutrum dici potest: ergo. *Min.* prob. Primum, quod hujus Sacrificii effectus intelligi nequeat de mera sufficientia, patet ex Tridentino (1); applicatur enim virtus passionis Christi, ita ut peccata etiam ingentia dimittantur. Quod effectus autem ex opere operato non possit ei tribui quoad efficaciam, probatur. Nam nequit esse majoris perfectionis et virtutis Sacrificium Missae, quam Sacrificium Crucis. Atqui hoc Sacrificium non habuit effectum ex opere operato quoad efficaciam: ergo neque Sacrificium Missae.

Resp. Concedo effectum ex opere operato non intelligendum de mera sufficientia, seu in actu primo tantum; sed quoad efficaciam, seu in actu secundo. Unde distinguo ultimam *min.* Sacrificium Crucis non habuit effectum... deffectu perfectionis intrinsecae: nego. Quia noluit Deus applicationem per ipsum Sacrificium Crucis immediate fieri; conc. *min.* Deinde nego *conseq.* Nam ex decreto et promissione divina adnexa est efficacia, seu applicatio meritorum Christi, Sacrificio Missae, ut docuit Trident. supra citatum.

Obj. 2.° Efficacia Sacrificii Missae in eo fundatur quod talis sit offerens, nempe, Christus: ergo ejusdem effectus potius pendet ex opere operantis, scilicet, ex merito et impetratione Christi, quam ex opere operato.

Resp. Dist. *ant.* Fundatur remote, quatenus decens erat, ut tali Sacrificio Deus efficaciam adnecteret; conc. Proxime et immediate; nego *ant.* Nam immediate pendet efficacia ex divina promissione; intuitu enim talis offerentis et talis victimae promisit Deus tantam efficaciam tali Sacrificio. Deinde, nego *conseq.* vel distinguo *consequens.* Effectus est ex merito Christi offerentis; nego: non enim est Christus in statu merendi. Effectus Sacrificii est ex impetratione Christi; subdist. Independenter ab ipso Sacrificio ac divina promissione: nego iterum *conseq.* Ex impetratione innixa Sacrificio et divina promissione; permitto. Si enim Deus ita decrevisset, ut efficax foret Sacrificium, non tantum ratione sui, sed ratione Christi offerentis et per tale Sacrificium effectum promissum obsecrantis; nullatenus id obstaret effectui ex opere operato.

---

(1) Sess. XXII, cc. 1, 2.

THESIS XVII.

Sacrificium Missae habet, praeter effectum ex opere operato, vi suae institutionis, specialem vim ad impetrandum effectum pro quo offertur.

236. Est haec doctrina catholica et certa.

Prob. 1.° ex communi sensu Ecclesiae. Tum ex praesentibus, tum ex antiquissimis liturgiis patet, offerri Missae Sacrificium pro quibuslibet necessitatibus, cum fiducia impetrandi virtute tanti Sacrificii: ergo mens Ecclesiae est, ad effectum aliquem ejusmodi virtutem impetrativam accepisse.

2.° Concilium Trident. (1) ex natura et dignitate hujusce Sacrificii repetit, quod possit, non solum pro peccatis, sed etiam pro quibuslibet aliis necessitatibus offerri: ergo habet ex se vim ad impetrandum.

3.° Vis impetrativa orationis augetur, si grata obsequia bonorum operum eidem adjiciantur. Atqui hoc Sacrificium ex natura sua est gratissimum Dei obsequium, quatenus talis est hostia, talis offerens Christus: ergo vi suae institutionis...

4.° In Antiqua Lege constituta erant specialia sacrificia pro beneficiis a Deo impetrandis: sed hoc Sacrificium habet omnem perfectionem ac virtutem antiquorum; ergo institutum etiam est a Christo, ut facilius bona impetremus a Deo.

Obj. Effectus, qui hoc sacrificio impetratur, pendet ab oratione offerentis: ergo non distinguitur ab effectu ex opere operantis.

Resp. Dist. *ant.* Ab oratione offerentis tantum; nego. Ab oratione innixa et commendata tali ac tanto Sacrificio; conc. *ant.*

THESIS XVIII.

SSmum. Missae Sacrificium non confert directe et ex opere operato primam gratiam.

237. Haec sententia est communis ac certa.

Prob. 1.° Ejusmodi effectus procedere deberet, si existeret, ex lege et promissione Christi. Atqui nullo probabili constat fundamento, talem legem Christum D. statuisse: ergo. *Major* patet. Nam Sacrificii natura talem effectum non postulat: deinde, ipsum Crucis Sacrificium effectum hunc non habuit: cur igitur istud incruen-

(1) Sess. XXII, cap. 2.

tum ex se et independenter a Christi lege illum haberet? *Minor* etiam est aperta, cum nec Scriptura, nec Concilia, neque Patres talem legem existere docuerint.

2.° Trident. (1) ait: «Hujus quippe oblatione placatus Do»minus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et pec»cata dimittit.» Ergo solum indirecte et mediante poenitentia confertur remissio peccatorum ac prima gratia per hoc Sacrificium. Vide etiam Tridentinum in *Prooemio* Sess. VII.

3.° Si Sacrificium per se et directe causaret primam gratiam ex opere operato, qui cum sola attritione offert illud, justificaretur: item et ille pro quo Sacrificium fieret, eo etiam nesciente, remissionem peccatorum susciperet: sed haec sunt in Ecclesia plane inaudita; ergo.

4.° Praeterea, si tantam haberet Sacrificium virtutem, nec confessio peccatorum necessaria esset necessitate medii, nec oporteret praemittere sacramentum poenitentiae ante Missae celebrationem. Non primum; si enim ad finem assequendum duo dantur sufficientia media aeque directa et efficacia, quodlibet eorum non erit necessarium: non secundum; absurdum est enim quod medium existentiam finis praesupponat et praerequirat.

238. **Corollarium**. Dici nequit conferri immediate (id est, sine contritione vel confessione) per hoc Sacrificium primam gratiam ad modum impetrationis. Nam virtus haec impetrativa Sacrificii ordinatur ad orationis efficaciam augendam. Sed oratio quaelibet petit, saltem implicite, remissionem peccatorum per contritionem et confessionem; haec enim sunt jure divino de necessitate medii; ergo eodem modo, id est mediate, potest impetrare Sacrificium. Confir. Imprudens foret oratio, ut Deus sine Baptismo aliquem justificaret, vel vitam nolenti cibum sumere conservaret: ergo a pari imprudenter fieret petitio, quod Deus praetermitteret media a se praescripta ad justificandam. Sed sacrilegum est contendere, quod Sacrificium imprudentem confirmet orationem: ergo.

239. Obj. 1.° Dixit Dominus: *Effundetur in remissionem peccatorum* (2). Locutum autem esse Christum de effusione mystica in altari, plures censent Patres et DD. Sic ex. gr. Augustinus (3): «Super altare Corpus Domini offertur... ubi et pro peccatoribus »Christi Sanguis effunditur.» Vide supra (4) plures Patrum sententias, mundari peccata per hoc Sacrificium, asserentes.

Obj. 2.° Certum est offerri Missam pro remissione peccatorum. Atqui non offertur propter remissionem in actu primo, seu quoad

---

(1) Sess. XXII, cap. 2.—(2) Matth. XXVI, 28.—(3) Serm, 4, de Innoc. —(4) Thes. XV, n. 230.

sufficientiam; hoc enim in Cruce peractum est: ergo pro remissione in actu secundo, vel ex opere operato, vel saltem ad modum impetrationis.

Resp. Ad haec intelligenda et solvenda, sit sequens

THESIS XIX.

Hoc Sacrificium potest nobis impetrare sufficientem dispositionem ad primam gratiam.

240. Est communis Theologorum doctrina, cum Div. Thoma (1).

Prob. 1.° Deducitur ex praemissis. Offertur Missa ad remissionem peccatorum. Non autem ut remittantur ex opere operato offerri potest: ergo per modum impetrationis. Atqui non impetrat ut peccata immediate remittantur; ergo saltem mediate per congruam dispositionem.

2.° Tridentinum (2) docuit: «Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens...» Sed gratia et donum poenitentiae est dispositio ad gratiam, ut constat ex eodem Trident. (3): ergo hoc Sacrificium potest...

Ex his intelliges objectiones in thesi praecedenti positas.

SCHOLION

241. Inquirunt theologi, an *infallibiter* auxilia illa quibus homo disponitur ad justificationem, per hoc Sacrificium impetrentur; item, utrum *efficacia quoque auxilia* impetrari queant.

Posse quidem etiam efficacia auxilia impetrari, non est dubitandum, cum id explicite significet Conc. Tridentinum (ibid. Sess. XXII). Quoad infallibilitatem autem impetrationis, vide apud auctores argumenta (Suarez, Disp. 79, Sect. 3), quae brevitati consulentes praetermittimus.

THESIS XX.

Sacrosanctum Missae Sacrificium non confert ex opere operato augmentum gratiae.

242. Haec thesis est inter theologos communis.

Prob. 1.° Si daretur ejusmodi in Missa efficacia, foret ex promissione Christi repetenda; atqui nullum est argumentum hujusce promissionis; ergo.

---

(1) IV, D. 12, Q. 2, q. 2 ad 4.—(2) Sess. XXII, cap. 2.—(3) Sess. XIV, c. 4.

2.° Si talem haberet Sacrificium efficaciam, oporteret illud offerri pro parvulis, pro amentibus, et similibus, ut inde gratia per Baptismum accepta magis magisque accresceret in illis: sed numquam id fuit in Ecclesia Dei excogitatum; sine causa ergo fingeretur haec Missae virtus ad gratiam augendam.

3.° Singula Sacramenta a Christo instituta sunt ad proprios effectus causandos: ergo idem sentiendum de Eucharistia, quod proprium habet effectum, quatenus sacramentum est, et quatenus Sacrificium, cum usus unius ab altero separabilis sit. Atqui quatenus sacramentum, auget gratiam ex opere operato; ergo non habet eumdem effectum, qua Sacrificium. Confir. Trident. (1) docet: «Per sacramenta omnis vera justitia vel incipit vel coepta augetur, »vel amissa reparatur,» id est, ex opere operato. Sed ille, pro quo offertur Sacrificium, non suscipit Sacramentum; ergo neque illi gratia ex opere operato augetur.

Corollarium. Neque per modum *impetrationis* causat hoc Sacrificium immediate gratiae augmentum. Elucet iisdem supra dictis (2) rationibus.

SCHOLION.

De remissione venialium per Sacrificium Missae.

243. Inquirunt AA. utrum venialia peccata per Missae Sacrificium remittantur.

Duplex existit sententia: altera Melch. Cano, cum aliis, affirmantis remitti, et quidem *ex opere operato;* altera vero Soto et aliorum negantium. Melch. Cano vocat certissimam suam sententiam ex communi Ecclesiae sensu. Verumtamen, mediam tenentes cum Suarezio viam, quippe nulla fulciuntur ratione solida duae istae sententiae, dici potest:

Si quis pro se offerri Sacrificium curet, ut sibi peccata dimittantur, merito tanti Sacrificii, ejusmodi dispositioni conjuncti, impetrabit omnium venialium remissionem.

Nam ex parte subjecti nullum est impedimentum ad remissionem, cum, ut supponimus, existat gratia ornatus, et affectum contrarium et efficacem in venialia conceperit: ex parte autem Sacrificii, excellentia habetur summa et aptitudo eximia ad Deum placandum, et institutum est: «in remissionem eorum quae a nobis

---

(1) Sess. VII, in *Prooem.*—(2) Thesis. XVIII, Coroll. n. 238.

»quotidie committuntur peccata (1):» ergo ex ipsa natura et merito talis oblationis verisimile est impetrari remissionem venialium. Praeterea si institutum est hoc sacrificium: «in remissionem eorum »quae a nobis quotidie committuntur peccata;» per illud impetrari etiam auxilia poterunt, quibus disponamur ad ea praestanda quae ad remissionem venialium requiruntur, uti de mortalibus dictum est in thesi XIX.

THESIS XXI.

Sacrificium Missae aliquam poenam remittit ex opere operato.

244. Hanc communem tuemur sententiam cum D. Thoma (2).

Prob. 1.° Aliquem causare Missam effectum ex opere operato, et quidem circa peccata, supra dictum est (3): atqui non remittit ipsam culpam; ergo remittit ex opere operato saltem poenam.

2.° Per hoc Sacrificium applicatur nobis fructus sacrificii Crucis, ideoque satisfactio pro debitis poenis (4), quam solvit Christus; *nam dolores nostros ipse portavit; attritus est propter scelera nostra* (5). Atqui haec applicatio satisfactionum Christi per Sacrificium debet esse ex opere operato: ergo Sacrificium... Prob. *min.* Applicatio satisfactionum Christi per hoc Sacrificium debet esse perfecta et sufficiens, quantum natura rei patitur. Atqui si non fieret ex opere operato, non esset perfecta et sufficiens juxta rei naturam: ergo. *Major* patet: sic enim judicare oportet de tali ac tanto Sacrificio, per quod ipsius Sacrificii Crucis applicantur fructus. *Min.* quoque aperta est: nam poenae debitum nullam per se supponit in voluntate inordinationem, cum sit non culpa, sed culpae effectus; ergo et remissio talis debiti potest, ex natura sua, esse omnino independens ab actu voluntatis, seu ab *opere operantis;* ideoque, si applicatio satisfactionum Christi non fieret ex *opere operato,* non esset perfecta et sufficiens juxta rei naturam.

245. 3.° Non est aliud medium a Christo institutum ad remissionem poenarum ex opere operato. Sed non est ambigendum, quod aliquod medium instituerit: ergo saltem per Sacrificium Missae... *Maj.* prob. Si aliud foret medium, esset poenitentiae Sacramentum. Atqui hoc ordinatur per se ad delendam culpam, poena autem aeterna commutatur in temporalem: quae autem remittitur, non per

---

(1) Trident. Sess. XXII, cap. 1.—(2) 3 p. q. 79, a. 5.—(3) Thes. XVI, n. 234.—(4) Trident. Sess. XXII, cp. 1, 2.—(5) Isai. LIII, 4, 5.

se et directe, sed consequenter et indirecte condonatur: ergo. Prior etiam *minor* patet. Nam Christus plenissime etiam pro poenis debitis satisfecit, non minus quam pro culpis: aliunde, plus congruit naturae poenae, ut diximus, quam rationi culpae, ut per alium totaliter solvatur independenter ab opere debitoris: ergo cum instituerit Christus media ad remissionem culparum ex opere operato, non est ambigendum quoad poenas etiam...

4.° Missa, ut dicemus, pro animabus purgatorii quae nihil demereri possunt offertur: ergo ex opere operato illis prodest.

5.° Si illis, pro quibus offertur Sacrificium, non dimitterentur poenae peccatis debitae ex opere operato; solum indirecte remissio eis fieret, quatenus per auxilia ad satisfaciendum ex opere operantis moverentur. Atqui hoc est solutio poenarum, vel ad summum, commutatio, potius quam dimissio: ergo cum doceat Tridentinum, (1) ita Deum *placari* hoc sacrificio ut *dimittat* etiam ingentia peccata, poenae peccatis debitae ex opere operato remittuntur.

246. **Corollarium.** Potest etiam remissionem poenae conferre hoc Sacrificium per modum impetrationis: sive *mediate* auxilia impetrando, quibus bonis operibus ac poenitentiis adhibitis satisfaciamus; sive etiam *immediate* per applicationem alicujus satisfactionis Christi: quamvis prior impetrandi modus certior existimandus sit.

Cum enim virtus orationis ad impetrandum generalis sit pro bonis omnibus conducentibus ad salutem; virtus quoque Sacrificii est generalis censenda, cum sit intrinsece infinita, et fuerit nobis misericorditer datum ad orationis nostrae efficaciam augendam. Hinc etiam Ecclesia postulat, tum intra, tum extra Sacrificium, indulgentiam et remissionem pro animabus in purgationis loco versantibus.

247. Obj. 1.° Licet infinitae virtutis sit Sacrificium Missae, tamen non dimittuntur culpae ex opere operato: ergo idem dicendum de poenis quae culpam consequuntur; non dimitti, nisi quatenus concedit Deus donum poenitendi et satisfaciendi.

Resp. Nego *conseq.* et paritatem. Culpa enim supponit inordinationem voluntatis, et ideo mediante poenitentia, seu opere operantis, remitti postulat; satisfactio autem est mera poenae debitae solutio, proinde convenit satisfactionibus infinitis Christi, ut ex opere operato per Sacrificium applicentur.

Obj. 2.° De fructu hujus Sacrificii ex opere operato nihil dixit Tridentinum, et eodem loquitur modo sive de poenis, sive de

---

(1) Sess. XXII, cap. 2.

culpis, sive de aliis necessitatibus. Videtur igitur gratis asseri, remitti poenas ex opere operato.

Resp. Concedo nihil explicite tradidisse Concilium, ideo non est de fide doctrina haec; tamen esse juxta mentem Ecclesiae, ostendit communis theologorum sensus, et rationes dictae suadent: unde *temerarium* foret ab ea recedere.

THESIS XXII.

Sacrificium Missae etiam ad bona temporalia impetranda plurimum valet.

248. Prob. 1.° Testimoniis supra notatis (1).

2.° Sancte et utiliter petimus a Deo bona temporalia. Sed hoc Sacrificium est ex natura sua impetratorium, ut ibidem dictum est: ergo. *Major* patet ex SS. Litteris passim; ut Gen. c. XXVII, 28; Proverb. XXX, 8: et dicimus quotidie e mandato Domini: *Panem nostrum quotidianum da nobis*... (2).

249. Obj. Videtur indecens talem victimam ad haec infima ordinare: ergo.

Resp. Dist. *ant.* Ordinare tamquam causam ad effectum videtur indecens: nego *ant.* Quasi medium ad finem; subd. Quasi ad finem ultimum; concedo id esse praeposterum valde. Temporalia enim non possunt ultimus esse finis nostrarum petitionum, sed solus Deus ac vita aeterna. Aliter: nego.

THESIS XXIII.

Effectus ex opere operato et ex virtute impetrativa hujus Sacrificii consequitur oblationem sacerdotis, ut ministri Christi: secundario etiam ex aliis actu offerentibus fructus aliquis procedit.

250. **Nota.** Sacerdos, dum offert, repraesentat personam Christi: Ecclesiam, cujus nomine orat et sacrificat; et offert etiam nomine proprio.

I.ª pars. prob. 1.° ex Trident. (3) docente: «Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio.» Quod et declaravit *Catechismus* ejusdem Conc. (4): «Ministri qui Sacrificium faciunt, non suam

---

(1) Thes. XV, P. II, n. 231.—(2) Luc. XI, 3.—(3) Sess. XXII, c. 2.—(4) P. 2.ª *de Euch.* n. 77.

»sed Christi personam suscipiunt:» et exinde repetit magnam hujusce Sacrificii virtutem.

2.° Efficacia omnis inde venit, quod sit Sacrificium et tale Sacrificium: atqui eatenus oblatio haec est Sacrificium et tale, quatenus est actio Sacerdotis ministri Christi: ergo. *Min.* patet supra (1), ubi ostendimus non differre essentialiter Missam a Sacrificio Crucis, quoad rem oblatam et Sacerdotem offerentem.

3.° Testante Apostolo (2), hoc altaris mysterium dispensatur a Sacerdote ut a ministro Christi: ergo et ejusdem mysterii fructus non aliter procedit a Sacerdote. Pari de causa ex sacramentis provenit effectus, quatenus sunt actiones ministri peragentis in nomine Christi.

251. II.ª pars, prob. 1.° Praeter Sacerdotem alii etiam ad offerendum concurrunt: ergo et efficacia aliqua talis oblationis ad eos quoque pertinet. *Maj.* prob. a) Sacerdos pro aliis orans ait in Missa: «Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrifi»cium...» b) Christus D. (3) ait: *Si ergo offers munus tuum ad altare*... Et populo universo praecepit Deus (4): *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus.*

2.° Ex omnium concursu ad Sacrificium exurgit quaedam oblatio cum majori devotione et reverentia: sed fructus definitur juxta devotionem offerentium, ut docet D. Thomas (5): ergo aliqua pars fructus singulorum oblationi tribuenda.

3.° Cum non possint fideles omnes, juxta divinam ordinationem, principaliter ac per se ipsos sacrificia offerre, sed per Sacerdotem tantum: conveniens erat ut dum devote concurrunt et cum Sacerdote ac per Sacerdotem offerunt, de proprio Sacrificii fructu participarent: ergo credendum est, ita a Christo fuisse constitutum.

SCHOLION.

Fructus ex opere operato inter se conferuntur.

252. Juxta ea quae dicta sunt de fructu Sacrificii consequente offerentem minus principalem, patet ad oblationem Sacerdotis duplicem sequi fructum ex opere operato. Sacerdos enim, ut offerens est, duplicem gerit personam: alteram publicam, ut Christi minis-

---

(1) Thes. XII, n. 226.—(2) I Cor. IV, 1.—(3) Matth. V, 23.—(4) Deut. XII, 13, 14.—(5) 3, p. q. 79, a. 5.

ter, alteram privatam, ut ceteri omnes qui ex devotione eidem adhaerent in oblatione Sacrificii.

Hi autem fructus differunt. 1.° Fructus oblationis Sacerdotis, ut Ministri Christi, non est pro illo praecise, sed pro iis quibus Sacrificium applicatur: *Pro hominibus enim constituitur, ut offerat...* (1). At fructus alius est pro singulis offerentibus, ut privatis personis Deum colentibus.

2.° Primus fructus ex se indeterminatus est, et debet a ministro publico ad talem vel talem definiri personam: alter autem est determinatus, nam offerens, cum sit privata persona, nomine suo offert.

3.° Ad primum assequendum fructum non est sanctitas offerentis necessaria, cum offerat in persona Christi. E contra, ad secundum: nam cum ut privata persona agat, et fructus sit ad offerentem definitus, requiritur in eodem dispositio ut fructuose offerat.

4.° Prior fructus nec est major neque minor ex merito offerentis: at vero alter augebitur secundum devotionem ejusdem, juxta regulam illam «sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.» Sic in sacramentis etiamsi ex opere operato fructus causetur, definitur tamen secundum suscipientis dispositionem, ut diximus.

Ad hanc 4.am, nec non 3.am differentiam referuntur quae D. Thomas habet 3, p. q. 79, a. 5.

THESIS XXIV.

Effectus ex opere operato tribuitur certo iis pro quibus Sacerdos offert Sacrificium: non autem iis pro quibus offerunt particulares offerentes.

253. I.ª pars. prob.. quae intelligenda, nisi obex fuerit.

1.° Juxta ea quae diximus, ad hoc constitutus est Sacerdos ut pro aliis Sacrificium offerat, ac proinde fructus proprius Sacrificii pro iis pro quibus Sacrificium offertur, est a Deo destinatus. Sed impossibile est, ut donum seu destinatio Dei ex parte ipsius frustretur: *Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (2): ergo nisi fuerit obex, effectus ex opere operato...

2.° Nisi fieret dicta fructus applicatio ex Sacerdotis intentione, vel maneret fructus in ipso Sacerdote, vel applicaretur omnibus, vel ex sola voluntate Christi penderet applicatio. Sed nec manet

---

(1) Hebr. V, 1.—(2) Rom. XI, 29.

in Sacerdote, nec applicatur omnibus, neque fit applicatio a Christo: ergo. Prob. *min.*—a) Non manet in Sacerdote; nam officium Sacerdotis est, ut pro aliis offerat, idque ex divina institutione. Insuper usus Ecclesiae rem ostendit: obligantur enim Sacerdotes ut pro aliis oferant, munere etiam ad id accepto.—b) Neque dici potest, fructum applicari omnibus, ut opinati sunt nonnulli antiqui scholastici. Nam sensus communis in Ecclesia est, speciali modo prodesse Sacrificium ei pro quo particulariter offertur. Est quoque praxi communi talis opinio adversa; non potest enim Sacerdos pro multis offerre, cum munus Sacrificii offerendi pro aliquo suscepit. —c) Tandem neque possumus dicere, Christum suae voluntati applicationem Sacrificii reservasse. Inde enim sequeretur, imprudenter offerri in Ecclesia Sacrificia pro determinatis personis, et suscipere Ecclesiam obligationes, quasi ex contractu, ad ejusmodi Missarum applicationem. Praeterea nihil dixit Christus vel docuerunt Apostoli de ea reservatione: e contra edocti sumus constituisse Christum ministros suos *dispensatores mysteriorum Dei* (1). Superest ergo, quod fructus Sacrificii eis proveniat, pro quibus illum applicat Sacerdos: uti accidit in Sacramentis, quae ex intentione ministri ad tale subjectum determinantur.

254. II.ª pars, prob. adversus aliquos qui probabiliter dicunt, posse particulares offerentes suum fructum Sacrificii aliis applicare: non quidem ex opere operato, cum non sint constituti ad offerendum pro aliis, sed per communicationem spiritualium bonorum, ut in aliis satisfactionibus evenit.

1.° Omnis effectus ex opere operato est personale beneficium: sed cum beneficium est personale et veluti privilegium, transferri nequit. *Major* patet: quia talis effectus non est ex merito, sed gratia seu privilegium adnexum tali operae.

2.° Confirm. exemplis. Indulgentiae nequeunt ad alios transferri, nisi cum hac facultate concedantur: remissio omnium poenanarum per Baptismi susceptionem nequit aliis tradi a baptizatis: similiter sacramentalis satisfactio per sacramentum Poenitentiae.

---

(1) I Cor. IV, 1.

ARTICULUS II.

De quantitate effectus Sacrificii Missae.

255. **Nota.** I.ª Dupliciter potest effectus Sacrificii quantitas intelligi: *intensive*, seu in se absolute, vel *extensive*, seu respectu illorum quibus communicari potest. Sic eleemosyna facta vel facienda, si dicatur esse unum aureum, consideratur intensive; si supponatur distribui decem vel centum pauperibus, intelligitur extensive.

II.ª Aliud omnino est valor, seu moralis sufficientia Sacrificii, et aliud ejusdem efficacia, seu valor effectus. Quoad valorem ipsius Sacrificii, esse in se infinitum, non quidem simpliciter, sed in sua ratione, seu specie, non est dubitandum, ut patet ex dictis supra (1): proinde, si cetera non deessent requisita, posset in hoc Sacrificio esse infinitum meritum, infinita satisfactio et infinita impetratio.

III.ª In Sacrificio Missae, quatenus est actio Christi, nullum est meritum, nulla satisfactio; sed sola impetratio. Christus enim consummavit in Cruce omne meritum omnemque satisfactionem (2), nec est amplius in statu merendi vel satisfaciendi, cum non sit in via, sed in termino. Posse autem Christum impetrare, constat ex Paulo (3): *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Item ex dictis in Thes. XIII.

THESIS XXV.

Effectus ex opere operato Sacrificii Missae est finitus intensive.

256. Prob. 1.° Non datur effectus infinite intensus: ergo quilibet effectus operatus a Sacrificio Missae est finitus. Confir. Poenae omnes quae remittuntur per Sacrificium, sunt finitae et temporales: ergo effectus ex opere operato, id est, satisfactio pro poenis est etiam finita.

2.° Non habet alium effectum Missae Sacrificium nisi quem Christus D. definivit; voluit enim nobis per hoc Sacrificium divitias pas-

---

(1) Thes. XII, XIII, nn. 226, 227.—(2) Hebr. X, 14.—(3) Ibid. VII, 25.

sionis suae nobis communicare. Sed non definivit Christus nisi effectus finitos, nempe pro numero finitis hominibus, pro satisfactionibus finitis: ergo. Confir. Eucharistiae Sacramentum, licet sub hac ratione intensionis sit quid infinitum, tamen nullus est effectus illius intensive infinitus: augetur quidem gratia secundum dispositionem suscipientis; haec tamen dispositio, et proinde gratia, inter quosdam gradus necessario continetur. Ergo idem dicendum de effectu Sacrificii ex opere operato.

3.° Sequeretur, uno solo Sacrificio satisfieri pro quolibet magno peccatore, imo pro omnibus peccatoribus, et pro cunctis animabus purgatorii; sed hoc aperte adversatur consuetudini et menti Ecclesiae: ergo.

THESIS XXVI.

Quando plures cum Sacerdote offerunt idem numero Sacrificium, non minorem singuli accipiunt fructum, quam si unus tantum esset offerens.

257. Prob. 1.° Quo plures accedunt ad offerendum cum Sacerdote, eo magis congrua est oblatio naturae Sacrificii. Sed absurdum videtur, quod inde capiant detrimentum offerentes, unde magis congrue offerunt: ergo quando plures... *Major* patet. Nam est minister publicus Sacerdos, et pro hominibus constituitur ut offerat (1): quo plures ergo ei adhaerent in offerendo, magis congrua, id est, institutioni divinae respondens est oblatio.

2.° Si minus valeret cujuslibet particularis offerentis oblatio ex eo quod plures concurrant ad offerendum, ejusmodi valoris imminutio ex aliqua oblationis immutatione physica vel morali esset repetenda. Sed oblatio nullatenus immutatur, neque ex se, neque ratione rei oblatae, neque ratione principalis offerentis: ergo nulla existit ratio ut oblationis fructus imminuatur ex eo quod plures concurrant. *Min.* Patet. Nam victima ejusdem est valoris: principalis offerens ejusdem dignitatis: oblatio manet eadem, cum sit actio privata et individualis.

Dices: si Christus definivit fructum a quolibet Sacrificio participandum, quo plures offerant, minus singuli percipient.

Resp. Duplici modo participatur fructus Sacrificii: primo, quatenus pro aliquo offertur: secundo, quatenus pro se quisque offert. Negatur ergo esse fructum definitum ratione offerentium, ita ut

(1) Hebr. V.

major sit fructus, si unus offerat; minor autem, si plures simul offerant. Sicut enim plurium oratio est Deo acceptior, ita plurium oblatio; et amat ut *omnes unum sint* (1). Plurium ergo concursus in uno Sacrificio potius videtur esse ratio ut fructus singulorum augeatur, quam ut minuatur.

258. **Corollarium.** Ad sensum hujus theseos loquuntur AA. plures, defendentes fructum Sacrificii esse *extensive infinitum*, vel potius indefinitum: ut Suarez, Cajetanus, Cano, Petrus Soto, etc. etc. Proinde parum caute eos aliqui laudant pro opinione quae tenet, infinitum esse fructum illum, qui a Sacerdote pro aliis offertur.

THESIS XXVII.

Effectus Sacrificii, quem potest Sacerdos pro aliis offerre, finitus est et unus; id est, si pro pluribus offeratur, minuetur in singulis.

259. **Nota.** I.° Hanc sententiam tenent theologi communius contra plures thomistas; ut Scotus, S. Bonaventura, Durandus, Suarez, Valentia, Toletus, Gotti, etc. etc. Ex thesi praecedenti elucet, fructum Sacrificii respondentem offerentibus esse extensive infinitum, seu non imminui propter increscentem numerum offerentium: e contra, nunc dicimus effectum, quem potest Sacerdos applicare, esse extensive finitum.

II.° Res haec pendebat sane a Christi voluntate et institutione. Tripliciter enim poterat hoc definire. Primo: ut posset Sacerdos pro libitu *quantam* vellet satisfactionem per sacrificium cuiquam applicare, cum ex se oblatio haec sufficiens sit ad quamlibet illimitatam satisfactionem explendam. Hoc modo tradidisse Christum voluntati Sacerdotis fructum Sacrificii nemo dicet: alias possent uno solo Sacrificio, ad voluntatem Sacerdotis, omnes cujusvis magni peccatoris debitae poenae solvi, quod est contra mentem et praxim Ecclesiae. Licet enim Sacerdos intendat proficere quantum valet iis pro quibus offert, censet tamen Ecclesia utilissimum esse multiplicare Sacrificia pro eadem persona. Secundo: ut illum satisfactionis gradum, quem Christus definivit pro una oblatione, posset Sacerdos pro libitu uni vel multis integrum, ac veluti in solidum, conferre. Hoc nonnulli, ut diximus, tenendum putant, quia, aiunt, virtus hujus Sacrificii est infinita: quae ratio, si quippiam probaret, nimis probaret. Tertio denique potuit Christus definire tantum Sacrificii

(1) Joan. XVII, 21.

fructum, ita tamen ut posset vel uni tantum applicari, vel in plures *dividi*, uti in thesi defendimus.

260. Prob. 1.° Ex praxi communi Ecclesiae. Pro particulari personis Missa offertur ea intentione, ut illis totaliter prosit. Atqui si aequaliter uni vel pluribus prodesset, deberet semper offerri pro omnibus: videtur enim invidia nolle aliis benefacere, cum sine ullo detrimento fieri possit.

2.° Si aeque prodesset Sacrificium uni vel pluribus applicatum, una sola oblatione satisfaceret Sacerdos pro omnibus pro quibus tenetur offerre. Atqui damnavit Alexander VII, post Urbanum VIII, ejusmodi doctrinam propos. 10: «Non est con»tra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sa»crificium unum offerre.»

3.° De hac re prudenter judicandum, juxta Ecclesiae mentem et Christi intentionem. De sensu Ecclesiae jam diximus. Christi intentio autem fuit per hoc Sacrificium memoriale mortis suae nobis tradere, devotionem fidelium et meritum in offerendo fovere, et Deo supremum latriae cultum per sacrificiorum oblationes exhibere. Sed congruentissimum ad ejusmodi fines assequendos erat, ut multiplicari deberent sacrificia ad totum ejus fructum percipiendum: ergo effectus Sacrificii est finitus extensive, seu unus tantum.

261. Obj. 1.° Christus redemit omnes, et satisfecit pro omnibus in Sacrificio Crucis. Sed per Sacrificium Missae applicatur fructus Sacrificii Crucis: ergo videtur quod debeat etiam pro omnibus ex aequo applicari.

Resp. Concessa *maj.*, dist *min.* Applicatur totus fructus; nego. Juxta mensuram a Christo definitam; conc. Deinde distinguo *conseq.* Pro omnibus debet applicari, debito remoto, seu potentiali: concedo *consequent.* Debito proximo, seu actuali; subdistinguo. Pro omnibus collective tantum sumptis: nego *conseq.* Collective vel distributive, juxta Sacerdotis officium et fidelium dispositionem; conc. Unde fideles omnes fructum Sacrificii consequi valent, ideoque jus habent ut per Sacerdotes Sacrificia pro se offerri provideant: jus ergo remotum ad fructum Sacrificii a Christo definitum omnes fideles ex aequo habent. Verum cum Sacerdos sit minister et dispensator mysteriorium Dei, ad eum pertinet non tantum aptitudinem remotam et communem, sed particularem etiam personarum dispositionem respicere, et consequenter pro omnibus offerre vel collective vel distributive, juxta varias circumstantias.

Obj. 2.° Si plures simul baptizentur, fructus Sacramenti non dividitur, sed integer omnibus acquiritur. Sed Sacrificium operatur ad modum sacramentorum: ergo etiam integrum Sacrificii fructum omnes, pro quibus offertur, assequuntur.

Resp. Conc. *maj.* et *min.* Deinde nego *conseq.* et paritatem. Nam

tot sunt baptismata, quot sunt baptizati, ideoque eumdem assequuntur fructum: non autem tot sunt Sacrificia, quot sunt illi pro quibus offertur Sacrificium.

Obj. 3.° In singulis Sacrificiis praescribit Ecclesia, oblationem fieri: «pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis.» Sed id fieri non posset cum pro uno offerendum est Sacrificium, si unus tantum esset integer fructus: ergo non minuitur fructus, si pro pluribus offeratur.

Resp. Dist. maj. Fit oblatio pro *omnibus fidelibus* secundum ejus efficaciam impetratoriam; conc. Quoad virtutem satisfactoriam ex opere operato: nego *maj.* Et contradistincta *min.*, negatur *conseq.*

262. **Corollarium.** Quod dictum est de virtute satisfactoria in actu secundo, scilicet, limitatam fuisse a Christo, potest intelligi etiam de vi impetratoria hujus Sacrificii.

Si enim infinite moveret Deum ad ea quae postulantur concedenda, necessario et infallibiliter impetratio cujuslibet boni fieret, uno tantum oblato Sacrificio. Atqui ex praxi Ecclesiae et fidelium communi sensu, quo plura et majora postulantur beneficia, et plura quoque Deo offeruntur Sacrificia: mens ergo Ecclesiae est plura Sacrificia plus valere ad impetrandum in actu secundo. Confir. Deus in actu secundo oblationis Sacrificii non tantum complacet in ipso pretio victimae, sed etiam in opere illorum qui Sacrificium offerunt, vel offerri curant: ut ergo bona opera in Ecclesia multiplicarentur, conveniens fuit ut definiret Christus, plura et majora beneficia multiplicatis Sacrificiis debere conferri. Voluit igitur Christus, juvari quidem fideles, et eorum corroborari orationes per hujus Sacrificii oblationem; non autem efficaciter voluit seu decrevit, ut quidquid per hoc Sacrificium peterent, id infallibiliter consequerentur.

SCHOLIA.

De fructu generalissimo, speciali et specialissimo Missae.

263. I. Fructum Sacrificii Missae dividunt plures theologi, post Scotum, in *generalissimum, specialem et specialissimum.*

Primum intelligunt illum effectum, qui universae provenit Ecclesiae, seu fidelibus vivis atque defunctis, ex quovis Sacrificio. *Specialem* autem fructum dicunt, qui ex applicatione procedit Sacerdotis nomine Christi offerentis; et iste acquiritur ei pro quo offert Sacerdos. Tertium eum appellant, quem sibi obtinet Sacerdos, tamquam persona privata agens et ex merito suae oblationis: unde quicumque fideles oblationi Sacerdotis, ut per eum offerant, adunantur, habent etiam suum *specialissimum* fructum.

II. Illum *generalissimum* fructum inde procedere dicitur, quod Sacerdos quilibet est Ecclesiae minister et per eum tota Ecclesia offert: aequum ergo est ut omnia Ecclesiae membra e Sacrificio fructum aliquem suscipiant.

Ejusmodi fructum ex opere operato procedere, censent nonnulli AA. Verum alii cum Suarezio probabilius censent, oriri ex virtute impetrativa Sacrificii et sanctitatis Ecclesiae, quam repraesentat Sacerdos, et cujus nomine Deum deprecatur et Sacrificium offert. Ex hisce ergo precibus tanto Sacrificio et insigni Ecclesiae Sanctitati commendatis, bona impetrantur generatim pro universis Ecclesiae membris, prout juxta divinam providentiam iisdem convenire possunt. Quibus perpensis, recte notant aliquii AA. fructum ejusmodi generalissimum majorem vel minorem futurum, quatenus in Ecclesia, cujus nomine offert Sacerdos, major vel minor splendeat membrorum ipsius sanctitas.

ARTICULUS III.

Pro quibus possit Missae Sacrificium offerri.

THESIS XXVIII.

Offerens sacrosanctum Missae Sacrificium potest pro se ac pro aliis fidelibus viventibus offerre.

264. **Nota.** Illud *pro aliis offerre* duplicem habet sensum: vel offerre *vice* aliorum, vel pro *utilitate* aliorum, scilicet, ut fructus Sacrificii illis proveniat. Juxta priorem sensum, non tamen unice ac exclusive, locutus est Apostolus (1): *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur... ut offerat dona et Sacrificia:* juxta secundum autem (2): *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi.* In posteriori sensu intelligitur thesis.

I.ª pars prob. 1.° Paulus de Sacerdotibus communiter loquens (3), ait: *Christus non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi...*

2.° In liturgia latina orat offerens Sacerdos:... «Pro omnibus

(1) Hebr. V, 1.—(2) Ibid. X, 10.—(3) Ibid. VII, 27.

peccatis, offensionibus et negligentiis meis.» Item in liturgia S. Jacobi.: «Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro pecca»tis nostris et ignorantiis populi.» In illa autem S. Basilii: «Ad abluenda delicta nostra et pro peccato populi tui.» S. Cyrillus Hierosol. (1): «Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus.» Et S. Chrysostomus in sua liturgia: «Pro pecca»tis nostris et populi ignorantiis.» S. Hieronymus (2) de Episcopo loquens ait: «Qui quotidie pro suis populique peccatis »illibatas Deo oblaturus est victimas.»

265. 3.° Sacrificium nostrum est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Sed ipse Sacerdos indiget aliquando expiare peccata, impetrare beneficia, debetque Deo gratum animum et adorationem: ergo aliquando potest et tenetur pro se offerre. Confir. Propitiatio et impetratio respiciunt intrinsece aliquem, cui Deus propitietur et cui subveniat. Ergo offerens Sacrificium potest saltem pro se ipso offerre, cum ad suam salutem potissimum ex charitate teneatur procurandam.

266. II.ª pars. Est doctrina fidei catholicae.

Prob. 1.° Ex conc. Tridentino (3): «Si quis dixerit Mis»sae Sacrificium... soli prodesse sumenti, neque pro vivis et de»functis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anath. sit.»

2.° *Catechismus Rom.* (4) ait: «Hujus Sacrificii eam vim esse pa»rochi docebunt, ut non solum immolanti et sumenti prosit, sed »omnibus etiam fidelibus.» Liturgia Romana offert dicens: «Sed et »pro omnibus fidelibus.» Videas quoque in priori parte theseos alia testimonia.

3.° Fit etiam argumentum ex verbis Pauli (5). Sacerdos est mediator populi apud Deum, et offert Sacrificia pro peccatis eorum. Sed populus *Novi Testamenti* sunt omnes fideles, et Sacrificium ejusdem *Testamenti* est Missa; ergo Sacerdotes *Novi Testamenti* debent pro omnibus fidelibus Missam offerre.

THESIS XXIX.

Etiam pro viventibus infidelibus, dummodo non sint excommunicati, potest Missa offerri.

267. Prob. 1.° Ex antiqua Ecclesiae consuetudine, quae elucet ex liturgiis, S. Clementis *Constitutionibus* (6), nec non epistola 21 Coelestini Papae ad Episc. Galliae: c. 11:

---

(1) In *Catech.* 5.—(2) In Cap. 1 Ep. ad Tit.—(3) Sess. XXII, can. 3.—(4) *De Euchar.* n. 79.—(5) Hebr. VII, 27.—(6) L. 8, C. 10.

ubi ex traditione Apostolica orationem pro infidelibus fieri docet in orationibus Sacramentalibus, ac «praesules apud divinam cle»mentiam causam agere totius generis humani, tota secum Eccle»sia ingemiscente.»

2.° Tertullianus (1) ait: «Sacrificamus et pro salute Impe»ratoris.» S. Justinus (2) dicit diebus dominicis in oblationibus «preces pro omnibus ubique existentibus fieri.» ut eamdem fidem adepti vita aeterna dignarentur. S. Augustinus (3) docet, verba illa Apostoli (1 Tim. c. II) *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt...* intelligenda de eo «Quod omnis vel fere omnis frequentat Ecclesia: ut *precationes* ac»cipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, »antequam illud quod est in mensa Domini incipiat benedici; ora»tiones, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distributionem »comminuitur... *Postulationes* fiunt, cum populus benedicitur, »quibus peractis, et participato tanto Sacramento, gratiarum actio »cuncta concludit.» Deinde rationem, propter quam haec fiant, tradit: «Ne quisquam, sicut se habet humanae cogitationis infirmitas, »existimaret, non esse ista facienda pro his, a quibus persecutio»nem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent ho»minum genere colligenda. Unde adjungit (Apostolus): *hoc »enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro...*»

3.° Vult Deus ac praecipit, ut pro omnibus etiam infidelibus oremus. Atqui vim impetrandi, quemadmodum et oratio, habet Missae Sacrificium: ergo congruit etiam Dei voluntati, ut etiam Missa pro infidelibus offeratur.

Nota. Adjecimus in thesi, modo non sint *excommunicati.* Ecclesia enim, cui commissa est a Deo sacrorum dispensatio, jure aliquos contumaces repellit a communione quorumdam bonorum spiritualium.

268. Obj. 1.° Sacerdos, testante Apostolo, pro hominibus constitutus est, ut offerat: ergo non pro se particulariter, sed semper pro omnibus offerre debet.

Resp. Dist. *conseq.* Pro omnibus debet, quatenus omnes possunt Sacerdotis Sacrificio participare, vel procurando ut pro ipsis offerat, vel mente adhaerendo ejus Sacrificiis, ut ea ipsi per Sacerdotem offerant: conc. Quasi omnibus debeat Sacerdos fructum Sacrificii semper applicare: nego *consequent.*

Obj. 2.° Praecipit Sacerdoti Ecclesia ut offerat pro omnibus cir-

---

(1) L. ad *Scapul.*—(2) *Apolog.* I, nn. 66, 67.—(3) Epist. 149, (a. 59).

cumstantibus. pro omnibus «fidelibus christianis vivis ac defunc»tis:» ergo debet semper pro omnibus Sacrificium offerre.

Resp. Dist. *conseq.* Debet. juxta praescriptum Ecclesiae, offerre pro omnibus, quatenus Sacrificium est impetratorium salutis aeternae; conc. Prout est satisfactorium: nego *conseq.* Cum enim praescribat Ecclesia in Missa orationem pro omnibus. non potest Sacerdos aliquem excludere a fructu impetratorio Sacrificii; quod autem satisfactionis fructus omnibus impertiatur. non praescribitur: imo supponit Ecclesia hunc fructum limitatum esse. ideoque intentioni offerentis Sacrificium integer conceditur. Unde nec Sacerdos neque alii per ipsum offerentes tenentur ejusmodi fructum dividere.

269. Obj. 3.° Quilibet homo tenetur Deum colere. Sed si posset Sacerdos pro aliis Sacrificium offerre, possent laici a Dei cultu abstinere. Ergo non potest...

Resp. Dist. *min.* Si posset offerre pro aliis *quoad aliquem effectum tantum*, possent laici Dei cultum negligere; nego: Si posset offerre pro aliis *quoad omnem fructum*, possent laici abstinere a Dei cultu: subd. Quatenus non tenerentur laici per se ipsos Sacrificium offerre; conc. Ita ut neque per Sacerdotem offerant Sacrificium: nego.

Obj. 4.° Infideles non habent partem in sacramentis Christi. Sed Sacrificium Missae est sacramentum: ergo.

Resp. Dist. *conseq.* Non habent partem in Sacrificio Missae prout sacramentum est: conc. *consequent.* Quatenus est Sacrificium; nego.

Inst. S. Augustinus dicit (1): «Quis offerat sacrificium »Corporis Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi?»

Resp. Explico verba Augustini. Si agatur de animabus defunctorum; conc. Si sermo fuerit de viventibus; sub. Quoad fructum ex opere operato: conc. Ex opere operantis, seu impetratorio; nego. Sane non offertur pro infidelibus satisfactionis fructus qui procedit ex Sacrificio ex opere operato, sed propter alios fines.

THESIS XXX.

Sacrificium Missae potest offerri pro defunctis in pace Christi quiescentibus.

270. **Nota.** Animae defunctorum vel beatitudine fruuntur, vel a reliquiis peccatorum purgantur, vel igni aeterno sunt traditae. Nullo modo de damnatis thesis intelligitur, ut, ubi agitur de inferno,ostenditur: sed de animabus quae purgantur. De beatis autem so-

(1) *De Orig. anim.* l. 1, c. 8.

lum *secundum quid*, non simpliciter, dici potest offerri Sacrificium. Adversatur thesis errori protestantium, qui oblationem Missae pro defunctis maxime detestatur, et est fide certa.

I.ª pars. prob. 1.° ex Tridentino (1): «Si quis dixerit, »Missae Sacrificium... neque pro vivis et defunctis... offerri debere; »anath. sit» Et in cap. 11 ait: «Quare non solum pro fidelium vi- »vorum peccatis, poenis, satisfactionibus... sed pro defunctis in »Christo nondum ad plenum purgatis rite, juxta Apostolorum »traditionem, offertur.» Item in cap. III: «Et quamvis in honorem »et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia ce- »lebrare consueverit...»

2.° Ex antiqua et universali consuetudine Ecclesiae, cui contradicere *insolentissima est insania*, teste Augustino. Hujusce consuetudinis testes sunt Epiphanius in *Expositione Fidei* (2); Augustinus, in Libro. *De Cura pro mortuis, c. 18;* nec non liturgiae omnes, tum recentes tum antiquae, ut illa Jacobi, S. Clementis, etc.

271. 3.° Concil. Carthag. III (an. 398) can. 29 aperte supponit offerri pro defunctis Sacrificia: praecipit enim ut non nisi a jejunis celebrentur, ideoque ut pomeridiano tempore commendatio defunctorum solis orationibus fiat. Conc. etiam Brachar. I. (an. 563) jubet, can. 16 et 17, ut in oblatione neque catechumenorum defunctorum, neque eorum qui violentam mortem sibi inferunt, commemoratio fiat. Concilium Cabilon. II (in Gallia, a 813) can. 39: «In omnibus Missarum solemnitati- »bus pro defunctorum spiritibus Dominus deprecetur. Antiquitus »hunc morem Sancta tenet Ecclesia...»

4.° Praeter laudatos Augustinum et Epiphanium, qui inter haereticos recenset eos qui hanc negant doctrinam, S. Chrysostomus (3) ait: «Non temere haec ab Apostolis sancita fue- »runt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur comme- »moratio; sciunt enim illis inde multum contingere lucrum.» Eusebius Caesar. (4), Tertullianus (5), S. Clemens (6), etc., etc., id quoque confirmant.

5.° Judas Machabaeus sacrificia pro militibus defunctis offerri jussit (7), idque laudat Scriptura. Sed omnem antiquorum, imo praestantiorem virtutem habet Missae Sacrificium: ergo.

272. Obj. Christus D. hoc Sacrificium ad modum cibi et potus, ideoque ob sacramentalem manducationem instituit. Sed defuncti

---

(1) Sess. XXII, c. 2, 3.—(2) L. 3 *haeres.* t. 2, n. 23.—(3) Hom. 69, ad *popul. Antioch.*—(4) L. 4, de vita *Const.*—(5) L. de *Coron. milit.*—(6) L. 8 *Constit.* c. 19. —(7) II *Mach.* XII, 43.

participare de sacramentali manducatione non possunt; ergo non pro defunctis, sed pro solis vivis, institutum est hoc Sacrificium.

Resp. Dist. *maj.* Ob sacramentalem manducationem intrinsece et essentialiter instituit: nego. Concomitanter: subdist. Ut ab omnibus et semper comederetur sacramentaliter: nego. Ut juxta opportunitatem et dispositionem sumeretur: conc. *maj.* Deinde, concessa *minor*, distinguo *conseq.* Instituit pro solis vivis, quatenus sacramentum est; conc. Prout est Sacrificium; nego *conseq*.

SCHOLION.

273. Diximus pro beatis posse hoc Sacrificium offerri non *simpliciter*, sed *secundum quid*. Nam cum nihil beatis expiandum supersit, nequit pro eis Sacrificium, qua expiatorium est, offerri. Quatenus vero est eucharisticum, potest in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo eis collatis offerri, ut docet Trident. Concilium (1): ut autem impetratorium est, possumus per illud honorificationem Sanctorum deprecari: «Ut illis proficiat ad honorem, »nobis autem ad salutem» (in *Orat. Missae*): nec non ut eorumdem sancta vota compleantur, quemadmodum et a Deo postulamus: *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua*. Ita merito tanti Sacrificii orare possumus, ut desideria et intercessiones Sanctorum suorum exaudiat et perficiat misericors et omnipotens Deus.

ARTICULUS IV.

De requisitis necessario ad effectum Sacrificii Missae.

THESIS XXXI.

Ille, pro quo offertur Sacrificium Missae, ut proprium ejus effectum assequatur, debet esse baptizatus.

274. Prob. 1.° Concilium Trid. (2) docet: «Dilectae spon»sae Ecclesiae reliquisse Christum hoc Sacrificium in remissionem »eorum, quae a nobis quotidie committuntur peccata.» Deinde ait: «Pro fidelium vivorum peccatis, poenis, offerri hoc Sacrificium.»

---

(1) Sess. XXII, c. 3.— (2) Sess. XXII, cap. 1 et 2.

Jam vero Ecclesiae per Baptismum aggregamur; nomine autem fidelium intelliguntur baptizati: Baptismus enim est *Sacramentum fidei*, quo corpori fidelium, Ecclesiae nempe, adjungimur: ergo effectus proprius Sacrificii, seu ex opere operato, praerequirit Baptismum.

2.° Sacrificium est, uti Sacramenta, signum sensibile quo in vera religione adunantur fideles. Sed sacramenta effectum ex opere operato non habent nisi in baptizatis: ergo idem censendum de Sacrificio. Hinc ex antiquissima Ecclesiae consuetudine, catechumeni non solum a communione arcentur, sed neque adesse Mysteriorum celebrationi permittuntur.

3.° S. Chrysostomus (1) asserit non posse offerri Sacrificium pro catechumeno defuncto. S. Augustinus (2): «Salva fide catholica et ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, »ut pro non baptizatis cujuslibet aetatis hominibus offeratur Sa»crificium Corporis et Sanguinis Christi.»

275. Obj. 1.° Sacrificium Crucis fuit pro omnibus oblatum hominibus: ergo Sacrificium Missae, quod unum est cum illo Crucis, potest etiam pro non baptizatis offerri.

Resp. Dist. *maj.* Fuit pro omnibus oblatum quoad sufficientiam; conc. Quoad efficaciam, seu applicationem; nego *maj.* Ad effectum enim remissionis peccatorum requiritur primum Baptismus, ut declaravit Petrus (3): *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.*

Inst. Ad remissionem peccatorum sufficit Baptismus in voto: ergo saltem pro catechuminis poterit offerri Sacrificium.

Resp. Dist. *ant.* Ad remissionem peccatorum internam; conc. ant. Pro remissione externa, seu quae perficitur per signa exterius membra Christi copulantia; nego. Ad hanc remissionem oportet per Baptismum prius regenerari.

THESIS XXXII.

Ut ille, pro quo offertur Sacrificium, ejus fructum proprium, seu ex opere operato, percipiat, debet in statu gratiae existere.

276. Defendimus cum D. Thoma hanc sententiam, quam probabiliorem adversus nonnullos AA. putamus.

Prob. 1.° ratione, qua utitur pro eadem thesi D. Thomas (4). Passio Christi, quoad effectum remissionis culpae et adeptionis glo-

---

(1) Hom. 3, ad Philip.—(2) *De Anima*, l. 1, cap. 11.—(3) Act. II, 38.—(4) 3 p. q. 79, a. 7 ad 2.

riae. non prodest nisi iis. qui ei fide et charitate conjunguntur; ergo nec aliter prodest hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicae passionis et applicatio fructuum ejusdem.

2.° Qui peccato mortali innodatur reus est divinae maledictionis ac Deo odibilis et inimicus. Sed condonatio debiti est actus benedictionis et amicitiae: ergo peccatori non potest prodesse Sacrificium ex opere operato.

277. Dices: remisso peccato. remitti etiam potest poena eidem debita: atqui facile accidere potest remissa fuisse alia peccata eis qui nunc in peccato versantur; ergo pro peccatis illis remissis poterit fructum percipere Sacrificii peccator.

Resp. Dist. *maj*. Poterit remitti poena. potentia remota, seu nisi fuerit obex; conc. Existente obice: nego *maj*. Jam vero actualis inimicitia inter Deum et peccatorem obstat. ne acceptabile sit Sacrificium ad poenarum remissionem.

THESIS XXXIII.

Debet esse viator et fructu Sacrificii indigere, ut ille pro quo offertur assequatur effectum ex opere operato.

278. I.ª pars prob. Beatis et damnatis non potest prodesse Sacrificium ex opere operato. Sed reliqui sunt viatores; ergo. *Maj*. patet. Nam beatos nullius poenae posse debitores esse. perspicuum est. Ad damnatos autem nihil ex Christi redemptione pervenire. supponimus ex dicendis ubi de inferno sermo erit. *Minor* etiam perspicua est: animae enim. quae in loco poenarum purgantur. ad terminum nondum pervenerunt donec plene satisfaciant: ergo quoad hunc effectum et ratione beatitudinis nondum assequutae. in via versari dicendae sunt.

II.ª pars evidens est: oportet enim ut ex culpis remissis aliqua debeatur satisfactio; alioquin poena quae non debetur remitti non potest.

SCHOLION.

279. Cum facile accidere possit, ut is pro quo offertur Sacrificium, fructum ipsius percipere nequeat propter alicujus requisitae conditionis defectum; optimum est consilium, aliam semper conditionatam concipere intentionem, vi cujus Sacrificium certo suum consequatur effectum: aliter enim in solo Christo manet satisfactio, seu, ut dici solet, in thesauro Ecclesiae.

DISQUISITIO V.

De Poenitentiae Sacramento.

PROOEMIUM.

Dominus Noster Jesus Christus, ut mundum salvaret missus, *Euntes*, ait (1), *discite quid est, misericordiam volo et non sacrificium* (2): *non enim veni vocare justos, sed peccatores;* nempe ad *poenitentiam*, uti legitur apud Lucam (3), et in texto graeco S. Matthaei. Quae quidem commentans Ambrosius, pulchre arguit (4): «Ergo usurpatores justitiae non vocantur ad gratiam; nam si gratia ex Poenitentia, utique qui fastidit Poenitentiam abdicat gratiam.

Nemo ergo, justitiam usurpans, existimet se non egere Poenitentia; nemo praesumat, se posse sine Poenitentia veniam assequi peccati; nullus, etsi magnus peccator, gratiam Christi D. desperet, si ei ad Poenitentiam vocanti aures praebuerit.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De Poenitentiae existentia, necessitate et efficacia.
— II. De natura Poenitentiae uniter sumpta.
— III. De natura Poenitentiae quatenus est contritio et propositum ultra non peccandi.
— IV. De natura Poenitentiae quatenus est confessio.
— V. De natura Poenitentiae quatenus est absolutio.
— VI. De satisfactione Poenitentiam complente.

(1) Matt. IX, 13.—(2) Oseas, VI, 6.—(3) Luc. V, 32.—(4) In Luc. l. V, n. 22.

CAPUT I.

De Poenitentiae existentia, necessitate et efficacia.

ARTICULUS I.

De Poenitentiae existentia.

THESIS I.

Existit Deo accepta Poenitentia, ut peccatoribus indulgeat poenitentibus.

1. Haec doctrina est de fide catholica, eamque paucis confirmare sufficiet, adversus Lutherum (1) et quosdam ejusdem rigidos sectatores.

Prob. 1.° Tridentinum (2) ait: «Disponuntur ad ipsam jus»titiam, dum excitati divina gratia, et adjuti... moventur adversus »peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam »Poenitentiam, quam...» Item, can. 3 (ibid.): «Si quis dixerit, sine »praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio »hominem poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gra»tia conferatur; anath. sit.»

2.° In SS. Litteris passim laudatur Poenitentia et praescribitur. Christus D. venit: *vocare peccatores ad Poenitentiam* (3): docuitque futurum: *gaudium in coelo super uno peccatore Poenitentiam agente* (4). Joannes Bap. praedicabat dicens: *Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum* (5). Incipiens autem Jesus praedicare idem dicebat, testante Evangelista Matthaeo (6). Ezechielis ore hortabatur Deus populum (7): *Si autem impius egerit Poenitentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet et non morietur*. Rogantibus autem Judaeis, sermone Apostolorum compunctis: *Quid faciemus, viri fratres?* (8) dixit Petrus: *Poenitentiam agi-*

---

(1) Disp. 1 contra *Antinomos.* – (2) Sess. VI, cap. 6. – (3) Luc. V, 32. – (4) Ibid. XV, 7, 10. – (5) Matth. III, 2. – (6) Ibid. IV, 17. – (7) XVIII, 21. – (8) Act. II, 37, 38.

te... in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.

2. Dices: Antiochus Poenitentiam quidem egit (1): *Coepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire divina admonitus plaga... Ita ait: Justum est subditum esse Deo.* Unde et mala omnia quae fecerat emendare statuit: *super haec et judaeum se futurum, et omnem locum terrae perambulaturum, et praedicaturum Dei potestatem.* Atqui nihil illi profuit Poenitentia (2): *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus:* Ergo.

Resp. Dist. *min.* Nihil illi profuit Poenitentia, nec misericordiam est consecutus, quatenus a corporis doloribus, plagis et temporali morte non fuit a Deo ereptus; conc. Ita ut non fuerint eidem remissa peccata, atque adeo mortem quoque subiret aeternam; subdist. Si non vera, sed ficta Antiochi extiterit Poenitentia; conc. Si eum sincere peccatorum poenituit; nego.

ARTICULUS II.

De necessitate Poenitentiae.

THESIS II.

Poenitentia est necessaria, ea necessitate quae medii dicitur, ut peccata remittantur; et quidem per se formalis.

3. **Nota.** I.ª Poenitentia, ex suo formali conceptu, quemdam indicat animi motum, quo commissa peccata cum dolore detestamur ea emendare volentes. Cum autem in amore virtualiter odium lateat, oritur enim ex boni dilectione oppositi mali aversatio, exinde fit, ut in amore Dei et virtutis ipsa Poenitentia veluti in germine, seu virtualiter, comprehendatur.

II.ª Plures theologi cum Scoto docent, sufficere ad justificationem Poenitentiam virtualem; alii autem cum Melch. Cano putant sine formali Poenitentia non posse remitti peccata, etiamsi peccator Deum perfecta diligat charitate. Suarezius cum plurimis defendit esse quidem necessariam per se et ordinarie formalem Poenitentiam, verum sufficeret virtualis, si peccati oblitus et necessitatis poenitendi diligeret peccator Deum charitate perfecta.

---

(1) II, Machab. IX, 11, 12, 17.—(2) Ibid. 13.

III.ª Quae necessaria sunt necessitate praecepti ad salutem, ideo adhiberi debent, quia iis omissis offenditur Deus, et inde damnat ad mortem aeternam. Quae vero requiruntur necessitate medii, ideo necessaria sunt, quia sine illis abest necessaria dispositio, seu proportio mediorum ad finem; sive exinde intercedat culpa et Deus offendatur, sive non.

4. Pars. I.ª prob. quae est communis theologorum ac certa. 1.° Tridentinum docet (1): «Fuit quidem Poenitentia universis ho»minibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tem»pore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria; illis etiam »qui Baptismi sacramento ablui petivissent; ut perversitate abjec»ta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio »animi dolore detestarentur.» Ex quibus argues: ideo est, semperque fuit necessaria Poenitentia, quia oportet, ut qui perverse egit perversitatem abjiciat; et qui Deum offendit peccando, peccatum detestetur et Dei offensionem. Sed haec indicant requiri Poenitentiam tamquam necessariam proportionem et dispositionem ad finem, scilicet, ad justificationem et gratiam: ergo.

2.° Juxta Ezechielem, alia est necessitas poenitendi a necessitate omnia praecepta servandi: ergo necessitas Poenitentiae non est praecepti tantum, sed medii. *Ant.* patet (2): *Si impius egerit Poenitentiam ab omnibus peccatis suis, et custodierit omnia praecepta mea..... vita vivet et non morietur.* Confir. Ita necessarium est impio averti ab impietate ut justificetur et vivat, sicut justo averti a justitia ut moriatur (3). Sed haec aversio a justitia requiritur tamquam medium per se requisitum et proportionatum ut justus perire debeat: ergo eodem modo requiritur Poenitentia et conversio peccatoris ut vivat.

5. 3.° Augustinus (4): «Omnis qui jam arbiter voluntatis »suae est, cum accedit ad sacramenta fidelium (de Baptismo agit), »nisi eum poeniteat vitae prioris, novam non potest inchoare.» Ecce, ut intercedat debita proportio, est necessaria poenitentia.

4.° Si solum necessitate praecepti oporteret impium poenitere, peccatores mente capti, vel peccata sua obliti, cum poenitere nequeant, sine Poenitentia salutem assequi possent. Sed hoc est falsum: *Nisi Poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, ait Dominus (5). Confir. Sacramentum Poenitentiae est necessarium necessitate medii, ut infra dicetur. Sed contritio, seu Poenitentia, est pars illius necessaria: ergo.

6. II.ª pars prob. 1.° Doctrina Scripturarum et Conci-

---

(1) Sess. XIV, c. 1.—(2) Ezech. XVIII, 21. – (3) Ibid. 26, 27. — (4) Serm. 351, 2. - (5) Luc. XIII, 3.

liorum in sensu obvio per se est intelligenda: sed poenitere significat actum formalem Poenitentiae: ergo Poenitentia formalis est necessaria.

2.° Potest peccator. peccati sui nescius, actum charitatis elicere. Sed actus charitatis cum peccato esse nequit. *Min.* patet: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*, ait Christus D. (1). Et Augustinus (2): «Mundantur (peccata) ipsa charitate quae una si adsit, »omnia recte fiunt.» Ergo solum per se est necessaria formalis Poenitentia; per accidens autem sufficere poterit virtualis et in voto, prout continetur in actu charitatis.

7. Obj. 1.° Non repugnat quod is, qui peccati letalis conscientiam habet, Deum super omnia diligat. Sed dilectio disponit proxime ad gratiam: ergo Poenitentia non est necessaria ad justificationem et salutem necessitate medii.

Resp. Dist. *maj.* Si ita Deum diligat ut simul peccatum detestetur; conc. Aliter; nego. Habens enim peccati letalis actualem conscientiam, non poterit non dolere de illo, si Deum super omnia diligat; praesertim si non ignoret peccator, necessariam esse Poenitentiam et a Deo praescriptam.

Obj. 2.° Alia suppetunt media ut nobis a Deo condonentur peccata: ergo Poenitentia nequit medium esse necessarium. *Ant.* patet. Nam martyrium, dilectio charitatis, sacramenta aliqua, fides quoque, de qua dixit Dominus (3): *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*, sufficiunt ad delenda peccata.

Resp. Dist. *ant.* Media alia remota suppetunt; concedo. Media proxima: subd. Quibus adjuncta est poenitentia formalis vel virtualis; concedo, Aliter nego. Solutio patet ex dictis in Thesi.

ARTICULUS III.

De efficacia Poenitentiae ad remittenda peccata.

THESIS III.

Christus D. tradidit Ecclesiae potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa.

8. **Nota.** I. Potestas *clavium* generatim significat omnem jurisdictionis potestatem, quam tum in foro externo tum interno a Christo suscepit Ecclesia: speciatim vero pro potestate remittendi peccata post Baptismum commissa sumitur.

---

(1) Joan. XIV, 21.—(2) L. 2. contra *Crescon.* c. 12.—(3) Joan. XI, 15.

II. Primum novatiani et montanistae, deinde waldenses, wicleffitae ac hussitae, postremo lutherani et calvinistae ac omnes fere protestantes negarunt habere Ecclesiam potestatem remittendi peccata, a facultate baptizandi et Evangelium praedicandi distinctam.

9. Thesis, quae est de fide catholica, probatur.

1.° Tridentinum (1) hanc definivit doctrinam: post Baptismum fideles, per Poenitentiae sacramentum, Deo reconciliari si in peccata labantur. Item per illa verba, *Quorum remiseritis peccata...* Christum D.m «dedisse potestatem remittendi peccata in sacramen»to Poenitentiae;» dicta autem fuisse verba illa omnibus sacerdotibus. Haec doctrina tradita quoque fuerat a Florentino in Decreto pro *Armenis*.

2.° S. Zephyrinus PP., ut testatur (2) Tertullianus, jam montanista, edocebat hanc haberi ab Ecclesia potestatem: «Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium; »Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: »Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimit»to.» S. Cyprianus (3) ait: «Confiteantur singuli delictum »suum... dum admitti confessio ejus potest: dum satisfactio et re»missio facta per sacerdotem apud Deum grata est.» S. Pacianus (sec. 4), episc. Barcin. (4), dicebat: «Quare, sive baptizamus, »sive ad Poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxa»mus, Christo id auctore tractamus. Si poenitentibus remissio pec»catorum dari potuit, ais, Baptisma non fuit necessarium. Insulsi»ssima comparatio! Baptismus enim sacramentum est dominicae »passionis: poenitentium venia meritum est Confessionis.» Et n. 24 prosequitur: «Lege diligentius Cyprianum meum, lege to»tam de *Lapsis* epistolam; scies quid de poenitentium curatione »pronuntiet. Tertullianum post haeresim (nam inde multa »sumpsistis) ipsum epistola sua, et ea ipsa quam catholicus edidit, »audies confitentem posse Ecclesiam peccata dimittere.» S. Ambrosius (5) accusat novatianos, aitque successores esse judaeorum: «Nam et vos indignamini, et contra Ecclesiam congregatis »concilium, quia videtis mortuos in Ecclesia reviviscere, et pecca»torum indulta venia resuscitari.» S. Augustinus (6) ait: «Omnia ergo praeterita conversis dimittuntur, caeterum hujus vi»tae sunt quaedam gravia et mortifera, quae nisi per vehementissi»mam molestiam humiliationis cordis et contritionis spiritus et

---

(1) Sess. XIV, 1, 3, 10.—(2) L. de *Pudicit.* c. 1.—(3) L. de *Laps* n. 29.—(4) Epist. 3, ad *Sympron. Novat.* n. 7.—(5) De *Poenitent.* l. 2. c. 7.—(6) Serm. 278, c. 12.

»tribulationis Poenitentiae non relaxantur. Haec dimittuntur per »claves Ecclesiae.»

10. 3.° Christus D. dixit Petro (1): *Tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Similia deinde (2) dixit ceteris Apostolis. At post resurrectionem quod promiserat complevit Dominus (3): *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Potestatem ergo habet Ecclesia remittendi peccata, primo quidem generalioribus verbis promissam, deinde proprie atque explicite traditam. Confir. Ecclesia remittit, id est, remittere asserit ac supponit peccata; si ergo non habet ad id potestatem, ea remissio irrita ac nulla est, et coram Deo peccata non remittuntur, nec solvitur in coelis quod ejus ministri solvunt in terris. Atqui plane oppositum asserit Christus in praedictis evangelicis verbis: ergo.

THESIS IV.

Baptizatis non remittuntur peccata per Baptismum seu memoriam Baptismi.

11. **Nota.** Cum non possent Lutherus, Calvinus, ceterique haereseos sectatores S. Scripturae et Traditionis aperta negare testimonia; audacter et stulte finxerunt, debere ea interpetrari de ipsa potestate praedicandi Evangelium et administrandi Baptismum, quatenus per ipsum, vel postea per ejusdem memoriam excitata fide omnia dimittuntur peccata.

12. Propositio est de fide, et probatur. 1.° Ex Tridentino (4) definiente: Poenitentiam, qua in Ecclesia fidelibus remittuntur peccata, esse sacramentum a Baptismo distinctum: verba autem illa Salvatoris: *Quorum remiseritis peccata...* esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Poenitentiae, non autem de potestate praedicandi Evangelium.

2.° S. Pacianus (ibid. in Thes. praec.) ait: «Sive baptizamus, sive veniam poenitentibus relaxamus.» Ergo aliud est baptizare, aliud remittere peccata poenitentibus, et utrumque ab Ecclesia perficitur. Utriusque autem potestatis notat ipse Pacianus differentiam; quod, ut remittantur peccata poenitentibus, horum requiritur confessio, quod sane nemo necessarium dicet vel ad Baptismum suscipiendum, vel ad ejusdem memoriam habendam.

---

(1) Matth. XVI, 19.—(2) Ibid. XVIII, 18.—(3) Joan. XX, 22, 23.—(4) Sess. XIV, can. 1. 2, 3.

S. Athanasius (1): «Sicut homo ab homine sacerdote bapti»zatus illuminatur Spiritus Sancti gratia, ita et confitens in Poe»nitentia a sacerdote accipit remissionem gratia Christi.» Haec perspicua sunt, non enim ad memoriam habendam Baptismi opus est confessione vel sacerdote. Tertullianus explicite declarat, quam sit diversa a Baptismo haec secunda Poenitentia (2). «Quando in arcto negotium est, tanto operosior probatio..., pleros»que hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in »diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis... »An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Gehennam »in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit... Quid ergo »ultra de istis duabus humanae salutis plancis, styli potius nego»tium, quam officium conscientiae meae curem?» Si vel leviter haec perpendas, facile videbis differre omnino a Baptismi memoria hanc secundam salutis plancam. S. Hieronymus (3): «Per »has duas portas Baptismi et Poenitentiae in Jerusalem, id est, in »Ecclesiam vel introitus vel reditus est.» Et iterum (4): «Ignoremus »Poenitentiam, ne facile peccemus. Illa quasi secunda post naufra»gium miseris tabula est; in virgine integra servetur navis.» Haec quidem Hieronymus. Jam vero si peccata baptizati per ipsum Baptismum remitterentur, neque per secundam portam rediret ad Ecclesiam, neque per secundam tabulam evaderet naufragium navi convulsa, qui peccatorum suorum venia indiget.

13. 3.° Poenitentia est de necessitate medii ut remittantur peccata. Atqui memoria Baptismi non est Poenitentia; ergo non sufficit talis memoria etc. *Maj.* patet ex Thesi II.

14. Obj. 1.° Cum Calvino; Baptismus non deletur peccatis: ergo permanet. Atqui Baptismus habet virtutem abluendi peccata: ergo inutile est, neque datur aliud pro remissione peccatorum remedium: et quod: «Hieronymus dure et improprie dixit, Poenitentia reparari Baptismum, boni isti interpretes (Catholici) ad suam impietatem trahunt.»

Resp. Obscure haec dicuntur, ut umbram aliquam veritatis induat error. 1.° ergo distinguo *Ant.* Non deletur Baptismus quoad aliquem effectum ipsius, characterem scilicet; conc. Quoad omnes effectus, puta, gratiam santificantem; nego ant.

Resp. 2.° Nego suppositum: scilicet, permanere Baptismum sive post, sive antequam peccet baptizatus; consistit enim Baptismus in actu transeunte, non permanente.

Resp. 3.° Aliud quoque nego suppositum; nempe Hierony-

---

(1) Adv. *Novat.* Apud Galland. t. 5, p. 213.—(2) *De Poenitn.* cap. 9, 10, 12. —(3) In Sophon. I, 10.—(4) Ep. ad *Demetriad.* n. 9.

mum dicere: «Poenitentia reparat Baptismum.» Potius contrarium omnino docet, dicens: «Quod si nec sic Poenitentiam vult agere, et fracto navigio, tabulam, per quam salvari poterat, non retentat; cogor dicere: Nonne aversabor eum? dicit Dominus.»

Obj. 2.° In veteri Ecclesia vocatur Baptismus sacramentum Poenitentiae: sic et Baptismus Joannis Baptismus Poenitentiae in Evangelio appellatur: ergo omnis Poenitentia ac remissio peccatorum ope Baptismi perficitur.

Resp. Dist. *ant.* Dicitur Baptismus sacramentum Poenitentiae, scilicet, Poenitentiae illius quae agenda est ante Baptismum: conc. Poenitentiae cujuslibet; nego *ant.* et consequentiam.

15. Obj. 3.° Fides et Baptismus ad salutem sufficiunt, juxta Domini promissionem (1): ergo non alia opus est Poenitentia praeter fidem et susceptum Baptismum.

Resp. Dist. *ant.* Sufficiunt ad salutem conditionate, scilicet, si fidem operibus tenet baptizatus, et non peccet; conc. Sufficiunt absolute; nego. Paulus sane dixerat (2): *Omnes filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu: quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Tamen deinde hortatur: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis... Manifesta sunt autem opera carnis: quae sunt fornicatio, immunditia... et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Igitur qui post Baptismum iterum peccavit, promissis non stetit, fidem non servavit; ideoque non a Baptismo, sed a Poenitentia salutem sperare tenetur.

Obj. 4.° Docet Augustinus (3), per Baptismum remitti peccata praesentia et praeterita, et etiam quae posteriori tempore admittuntur.

Resp. Distinguo et explico: quia per Baptismum disponimur ad cetera sacramenta et fructuosam Poenitentiam; conc. Ita ut immediate remittantur Baptismo posteriora peccata; nego. Hanc esse Augustini mentem indubium est, ex multis ejusdem sententiis. Sic ait (4): «Si a catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur; si a baptizato, Poenitentia et Reconciliatione.» Ita passim S. Doctor.

---

(1) Marc. XVI, 16. — (2) Galat. III, 26, 27; V, 16, 19, 21. — (3) De *Nupt.* l. 1, c. 33. — (4) De *adult. coniug.* c. 16, l. II.

THESIS V.

Poenitentia, quae ex contritione perfecta concipitur, remissionem peccatorum statim assequitur.

Nota. Errori Lutheri opponitur thesis; ajebat enim, omnes peccatoris actus, etiam charitatis peccata esse, adeoque nullatenus posse charitatem cum Deo peccatorem reconciliare.

16. Doctrina tamen nostra est certa et catholica.

Prob. 1.° Ex Trident. Conc. (1) docente: «Contritionem »charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacra»mentum actu suscipiatur.»

2.° Dominus Jesus dixit (2): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Et Joannes ait (3): *Omnis qui diligit, ex Deo natus est... et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.*

17. 3.° S. Ambrosius (4): «Qui natus ex Deo, peccatum »non facit: quia per charitatem, quae Dei semen est, peccatum non facit; charitas enim operit multitudinem peccatorum.» S. Augustinus (5): «Deum diligis; quid dicam? Deus eris. Non audeo »dicere ex me; Scripturas audiamus: *Ego dixi, dii estis et filii Al»tissimi omnes.*» Et rursus (6): «Homo Dei charitate sanctificatur, »ut beatissimus maneat.» S. Fulgentius: «Quia ingemuit »David, ex toto corde conversus, continuo salvus factus est; atque »ita in eo completum est quod per prophetam praecipitur: si con»versus fueris et ingemueris, salvus eris (7).»

4.° Argumentum, quod hic insinuat Fulgentius, est. Dixit Deus per Prophetam (8): *Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Atqui per contritionem perfectam, id est, propter Deum summe bonum conceptam, convertitur peccator ad Deum; ergo.

COROLLARIUM

Ut per contritionem perfectam remittantur peccata, non opus est eam procedere ex charitate admodum intensa; sed sufficit quilibet gradus contritionis perfectae.

---

(1) Sess. XIV, c. 4.—(2) Jo. XIV, 21.—(3) I. Joann. IV, 7, 16.— (4) Ep. 33, ad *Demetriad.*—(5) Tract. I, in Jo.—(6) De *Doctr. Christ.* l. 3, c. 12.—(7) De *Remissione peccat.* c. 12.—(8) Zachar. I, 3.

18. Hoc colligimus cum communi doctorum adversus Bajum, Jansenium imo et Estium, aliosque nonnullos catholicos qui novatoribus in hoc consenserunt, et probamus.

1.° Pius V et Gregor. XIII damnarunt has Baji propositiones: «Charitas perfecta et sincera potest esse sine remis»sione peccatorum.» «Homo in peccato mortali existens potest ha»bere veram charitatem.» Atqui natura verae charitatis non pendet a gradibus intensitatis: magis enim et minus, ut fert effatum, non mutant speciem; ergo quaevis perfecta contritio, licet remissa, justificationem operatur.

2.° Si perfecta contritio, et ex toto corde conversio, ab intensione penderet, non sufficeret charitas admodum intensa; sed opus esset *intensissima*, summe intensa; dum enim deest gradus altior, erit imperfecta, non ex toto corde. Sed hoc nec audent illi proferre, estque aperte absurdum; ergo et primum. Qua enim ratione discrimen facient, ut dicant; novem contritionis gradus efficere charitatem imperfectam, decem autem perfectam, licet ad undecim non perveniat?

19. Obj. 1.° Si perfecta contritio ad justificationem proxime disponat, non erit necessaria Confessio sacramentalis.

Resp. Dist. *ant.* Si disponat absque Confessionis voto; concedo conseq. Aliter; nego. De hac tamen difficultate inferius occurret sermo.

Obj. 2.° Mulier illa peccatrix (1) prius dilexerat et quidem *multum*, antequam ei remitteret Dominus peccata: *Remittuntur tibi peccata*. Ergo non sufficit perfecta contritio.

Resp. Nego *ant.* et *conseq.* Nam: a) actualis remissio non excludit praeexistentem remissionem, cum actus divinus semper duret et operetur, si ex parte creaturae impedimentum non intercedat: unde semper actu Deus remittit quod semel remisit.—b) Illa verba Domini: *Quoniam dilexit multum*, si litteram perpendamus, non dispositionem innuunt qua fuit mulier justificata, sed potius dilectionem illam qua post justificationem exardebat.

20. Obj. 3.° Ananias (2) Paulo dixit: *Baptizare et ablue peccata tua*. Atqui Paulum conversum ac perfecte contritum fuisse non videtur dubitasse Ananias: ergo.

Resp. Explico Ananiae verba: Baptismi gratia per se ad peccata abluenda ordinatur; *abluti estis, sanctificati estis* (3). Unde sicut recte dicis, te aqua manus abluere, licet forsan mundae existant; ita et dicitur Baptismum abluere, etiamsi peccata fuerint

---

(1) Luc. VII, 47.—(2) Act. XXII, 16.—(3) I. Cor. VI, 11.

prius remissa: praesertim cum numquam fiat remissio nisi ex voto ipsius Baptismi.

21. **Nota.** Aliquorum Patrum sententias, quibus absoluta Baptismi necessitas asseritur, intelliges, quatenus significare intendunt non quasi *simplex mandatum* esse necessarium Baptismum, sed majori necessitate, quam *medii* nunc theologi dicunt.

THESIS VI.

Omnia peccata remitti per congruam Poenitentiam possunt: unde et Ecclesia potest omnia remittere.

22. **Nota.** Communis ac catholica est doctrina haec; opposita autem jure a Suarezio haeretica dicitur. Montanistae, ac novatiani, qui et cathari dicti sunt, volebant solum Deum, non autem Ecclesiam, posse graviora absolvere peccata.

I.ª pars prob. 1.° In libro Sapientiae docemur (1): *Misereris omnium, quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter Poenitentiam; parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Isaias dicit (2): *Omnes sitientes venite ad aquas... Quaerite Dominum dum inveniri potest... Derelinquat impius viam suam, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Dominus praecepit orare (3): *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris... Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis*, etc. Ex quibus patet remissionem promitti peccatorum nullo excepto. Apud Ezequielem (4) sermo est de homicidis, idololatris, adulteris, etc.; tamen ait Dominus: *Si autem impius egerit Poenitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Similia videbis apud Joannem (5).

2.° Concilium Later. VI, c. *Firmiter*, definivit: «Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram Poenitentiam semper potest reparari.»

23. 3.° S. Hieronymus (6) docet: «Quod facit Baptisma, hoc facit et Poenitentia.» S. Augustinus, cum scripsisset esse aliquod peccatum quod non possit remitti; retractavit deinde dicens (7): «Addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversi-

---

(1) XI, 24, 27.—(2) LV, 1, 6, 7.—(3) Matth. VI, 12, 14, 15,—(4) XVIII.—(5) Apoc. IX, 20, 21.—(6) In Ose. c. XII, V, 19.—(7) *Retract.* l. 1, c. 19, n. 7.

tate finierit hanc vitam, quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.» Et alibi (1): «Admonemur »ut intelligamus (Matth. XVIII, 22) nullum peccatum excipi, »quod poenitenti et veniam deprecanti per Ecclesiam, cujus perso»nam Petrus gestat, non dimittatur.»

24. II.ª pars prob. et simul prima confirmatur.

1.° Trident. Concilium (2) ait: Christus voluit «Ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari.» Arausicanum quoque concilium decreverat, can. 3, in articulo mortis communionem cuilibet poenitenti posse concedi.

2.° Facultatem dedisse Christum Ecclesiae universalem apertum est ex laudatis supra (Thes. III.) verbis: *Quorum remiseritis peccata*, etc. *Quaecumque solveritis*, etc.

25. 3.° S. Hilarius (3) ait: «Neque fas est nos et praescripto legis dandae veniae numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta.» S. Pacianus similiter (4): «*Quaecumque solveritis*, inquit, omnino nihil excipit. *Quaecumque*, inquit, vel magna vel modica.» S. Ambrosius (5): «Omnibus conversis pollicetur (Ecclesia) veniam, quia »scriptum est: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus »erit.*» S. Augustinus ut in I.ª parte.

26. 4.° Ex ratione theologica confirmari thesis potest. a) Certum est, ut supponimus, Christum pro omnibus mortuum esse, pro peccatis omnium satisfecisse, velleque sincere omnium salutem, etiam peccatorum: *Venit enim Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat* (6); atque docente Joanne (7): *Si quis peccaverit, advocatum habemus, apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Atqui nomine Christi absolvit Ecclesia et virtute meritorum ipsius; ergo adversantur Christi redemptioni negantes Ecclesiae potestatem omnia absolvendi peccata. b) Montanistae et novatiani hoc contendebant, non posse Ecclesiam graviora peccata remittere: atqui illi damnati fuere et inter haereticos computati: ergo, etc. Hinc ajebat Fulgentius (8): «Qui non credit intra Ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc sacculo in eadem impoenitentis cordis duritie perseverans, alienatus ab ecclesiastica societate discedat.»

---

(1) *Quaest. evang.* l, 2, c. 6.—(2) Sess. XIV, c. 2.—(3) In Matth. XVIII, 10. (4) Ep. 13, n. 12.—(5) *De Poenit.* l. 2, c. 4 —(6) Luc. XIX, 10.—(7) I Joan. II, 1, 2.—(8) *De Remiss. Pecc.* l. 1, c. 23.

27. Obj. 1.° Blasphemiam in Spiritum S. non remitti neque in hoc saeculo, neque in futuro, edocet Dominus (1). Ergo.

Resp. 1.° Concedo totum, et nego conseq. Thesis loquitur de iis peccatoribus qui congruam agunt Poenitentiam: jam vero Christus non loquitur sub ista hypothesi.

Resp. 2.° Dixit haec Dominus juxta connaturalem ordinem. Cum enim ad conversionem et Poenitentiam necessum sit Spiritus Sancti gratia peccatorem dociliter duci, illi qui opera et illustrationes Spiritus Sancti blasphemant, prava reputant ac diabolica (de his enim locutus est Christus), sibi viam omnem salutis occludunt.

Obj. 2.° Nequit remittere Ecclesia peccata nisi congrue poenitentibus: sed qui postquam fuerat illuminatus seu baptizatus, peccavit iterum, *impossibile est rursus renovari ad Poenitentiam* (2): ergo.

Resp. Explico verba Pauli. Non loquitur Apostolus de quavis Poenitentia, sed de illa tantum, quae Baptismi regeneratione perficitur. In hac enim Poenitentia simpliciter renovamur vi sacramenti a quovis peccato, originali, mortali, veniali, omniumque poenis: jam vero talem renovationem ex opere operato non debent expectare qui semel illuminati prolapsi sunt.

Inst. Agit Paulus de renovatione, quae via est et medium ad Poenitentiam: ergo non agit de Baptismi renovatione, quae terminus potius existit Poenitentiae.

Resp. Dist. *ant.* Renovatio illa inchoata et incipiens est via ad Poenitentiam consummatam; conc. Illa renovatio plena et perfecta est via et medium ad Poenitentiam; nego *ant.* Scilicet, ipse Baptismus consummat non solum renovationem, sed ipsam Poenitentiam; quia dum mundamur aqua, humiliamur, nostram profitentes peccatorum immunditiem; mystice morimur, et consepelimur cum Christo, ac cum resurgimus, assequitur Poenitentia suum effectum ac ideo consummatur. Hac igitur ratione, dum baptizari volumus, ac disponimur ad Baptismum, et aquis immergimur, recte dicitur, quod renovamur ad Poenitentiam plenam et consummatam.

28. Obj. 3.° Ipse Apostolus (3) omnem esse inanem Poenitentiam post Baptismum asserit: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam expectatio judicii.*

Resp. Dist. seu explico ejusmodi sententiam. Voluntarie peccantibus, ita ut, non habeamus amplius fiduciam in sanguine Christi, et deseramus viam novam quam Christus initiavit, nec teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem; concedo: nempe iis pec-

---

(1) Matth. XII, 31, 32.—(2) Hebr. VI, 4, 6.—(3) Ibid. X. 26, 27.

cantibus non relinquitur hostia: unica enim hostia est Christus, ut toto eo capite docet Paulus. *Voluntarie peccantibus* quovis peccato; nego iis esse inanem Poenitentiam et sanguinem Christi.

Obj. 4.° Paulus (1) adhortans fideles ad omnem disciplinam et rectam operationem, Esaü proponit exemplum; qui *postea cupiens haereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit Poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Ergo quaevis peccata post Baptismum non remittuntur.

Resp. nego *consequent.* et paritatem. Non enim intendit Paulus dicere, nullius peccatum remitti posse, sicut Esaü amissam benedictionem non potuit recuperare; verum quod oporteat cavere ne a Deo propter peccata tandem reprobemur, sicut Isaac reprobavit Esaü, et benedictionem Jacob impertitam revocare noluit: neque enim Deus post reprobationem sententiam mutabit.

29. Obj. 5.° Joannes (2) ait: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Ergo sunt saltem peccata aliqua, quorum non est remissionis spes.

Resp. 1.° Nego *conseq.* Non enim agit S. Joannes de peccatore aliquo, qui, si poeniteat eum ac oret, non debeat sperare; sed de orationibus quas fundere pro fratribus peccantibus debemus. Atqui oratio peccatoris, Poenitentia, et alii actus ipsius sunt a Deo ordinati ad misericordiam ipsi praestandam, ut Tridentinum (3) docet: licet ergo nollet Deus preces aliorum exaudire pro peccatore aliquo, non inde deducitur ipsius peccatoris orationem et Poenitentiam fore inanem, vel potestatem Ecclesiae fuisse a Christo limitatam.

2.° Respondent aliqui, voluisse S. Joannem indicare, difficillimam esse aliquorum peccatorum Poenitentiam ac remissionem, juxta ea quae supra diximus (Obj. 1.° et 2.°): proinde si pro iis non exorent fideles, eos non improbat Joannes.

3.° Responsio magis obvia et litteralis videtur, peccatum ad mortem esse illud, in quo absque ullo Poenitentiae signo usque ad mortem perseveratur. Cum enim in praecedentibus versiculis efficaciam orationis commendasset Apostolus; adhortans ad orandum pro fratribus peccantibus edocere voluit, nullam esse remissionis spem neque fructuosam Poenitentiam pro iis, qui in peccato moriuntur.

Obj. 6.° Heli (4) filiorum peccatum arguebat: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccave-*

---

(1) Hebr. XII, 17.—(2) I Joan. V, 16.—(3) Sess. VI, c. 6.—(4) 1 Reg. II, v. 25.

rit vir, quis orabit pro eo? Ergo quae in Deum directe fiunt peccata, non sunt remissibilia.

Resp. Nego *conseq.* Voluit enim significare Heli, graviora esse impietatis peccata, et minorem proinde esse spem exorantium pro impiis; non autem putavit Heli ea nunquam remitti. Praeterquam quod, fuisse verba illa sacerdotis divinitus inspirata textus sacer non tradit.

30. Obj. 7.° Apud SS. Patres non desunt testimonia, quibus patet non posse remitti quaedam peccata.

a) Concil. Illiberitanum decrevit: «Placuit nec in fine eos »(peccatores quosdam) ad communionem recipere.» Et quidem hanc fuisse priorem consuetudinem testatur Innocentius I (1).

b) S. Cyprianus (2): «Prohibendos (peccatores) omnino »censuimus a spe communionis et pacis, si in infirmitate atque in »periculo ceperint deprecari... Nec dignus est in morte recipere so»latium, qui se non cogitavit esse moriturum.»

c) Tertullianus (3) arguit Ecclesiam Romanam, quod veniam moechis concederet, idololatris autem et homicidis denegaret: sensus ergo Ecclesiae erat crimina idololatriae et homicidii non posse remitti.

d) S. Pacianus tria crimina esse irremissibilia docet (4): «Quaecumque peccata contrariis emendata proficiunt. Quid vero »faciet contemptor Dei (idololatra)? Quid aget sanguinarius (homi»cida)? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare »Deum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum »qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum qui illud forni»cando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia... Haec »quicumque post fidem fecerit, non videbit faciem Dei.....»

e) S. Ambrosius (5) dicit: «Sicut unum Baptisma, ita una »Poenitentia.» Videtur ergo semel tantum posse remitti peccata. Tertullianus (6) similiter: «Collocavit in vestibulo Poeniten»tiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia »jam secundo, sed amplius nunquam.»

Resp. Negatur ejusmodi testimonia probare peccata aliqua esse irremissibilia; quod paucis explicabimus, et inde alia similia poteris diluere.

a) Concilium Illiber. et Innocentius agebant non de peccati remissione, sed de externa cum ceteris fidelibus communicatione, qua possent peccatores ad sacram accedere Eucharistiam, et cum fidelibus omnibus convenire.

---

(1) Ep. ad *Exuper.*—(2) Ep. ad *Anton.*—(3) L. de *Pudicit.* c. 9.—(4) *Para n.* ad *Poenit.*—(5) De *Poenit.* l. 2, c. 10.—(6) De *Poeniten.* c. 7.

b) B. Cyprianus ait (ibid.) non vere detestari peccata sua eos qui ad mortem differunt Poenitentiam; quemadmodum non odit merces qui propter naufragii periculum eas projicit in mare. Quod sane non est concedendum; tamen si concederetur, non inde falsa erit thesis, sed potius confirmabitur. Nam si nequeunt absolvi quia ficta est eorum Poenitentia; ergo remitti possent peccata si vere eos poeniteret delicti sui. Verum forsan in eodem locutus sensu Cyprianus quo Illiber. Concilium, et rationem illam congruam adjecit, quod dilata illa morientium Poenitentia suspecta existat.

c) Tertullianus, jam haereticus, non pauca urgebat adversus Romanam Ecclesiam fallacia argumenta. Proinde negandum est, recusatam fuisse veniam homicidis et idololatris: vel ad summum, ne calumniator videatur Tertullianus, dicemus negasse quidem Ecclesiam iis peccatoribus communionem externam vel eucharisticam, non vero iisdem vere poenitentibus veniam.

d) Sanctus quidem Pacianus ea dixit; non sane ut remitti non posse ea crimina doceret, sed ut manifestaret adeo esse gravia et enormia, ut non quaevis ad ea diluenda sufficeret Poenitentia, sed opus esse illa solemni et publica quae coram Ecclesia perficiebatur, ad quam deinde tales peccatores vehementer adhortatur.

e) S. Ambrosius aliique Patres de publica agunt Poenitentia, quae juxta antiquam disciplinam semel concedebatur, ne contemneretur et minus efficax evaderet: privata autem Poenitentia et peccati quoad culpam remissio numquam fuit ab Ecclesia recusata.

Dices: mitiorem extitisse Ecclesiam cum recidivis peccatoribus, quibus poenitentiae solemnis pudorem non injungebat.

Resp. Nego *conseq.* Nam primo, isti carebant communibus orationibus, suffragiis, et fidelium lacrymis, quibus publici poenitentes juvabantur: secundo, qui solemni poenitentia perfuncti erant redire poterant ad fidelium ecclesiasticam Communionem; ii autem quibus secundo negabatur Poenitentia, quasi excommunicati usque ad mortem persistere cogebantur.

THESIS VII.

Licet simul cum culpa remittatur poena aeterna, non tamen semper tota indulgetur poena temporalis.

31. **Nota.** I. Dissentiunt a doctrina Ecclesiae protestantes, qui contendunt omnem poenam cum culpa a Deo remitti, ideoque inutiles esse pro peccatis poenales satisfactiones. Ita Lutherus, Calvinus, caeterique sectarii.

II. Poena duplex distinguitur pro peccato: alia dicitur *damni*, quae in privatione beatitudinis, seu divinae visionis sita est; alia *sensus*, quae tormenta caetera comprehendit.

32. I.ª pars, quae certa fide constat, probatur:

1.° Tridentinum (1): «Hanc dispositionem, seu praepara»tionem, justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccato»rum remissio, sed et sanctificatio... Unde homo ex injusto fit »justus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae »aeternae.» Concilium Lateran. II. (2) ait: «Quia inter caete»ra unum est, quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa vi»delicet poenitentia, confratres nostros et Presbyteros admone»mus, ne falsis poenitentiis laicorum animas decipi et in infernum »pertrahi patiantur.» Vera igitur Poenitentia ab inferni poenis liberat.

2.° Apostolus docet (3): *Cum enim servi essetis... nunc liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*, etc. Vide praeterea apud eundem Apostolum Poenitentiae effectus (4), necnon in Actibus Apost. (5).

33. II.ª pars prob. 1.° Trident. (6): «Si quis... cuilibet »peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae »deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exol»vendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam »ad regna coelorum aditus patere possit; anath. sit.»

2.° David ad Deum conversus et veniam assecutus adulterii, tamen graves subire deinde debuit poenas (7). Laudat Spiritus S. Judae machabaei pietatem (8), quod jusserat offerre oblationes et orationes pro iis qui in bello obierant.

34. 3.° Augustinus (9) ait: «Impunita peccata, etiam eorum »quibus ignoscis, non reliquisti: sic misericordiam prorogasti ut »servares et veritatem.» Et Chrysostomus (10); «Ne peccan»tes efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium.» Gregorius M. (11): «Nequaquam peccato parcitur, quia nullate»nus sine vindicta laxatur.»

4.° Communi patet ac perpetua Ecclesiae praxi, poenas imponentis pro peccatis, et pro defunctis satisfactiones Deo offerentis. Rationem hujusce Providentiae assignant Patres: nempe inde malitiam peccatorum facilius assequimur, ne pejores evadamus e divina misericordia occasionem peccandi sumentes.

---

(1) Sess. VI, c. 7.—(2) Can. 22.—(3) Rom. VI, 20, 22, 23.—(4) Ibib. II, 4-7.—(5) XI, 18.—(6) Sess. VI, c. 14. Item Sess. XIV, can. 12. — (7) II Reg. XII.—(8) II Mach. XII, 43, 46.— (9) In Ps. 50.— (10) Homil. de *Poenit.* et *Confess.*—(11) *Mor.* l. 9, c. 27.

35. Obj. 1.° S. Chrysostomus (ibid.) ait: Deum non punire ut sumat supplicium de peccatis, sed ut corrigat nos. Idem docet Augustinus (1); ad humilitatem et virtutis exercitium punire Deum remissa peccata.

Resp. Haec et alia similia intelligentur, si duplicem de peccatis vindictam cum eodem Augustino (2) distinguamus. Alia enim ita vindicat peccatum, ut ad consumptionem seu damnationem peccatoris tantum ordinetur; alia autem ita vindicat, ut bonum simul intendat peccatoris. Hoc igitur secundo vindicandi modo punit Deus peccata remissa. «Est ira consummationis et est ira con»sumptionis. Nam omnis vindicta Dei ira dicitur: sed aliquando »ad hoc vindicat Deus, ut perficiat; aliquando ad hoc vindicat, ut »damnet... Quomodo ad hoc vindicat ut damnet? Quando posuerit »impios ad sinistram, et dixerit eis: *Ite in ignem aeternum...*» Unde licet non ita vindicet Deus peccata remissa, ut velit damnationem peccatoris, sed perfectionem; tamen ipsum vere punire intendit. «Nam non potest impunitum relinqui peccatum: quoniam verum »est: *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem*» (3).

Inst. Juxta Augustinum, punitio ista, qua se punit peccator, est ipse dolor ac poenitentia qua ei remittitur a Deo peccatum: ergo post remissionem, nulla superest poenae obligatio. *Maj.* prob. «Antequam ipse attendat ut puniat, tu praeveni confitendo et puni. »Et ideo tui miserebitur Deus, quia jam te operantem aequitatem »invenit Deus. Quid est operantem aequitatem? Quia hoc in te odi»sti, quod et ille odit; ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis »quod displicet Deo.» (ibid). Atqui confiteri peccatum et odisse nihil est aliud quam ipsa Poenitentia et dolor peccati: ergo.

Resp. Dist. Punitio ista inchoata est ipse dolor quo remittitur peccatum: conc. Ista punitio plena et perfecta est ipse dolor; nego. Nam notes illa Augustini verba: «Ut incipias placere Deo, »dum..., etc.» Quod ut clarius perspicias haec alia perpendas (4): «Dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero; si libidinum incitamenta frenavero; si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero; si me poenitendo vehementius quam prius excruciavero; si miserabilius ingemuero; si flevero uberius; si vixero melius; si pauperes sustentavero largius; si charitate, quae operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius? Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi ista proderunt in posterum...? etc.»

---

(1) De *pecc. merit.* l. 2, c. 33.—(2) In Ps. 58, Sermo II, n. 6.— (3) In Ps. 58, ser. I, n. 13.—(4) Ep. 153, Cl. III.

36. Obj. 2.° Causa poenae est peccatum. Sed nequit dari effectus sine causa: ergo sublato peccato, et omnis remittitur poena.

Resp. Dist. *maj.* Radicalis et inadaequata causa poenae est peccatum; conc. Adaequata et proxima; nego. Nam proxima causa est jus Dei ad satisfaciendum suae justitiae. Dein distinguo *min.* Si effectus pendeat a causa, tum quod existentiam, tum quoad durationem; conc. Si solum pendeat quoad esse; nego min. Etenim debitum poenae permanet dum Dei voluntas illud non remittit; sive dimissa fuerit culpa, sive non. Ex peccato enim sequitur duplex debitum in peccatore; tum sustinendi odium Dei, quod respicit culpam; tum satisfaciendi divinae justitiae, quod postulat poenam: potest autem Deus, remisso priori, aliud debitum exigere.

THESIS VIII.

Peccatum Poenitentia remissum non redit amplius, ita ut a Deo imputetur quoad culpam vel poenam.

37. **Nota.** I.° Thesis haec jam certa est contra aliquos antiquos doctores, et traditur a D. Thoma, S. Bonaventura, Scoto, Suarezio, et communiter a scholasticis.

II. Peccatum considerari potest, ut est quid physicum, vel ut est quid morale; seu, quatenus est haec individua entitas producta a vitali potentia, vel ut habens talem respectum ad liberam voluntatem et ad Dei prohibitionem et aversionem. Quaestio non est de reditu peccati secundum ejus physicam et individuam entitatem, quasi, nempe, quaeratur, an possit iterum produci a voluntate idem numero actus; hanc enim inquisitionem metaphysicis permittimus: sed sermo est de reditu morali, quatenus propter illud jam remissum peccatum, rursus fiat peccator objectum divinae aversionis et condemnationis.

38. Prob. 1.° Apud Ezechielem dicitur (1): *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et Jeremiae (2): *Propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* Isaias autem (3): *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas, et peccatorum tuorum non recordabor.* In Novo Test. docemur peccata absolvi absolute et simpliciter: atqui non ita fieret si aliquando reviviscerent. *Major.* patet: dixit Dominus (Vide supra Th. III): *Quodcumque solveris... erit solutum*

(1) XXXIII, 12.—(2) XXXI, 34.—(3) XLIII, 25.

et in coelis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item (1): «Confide, fili; dimittuntur tibi peccata tua.»

2.° Gelasius PP. ait (2): «Divina clementia remissa peccata »in ultionem ulterius vivere non patitur.» Hieronymus (3) dicit: «Deum non praeterita in utroque (justo et peccatore) judica»re, sed praesentia.» Augustinus quoque (4): «Si remittuntur »peccata), profecto in futuro saeculo non nocebunt.» Et S. Prosper (5): «Qui... alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in »perditionem vadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec »in originali peccato damnabitur.»

39. 3.° Si redirent peccata remissa, necessum foret iterum de iisdem Poenitentiam agere et absolutionem quaerere: sed numquam id factum est in Ecclesia, numquam fideles de re adeo necessaria edocti sunt; ergo.

40. **Corollarium.** Ex his patet etiam, neque reviviscere peccata quoad debitum poenae.

Nam alias rursus recordaretur Deus peccati plene remissi, quod negat Propheta; ultionem adhuc exerceret divina clementia; nocerent peccata et damnationem inducerent, quod negant laudati Patres. Ad rem Hieronymus (6): «Neque enim Deus hominibus, »sed vitiis irascitur: quae cum in homine non fuerint, nequaquam »punit quod mutatum est.»

41. Obj. 1.° Christus D. (7) proposuit parabolam de rege qui remiserat servo suo omne debitum: deinde vero quia hic servus crudeliter egit cum conservo suo, *Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ergo sicut dominus ille revocavit debiti donationem, ita Deus peccati remissionem.

Resp. Negatur *consequent.* Non enim stat similitudo parabolae in eo, quod sicut rex revocavit donationem, ita Deus rursus imputabit remissam culpam; sed in hoc, quod quemadmodum punivit rex crudelitatem servi illius, qui noluit conservi sui ullatenus misereri, ita puniet Deus nolentes remittere offensiones fratrum suorum. Haec quidem punitio poterit major, minor vel aequalis esse (pro ratione culpae) illi, quam forsan prius Deus condonaverat; sicut rex illam tantam imposuit mulctam (et insuper carceris poenam), quantum fuerat debitum remissum: verum non inde sequitur, poenam hanc in culpae primum remissae vindictam esse impositam.

---

(1) Matth. IX, 2.—(2) Dist. 4, de *Poenit.* c. 24.—(3) In Ezech. 33, 12.—(4) *Enchir.* c. 66.—(5) Resp. 2, ad Obj. 2.am *Gall.*—(6) In Daniel. IV, 24.—(7) Matth. XVIII, 34, 35.

Obj. 2.° Propheta (1) ait: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Ergo quod Deus jam tradidit oblivioni seu remisit. potest in vindictam revocare.

Resp. Nego *conseq.* Non enim ea est interpretatio. sed «miserere »nostri. nec punias pro iniquitatibus nondum penitus remissis;» ut patet ex sequentibus: *Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis... et propitius esto peccatis nostris.* etc.

42. **Nota.** Sententias aliquorum Patrum, quibus redire priora peccata innuere videntur. facile intelliges quatenus posteriora vel similitudinem aliquam cum prioribus gerunt. vel unum quid morale coefficiunt. vel quia prima peccata ad subsequentia viam straverunt. *Abyssus enim abyssum invocat.* (Ps. XLI, 8).

Unde 1.° Cum quis in eadem labitur peccata. redire peccatum dicitur. quia ejusdem sunt speciei: sic redire febrim dictitamus.

2.° Cum peccati remissio argumentum existat summae Dei bonitatis. nova peccata ingentem exhibent ingrati animi turpitudinem: hujus autem malitiae occasionem praebent priores culpae, et ideo virtualiter in suo effectu reviviscunt. Inde illud S. Petri (2): *Canis reversus ad vomitum, sus lota in volutabro luti.*

3.° Juxta illam Providentiam (3): *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.* Deus multiplicat gratiae dona erga fideles servos, quorum alii indigni fiunt peccatis suis; consequenter virtute reviviscunt in maledicta quasi progenie peccata olim commissa.

4.° Possunt quoque dici improprie peccata reviviscere, quatenus Deus distulerat poenas aliquas temporales iis infligere: verum novis accedentibus iniquitatibus, tunc simul Dei justitia poenas imponit, ut ajebat Propheta (4): *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua.*

ARTICULUS IV.

De meritorum reviviscentia.

THESIS IX.

Merita per peccatum mortificata, seu amissa, per Poenitentiam reviviscunt.

43. **Nota.** I.ª Mortificata dicuntur merita, quia cum ante pecca-

(1) Ps. LXXVIII, 8. — (2) II Petr. II, 22. — (3) Ps. XVII, 27. — (4) Ezech. VII, 8.

tum ad vitam prodessent aeternam, postea nihil conferre valent. Opera autem bona, quae efficit peccator, mortua appellantur, quia non procedunt a vita gratiae; et ipsa peccata recte dicuntur opera mortifera, quia occidunt animam.

II.ª Aliquo modo reviviscere, certo tenendum; ita ut auctores aliqui dicant esse de fide; Sotus ait, id negare esse erroneum; Suarez asserit, non posse negari sine temeritate et impietate (1).

44. Prob. 1.° Apostolus (2) ait: *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Haec dicit Paulus ut confirmet ac hortetur ad Poenitentiam eos qui peccaverunt, quatenus priora merita non erunt eis inutilia si convertantur. Atqui nisi reviviscerent, oblivioni sane tradita fuissent praecedentia merita: ergo. *Major* ex contextu elucet: de iis enim agit Apostolus qui sunt, quasi terra spinas proferens, in periculo maledictionis et combustionis, indigentes audire elementa exordii sermonum Dei, expertes sermonis justitiae, et parvuli quibus lacte opus erat. Praeterea ad eos Galatas scribens Paulus, qui a gratia Christi recesserant, (3) ait: *Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa* (frustra, εἰκῇ). Ex quibus elucet quod poterant Galatae fructum priorum meritorum assequi: tamen fuisse illa peccato mortificata supponit Paulus: *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini; a gratia excidistis... Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire?* (4).

2.° Tridentinum (5) tres sufficere docet conditiones, ut meritis merces reddatur: a) ut sint bona opera; b) ut fiant a justificato et per Christi gratiam; c) ut homo in gratia decedat. Atqui omnia haec concurrunt in meritis mortificatis peccatoris in gratia decedentis: ergo. Confir. Docet quoque Trid. (ibid): Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Unde vult Concilium juxta Apostoli doctrinam, ut ii etiam qui *gratiam amissam* recuperarunt, mercedem expectent priorum bonorum operum.

45. 3.° Patres in expositione Apostoli et eodem sensu intellexerunt et doctrinam hanc confirmarunt. Sic Hierony-

---

(1) Opusc. de Revivisc. Mer. Disp. I, Sec. 2.—(2) Hebr. VI, 9. 10.—(3) III, 3, 4.—(4) V, 4, 7.—(5) Sess. VI, c. 16, et can. 32.

mus (1): «Quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lap»sus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse »dum peccat, sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem et »antiquum studium revertatur.» Et S. Chrysostomus (2) sic illa: *Si tamen frustra* exponit: «Si volueritis, inquit, expergisci »ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Ubi sunt qui tol»lunt Poenitentiam? Ecce hi Spiritum acceperant, signa fecerant... »et post tam multa recte facta a gratia exciderant: et tamen dicit, »si volueritis, potestis vos ipsos revocare.» Eodem modo Apostolum intellexerunt Theodoretus, Theophylactus, et Anselmus ac S. Thomas (3). Illam autem Epistolae ad Hebr. sententiam, a Tridentino citatam, ita Angelicus D. exponit: «Qui cadit post gratiam, dupliciter se habere potest: »uno modo quando in malo perseverat; et tunc Deus omnes justi»tias obliviscitur: alio modo, quando poenitet; et tunc praecedentium recordatur, quia reputantur sibi ad meritum» (4).

46. 4.° Lugo Card. hanc urget theologicam rationem. Deus remittit poenam aeternam cum peccati remissione. Atqui nisi merita priora reviviscerent, poenam peccatis remissis infligeret aeternam; ergo. *Minor* patet: nam in aeternum careret peccator gratia illa et gloria quam ante peccatum meruerat. Confir. Per Prophetam protestatur misericors Deus (5): *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Atqui plurimum noceret, si illa non redderetur gratia et gloria quam prius merebatur et propter peccatum amisit; ergo.

47. Obj. 1.° Dixit Propheta (6): *Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo.

Resp. Nego *conseq.* et explico sensum. Non recordabuntur, dum permanet in sua iniquitate; concedo. Si conversus fuerit; nego. Confer verba nuper citata in 4.° argum.

Obj. 2.° Paulus ipse testatur (7) nolle se loqui de poenitentia ab operibus mortuis, ideoque de peccatoribus: ergo verba illa Apostoli: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri,* ad justos referebat, non ad peccatores qui Poenitentia indigerent, et quorum reviviscerent merita.

Resp. Nego *Antec.* Falsitas hujus asserti patet ex toto contextu, scilicet, tum finis cap. V, tum principii cap. VI. Ait enim Apostolus (8): *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei.*

---

(1) Ad Gal. l. 1, c. 3. (2) Ad Gal.—(3) Lec. 2, ad Gal. c. 3.—(4) In Epis. ad Hebr.—(5) Ezech. XXXIII, 12.—(6) Ibid. XVIII, 24.—(7) Hebr. VI, 1.—(8) V. 12.—

Jam vero quae sunt elementa ista? Deinde explicat (1): *Poenitentia ab operibus mortuis, fides ad Deum, doctrina baptismatum et impositionis manuum*, etc.

Inst. Atqui de his asserit Apostolus, se non locuturum: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur....* etc. Ergo revera non est locutus de Poenitentia, ne sibi contradicere dicamus.

Resp. 1.° Nego assertum: non enim dicit Apostolus se non locuturum, sed hortatur fideles ut tales sint quod ejusmodi sermone non indigeant, sed perfectiora audire valeant. Atqui eos, vel plurimos eorum, non esse perfectos sed parvulos lactis indigentes, ad solidum cibum ineptos affirmat S. Apostolus: *indigetis ut doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei...*, etc. Ergo ejusmodi interpretatio prorsus a mente Apostoli est aliena.

Resp. 2.° Distinguo *antec.* Asserit Apostolus se non locuturum unice de *inchoationis Christi sermone:* conc. Asserit se nihil omnino locuturum; nego. Etenim volebat quidem Paulus sublimia de Christo docere: *De quo nobis grandis sermo et interpretabilis...* (2): verum cum sciret plures ad ea capienda impares esse, et lacte potius indigere, eos paucis gravissimisque verbis de periculo, in quo versabantur, monuit, a peccando deterruit, et ad fiduciam adhortatus est, uti notavit Chrysostomus (3): «Eos et »de vitae ratione, et de alio quoque accusat, ut qui sint vacillantes, »et opus habeant ut fundamentum jaciant Poenitentiae ab operibus »mortuis... Cum ergo eos satis tetigisset, terruisset, ac pupugisset, »rursus curat ac medetur, ne eos plus quam par sit dejiciat... Et »quoniam a praesentibus non multa habebat quae diceret, a praete»ritis instituit consolationem et dicit: *Non enim injustus est Deus, »ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in no»mine ipsius...* Papae! quomodo eorum recreat et confirmat ani»mam, res veteres revocans in memoriam, et redigens in necessi»tatem non expectandi Deum esse oblitum!... Eum enim qui ex »rebus praesentibus desperavit, et animum despondit, ex futuris »poterit quispiam corroborare, sicut ipse quoque ad Galatas »scribens dicebat: *Currebatis bene; quis vos impedivit?*»

48. Obj. 3.° Si reviviscerent merita, peccator conversus primam recuperaret gratiam, perfectionemque virtutum: atqui frequenter accidit ut poenitentes, post conversionem, infirmi admodum et imperfecti in charitate et bonis operibus inveniantur: ergo.

Resp. conc. *maj.* et *minor.*, negoque *consequent.* Nam facilitas in

---

(1) VI, 1, 2.—(2) V, 11.—(3) Hom. 9.ª et 10.ª in Hebr. VI.

bonis exercendis operibus gratiae non profluit immediate a gratia habituali et virtutibus infusis, sed ab auxiliis actualibus et habitibus acquisitis.

SCHOLION.

De causa reviviscentiae meritorum.

49. Praedictae meritorum reviviscentiae causam inquirentes auctores, alii censent ex *natura rei* evenire; quatenus, remisso peccato impediente praemia, meritum, Deo semper praesens, suam exercens moralem causalitatem exigit naturaliter quod promeruit: ita Lugo, Vazquez, aliique. Alii autem, e contra docent, ex *Dei clementia et bonitate* id procedere, qui ita decrevit, omnia scilicet hominum rependere merita, dummodo finaliter in gratia decedant; etiamsi interdum infideles fuerint, et acquisitis meruerint carere praemiis. Nec tamen inde inferas proemium eorum operum non reddi ex justitia, sed ex pura misericordia; cum tamen Apostolus dicat: *Non enim injustus est Deus...* Nam, ut ait Suarez, licet poterat Deus non remittere peccatum quoad omnem poenam; tamen hac voluntate posita, sequitur ex natura rei ut merito suum reddatur praemium, ideoque ex justitia. Unde quod Deus condonet omnem peccati poenam est ex misericordia: hoc autem posito, aequalitas justitiae postulat, illa praemia, quae ante peccatum fuerant promerita, dari.

THESIS X.

Per Poenitentiam merita reviviscunt, ita ut praemium illis essentiale tradatur, non tantum accidentale; neque illud consistit in ea gratia et gloria, quae consequitur actus quibus perficitur justificatio, sed in illa ipsa distincta tali ac tanta quae prioribus meritis debebatur.

50. **Nota.** I. Brevitati consulentes haec paucis expediemus. Nonnulli putant solum ad quoddam accidentale praemium, scilicet aureolam, seu gaudium, reviviscere bona opera. Verum, ut patet, hoc modo non reviviscunt merita, sed aliquod eorum accidens; sicut, si resurgeret color vel figura Petri, non autem ejus corpus animatum, sane non revivisceret Petrus. Alii censent non revivisceré ad aliud praemium, quam ad gratiam et gloriam respondentem ipsi Poenitentiae. Ita Bannez, Filliuc., etc., qui suadere

conantur, hanc fuisse D. Angelici opinionem: at Sotus hanc vocat falsissimam et D. Thomae adversissimam, et alii auctores gravibus notant censuris. Suarez autem ait (1): «Ego, »omissis censuris, illam opinionem falsam esse assero; et ex infir»mo fundamento philosophico multa in theologia admittere absur»da, et sententiis Patrum, imo et Conciliorum, et Scripturae, et »suavitati ac dispositioni divinae Providentiae parum consenta»nea.» Hanc esse opinionem thomistarum, asserit Sotus; eamque alii ex modernis thomistis cum Gotti tenent (2).

II. Tertia opinio est, reviviscere mortificata merita, juxta conatum quo poenitens cooperatur gratiis excitantibus ad Poenitentiam: ita Sotus (3). Capreolus autem, Alvarez, etc., defendunt ad majus vel minus praemium suum, reviviscere opera, juxta majorem vel minorem dispositionem qua ad Poenitentiam se peccator disponit: unde etiamsi possit totum amissum assequi praemium, non tamen semper id accidere.

III.ª Lugo cum Suarezio et Vazquezio, Ripalda, qui pro nostra thesi laudat auctores ex gravioribus viginti quatuor, quibus postea plures accesserunt, ex antiquoribus Magister sent., Scotus, etc., docent, ad suum totum praemium essentiale reviviscere bona opera per Poenitentiam.

51. I.ª pars prob. Si tantum accidentale praemium tradatur meritis, solum accidentaliter, non vero substantialiter reviviscunt. Atqui quod substantialiter non est, sed accidentaliter tantum, dicendum est simpliciter non esse: ergo si solum reviviscunt accidentaliter, vere et simpliciter non reviviscunt merita. *Major* est evidens. Nam meritum est jus ad praemium; atqui jus ad praemium accidentale non est substantialiter idem cum jure ad substantiale praemium, ut ex terminis patet: etenim quis ita desipiet, ut idem esse dicat, mereri Deum et mereri gaudium quod eleemosynam fecerit? *Minor* etiam clarissima est. Homo mortuus sane idem est accidentaliter ac homo vivus; tamen vere et simpliciter non est homo.

52. II.ª pars prob. Merita, secundum esse proprium et ante peccatum, tribuunt jus ad gradum specialem gratiae et gloriae distinctum ab iis gradibus qui aliis debentur titulis. Atqui mereri praemium quod non habetur ac possidetur, differt substantialiter a merito praemii quod jam habetur: ergo vel non reviviscunt merita substantialiter, vel datur illis praemium distinctum ab illa gratia et gloria quae consequitur ipsam Poenitentiam. *Min.* patet. Si enim dantur distincti gradus gratiae et gloriae, perficitur tum

---

(1) Opusc. de Revivisc. mer. D. II, Sec. 1, n. 13.—(2) De Poenit. q. 3, dub. V, s. 12.—(3) In 4, dist. 16, q. 2, a.

physice tum moraliter beatitudo et Dei possessio: si autem dentur ex alio titulo iidem gratiae gradus, acquiritur solum quidam moralis et extrinsecus respectus. Atqui praemium, tum physice tum moraliter perfectius, differt substantialiter ab alio solum respective ac moraliter meliori: ergo.

Confirm. et explicatur. Si quis post centum annos sanctissimae vitae, cui gradus mille gratiae et gloriae responderent, infeliciter tandem peccaret, postea autem Poenitentiam ageret cum dispositione duorum graduum perfectionis, duos solum obtineret gratiae et gloriae gradus. Jam vero ita iste se haberet, ac alius qui nullum unquam gradum gratiae et gloriae habuisset, sed solum illam Poenitentiam duorum gradum. Ergo opinio ista nomine tenus videtur concedere reviviscentiam meritorum; et ideo dicit Ledesma: «Se »certo scire esse falsissimam, ut sit etiam erronea: et qui hoc prae»dicaret populo, pessime faceret; et merito esset a Praesidentibus »Ecclesiae magna poena mulctandus.»

Dices: gradus illi duo gratiae et gloriae non habentur solum titulo Poenitentiae et contritionis, sed insuper titulo praecedentium meritorum.

Resp. Sane ita emollire volunt auctores isti opinionis suae absurditatem; in ratione autem quam tradidimus praeoccupavimus effugium istud.

53. III.ª pars prob. Scilicet, quoad totum praemium essentiale reviviscere opera mortificata.

1.° Nequeunt esse eadem merita illa quibus inaequalia respondent praemia. Sed si non reviviscunt merita ad totum essentiale praemium, hoc non est aequale ante peccatum et post meritorum reviviscentiam; ergo merita non sunt eadem, ideoque non reviviscunt. *Maj.* patet: quia meritum est correlativum praemii: ergo nequeunt esse merita eadem, quae diversa habent praemia.

2.° Tres conditiones a Tridentino declaratae, ut merita praemium suum assequantur (vide Thes. praeced.), pari modo existunt, independenter a gradibus contritionis, vel dispositionis, quibus conversio peccatoris perficitur. Atqui non pars aliqua, sed totum praemium per se illis meritis debetur; ergo et totum illud assequuntur si reviviscunt.

54. 3.° Poenitentia non confert directe et positive ad hoc ut meritum reviviscat et praemium assequatur; sed negative, tamquam removens prohibens, scilicet peccatum. Atqui non plus removetur peccatum per majorem dispositionem seu contritionem: ergo neque ad majus praemium vel minus reviviscere potest meritum ratione dispositionis. *Maj.* clare elucet ex doctrina D. Thomae (1):

(1) P. 3, q. 89, a. 5.

«Opera meritoria non habent vim perducendi ad vitam aeternam »(quod pertinet ad eorum vitam) solum secundum quod actu exis»tunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod re»manent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est »de se, etiam postquam per peccatum mortificata sunt; quia sem»per Deus illa opera, prout facta fuerint, acceptabit... Sed quod isti, »qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, »provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse »redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tol»litur per Poenitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. »Unde restat quod opera prius mortificata per Poenitentiam recu»perant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeter»nam, quod est ea reviviscere »

55. Obj. 1.° Gratia datur juxta dispositionem illius, qui justificatur, ut communis docet theologorum sententia, imo et Tridentinum (1). Ergo si dispositio seu contritio poenitentis non est proportionata gratiae debitae meritis, non poterunt ad totam gratiam reviviscere.

Resp. 1.° Dist. ant. Gratia, quae per se comitatur justificationem, datur, etc.; conc. Illa gratia, quae per accidens, id est, ex meritis reviviscentibus, sequitur justificationem, datur secundum dispositionem; nego *Ant.* vel subdist. Datur juxta dispositionem actualem solum; nego. Secundum actualem ac praeteritam simul; conc. Scilicet; merita illa mortificata, nunc autem reviviscentia, sunt sufficiens dispositio ad eorum praemium, tum gratiae, tum gloriae illis debitae: actualis autem contritio est apta dispositio ad illam gratiam quae in justificatione per se gratis conceditur. Negatur ergo *consequentia*, vel potius suppositum illius.

Resp. 2.° Nimis probat hoc argumentum; ergo nihil probat. Nam gratia non datur nisi juxta dispositionem. Sed gratia, quae datur per se in justificatione, est proportionata dispositionibus poenitentis: ergo nullam potest aliam suscipere gratiam propter reviviscentia merita. Ita incidunt in primam vel secundam opinionem auctores tertiae, qui severissime illas, jureque reprobant.

Obj. 2.° D. Thomas (2) dicit: «Ad tertium dicendum, quod »ille qui per Poenitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem praemium essentiale, secundum quantitatem charita»tis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus »in prima charitate factis, quam de operibus quae in secunda fecit, »quod pertinet ad praemium accidentale.» Ergo juxta D. Tho-

---

(1) Sess, VI, c. 6 et 7.—(2) P. 3, q. 89, a 5, ad. 3.

mam non reviviscunt merita omnia quoad praemium gratiae et gloriae essentialis.

Resp. 1.° D. Thomae interpretes in diversas abeunt solutiones ad verba objecta explicanda, quarum nulla satis firma et clara existit, ut adversa dissolvere valeat argumenta. Unde, variis illis perpensis solutionibus, quae neque ipsius S. Doctoris consonant doctrinae, tandem dicit Suarez (1): «Fateor ergo me »non satis intelligere, quid D. Thomas in hac solutione sibi »voluerit. Et libentius dicerem non satis accurate hic respondisse, »quam, propter unum verbum, quod excidere solet in solutione »illius argumenti, sententiam aliquam improbabilem, et aliis prin»cipiis ejus repugnantem illi imponere.»

Resp. 2.° Dist. et explico sensum eorum verborum. Haec dixit D. Thomas hypotetice; conc. Dixit absolute, seu juxta suam doctrinam; nego. Nam supponitur in objectione reviviscere merita juxta aliquam dispositionem positivam poenitentis; quo posito, sequitur, non fieri reviviscentiam ad praemium essentiale, ubi non intercedat illa accommoda dispositio. Verum requiri positivam dispositionem non admittit D. Thomas in corpore articuli, sed ait sufficere negativam: ergo illi non est adscribenda consequentia talis hypothesis. Tunc forsan potuit S. Doctor probabilem illam hypothesim supponere, et responsionem illi congruam dare; nunc autem post Tridentinam de Justificatione et Meritis doctrinam communiter improbabilis censetur, ut in Praenotandis dictum est.

Inst. In art. 2. ejusdem quaestionis docet D. Thomas non infundi gratiam, nisi secundum gradum positivae dispositionis: ergo juxta suam mentem et doctrinam respondit hic (a. 5) S. Doctor.

Resp. Dist. *ant.* Gratiam, quae per se consequitur justificationem, docet infundi juxta dispositionem positivam; conc. Illam gratiam, quae per accidens infunditur in justificatione; nego *ant.* De hoc enim non est ibi sermo.

56. Obj. 3.° Merita omnia sufficienter fuerunt ante peccatum compensata; nempe totam sibi debitam gratiam cum jure ad vitam aeternam susceperunt: ergo si bona sua dissipavit peccator, non debet Deus ex justitia rursum ea praemiare.

Resp. Dist. *ant.* Virtute ac in radice fuerunt sufficienter compensata; conc. Actu et formaliter; nego. Etenim meritis debetur non tantum gratia, sed ipsius quoque permanentia atque aeterna vita. Haec quidem amisit peccator sua culpa, interveniente peccato; qua

(1) In Comment. ad. 3, P. Summae.

de causa juste suo orbatur praemio: tamen. remisso per Poenitentiam peccato, reviviscit jus ad gratiam perditam et ad vitam aeternam; ideoque dici non potest. fuisse ante peccatum actu et formaliter sufficienter merita compensata.

SCHOLION.

57. Quae de meritorum reviviscentia dicta sunt. intelligimus quoque de gratia in susceptione sacramentorum accepta. Ita cum Suarez, Muniesa, Ripalda, etc., adversus Vazquezium et alios.

Provenit enim virtus sacramentorum ex eo. quod per illa nobis merita Christi applicantur. Si ergo merita nostra in acceptatione divina manent ut, ablato obice. reviviscant: a fortiori id censendum de ipsis Christi meritis. quae nostra per sacramenti susceptionem facta sunt.

Deinde clementissimus Deus illam voluit meritorum reviviscentiam. ut ad bona opera agenda nos alliceret. et ad agendam Poenitentiam. ut ex Paulo didicimus. Atqui par ratio militat pro reviviscentia gratiae sacramentalis.

ARTICULUS V.

De remissione venialium.

THESIS XI.

Venialia peccata multis modis, ac facilius quam mortalia remittuntur: non tamen sine aliqua Poenitentia.

58. **Nota.** Venialia illa dicuntur peccata, quae mortem spiritualem non inferunt, seu Dei amicitiam non excludunt, neque vitam gratiae tollunt, licet non fiant sine aliqua voluntatis inordinatione et Dei displicentia.

I.ª pars, quae certa est et doctrina catholica, probatur. 1.° ex Tridentino (1): «Venialia... quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum

(1) Sess. XIV, c. 5.

hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.»

2.° Sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Extremae Unctionis ad remissionem peccatorum instituta a Christo sunt; ergo posse illorum susceptione peccata levia deleri, non est dubitandum. Item per S. Eucharistiam venialia remitti, supponimus: usu quoque Sacramentalium remissionem fieri venialium, diximus in Tract. de *Sacramentis in genere*. Praeterea cum per charitatem et contritionem ipsa mortalia, ut supra ostendimus, remittantur, quidni de venialibus dicamus? Aliunde offensiones et debita longe facilius, amore impellente, amicis ac filiis condonantur: ergo sive mediorum multitudinem, sive venialium intimam naturam, quae amicitiam cum Deo non dissolvunt, perpendamus; dicere oportet, facilius remitti quam mortalia.

59. 3.° Augustinus ait (1): «Exercete vos in misericordia, exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata quae non possunt nisi subrepere in animam, propter fragilitatem humanam.» Et alibi (2): «Confessio nos sanat, et vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lacrymae non fictae de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, sine quibus esse non possumus.»

4.° Provisoris prudentis et boni est, pluribus et frequentibus malis plura et facilia providere remedia: sed frequentissima sunt, ac quodammodo necessaria, levia peccata; ergo. Ad rem Augustinus (3): «Ergo ista noli contemnere. Sed dicturi estis: Et quis potest esse sine istis? Ne hoc diceres (quia vere nemo potest). Deus misericors, videns nostram fragilitatem, posuit contra remedia. Quae sunt remedia? Eleemosynarum, jejuniorum, orationum.»

60. II.ª pars. **Praenotandum.** Scotus cum aliis censet, sufficere quemlibet pium voluntatis motum ad remissionem venialium: duplici tamen ad hoc opus esse conditione, ait Scotus: quod Deo magis placeat pius ille motus, quam displicuit peccatum; et quod peccator dirigat suum affectum ad veniam assequendam. Communior autem sententia theologorum cum D. Thoma est, requiri Poenitentiam aliquam formalem, vel saltem virtualem.

Prob. Peccata, etiam levia, admittuntur cum inordinata aliqua conversione ad creaturam, et nonnulla aversione a divino beneplacito; donec autem per Poenitentiam aliquam formalem, vel saltem virtualem, convertatur voluntas, peccator habitu perseverat in illa duplici inordinatione erga Deum et creaturam. Atqui aequum est, ut non remittatur culpa, donec permanet peccator in sua malitia, eamque non retractat: ergo.

---

(1) Serm. 9, c. 11.—(2) Sermo 181, c. 6.—(3) Serm. 9. c. 11.

Confirmari autem potest ex Augustino (1): «Omnia ergo »conversis dimittuntur. Caeterum hujus vitae sunt quaedam gra- »via et mortifera, quae nisi per vehementissimam molestiam hu- »miliationis cordis et contritionis spiritus... non relaxantur. Haec »dimittuntur per claves Ecclesiae.» Unde peccata omnia exigunt, ut remittantur, Poenitentiam; sed levia faciliorem.

SCHOLION.

Utrum necessaria existat perfecta contritio, ut remittantur extra sacramentum venialia peccata.

61. I. In primis non est dubitandum contritione perfecta remitti ea venialia, quorum dolor habetur: sicut in thesi diximus. Non tamen inferas deleri uno actu contritionis vel charitatis venialia omnia: amor enim, etiam charitatis, potest simul existere cum inordinatis affectionibus, ideoque sine Poenitentia. Tamen actus contritionis adeo intensus, qui cum nulla inordinata affectione, si tunc occurreret, posset stare, omnium sane venialium impetraret veniam.

62. II. Per attritionem et actus virtutum, quibus a venialibus convertimur, etiam remittuntur.

Ita Scotus, S. Bonaventura, Suarez, et plurimi alii: hanc putat esse D. Thomae sententiam Suarezius; atque aperte eamdem docere videtur Augustinus in textibus supra allatis, et saepe alias. Ratio esse potest: ejusmodi peccata ex se levia sunt, et incompletam aversionem afferunt, ac saepe non plene voluntariam: ergo inferior quoque Poenitentia et ad Deum conversio sufficit ut dimittantur.

Confir. 1.° Contritio et charitas sufficiunt ad mortalium remissionem; atqui levia facilius remittuntur, ut docet Tridentinum, Augustinus, ipsumque commune nomen illorum indicat cum venialia appellentur: ergo etiam faciliori et minus perfecta Poenitentia condonantur.

Confir. 2.° Videtur absonum majorem requiri dispositionem ad venialia, quam ad mortalia remittenda. Atqui contritio in homine justo est actus longe excellentior quam in peccatore, cum in illo sit gratia sanctificante dignificata: ergo si justus non mundatur a venialibus, nisi contritione perfecta, plus exigit Deus a justo pro

(1) Serm. 278, c. 12.

venialibus remittendis, quam a peccatore pro mortalibus. Nec reponas, contritionem in peccatore esse simul cum voto sacramenti, non autem in justo. Nam a) cum ejusmodi votum non debeat esse explicitum, non immutat naturam actus, neque eum reddit difficiliorem. b) Longe perfectior est contritio justi, sine illo voto, quam peccatoris contritio cum voto. c) Saltem ante institutionem Confessionis Sacramentalis in Veteri Lege, plus Deus requirebat ad venialia, quam ad mortalia solvenda, quod est incredibile.

Confir. 3.° Non minorem, imo majorem habet proportionem attritio in justo ad venialium veniam assequendam, quam contritio in peccatore ad letalium remissionem: ergo attritionem sufficere pro venialibus expiandis dicendum est. *Ant.* prob. Ut autem eluceat probatio, attendas; non esse comparandam absolute attritionem cum contritione; verum attritionem justi pro veniali cum contritione peccatoris pro mortali. Jam vero leve peccatum est quaedam solum retardatio a fine ultimo; mortale autem est aversio simpliciter. Atqui sicut contritio est conversio directa ad Deum, et ideo opposita mortali peccato; ita attritio, quae actus est honestus et supernaturalis, et in justo meritorius, est directa approximatio ad Deum: ergo non minorem habet proportionem attritio in justo, etc. Imo *majorem dispositionem*, diximus, prae se fert attritio in justo, quam contritio in peccatore. Nam justus per attritionem, quum sit haec nobilitata sanctificante gratia, meretur gratiae augmentum et vitam aeternam: peccator autem per contritionem nihil demeretur, sed solum ex Dei misericordia remissionem assequitur peccati letalis. Atqui actus vitae aeternae meritorius et gratiae sanctificantis prae se fert majorem proportionem ad condonationem levis culpae, quam actus nihil demerens, quique a Dei inimico exhibetur, ad remissionem culpae gravis: ergo attritio majorem habet proportionem...

63. **Nota.** Per sacramentorum susceptionem remitti quoque venialia ex opere operato, dummodo actualem affectum erga illa non habeant suscipientes, verisimile censet Suarezius (1). Unde duplex efficacia in sacramento Poenitentiae inest ad venialia tollenda: alia per se, cum per confessionem fiunt materia sacramenti; alia autem per accidens, ratione dignitatis sacramenti, quo merita Christi applicantur, ut in ceteris sacramentis.

64. Cum Vazquezio, Becano, aliisque objicies. 1.° Si attritione remittuntur venialia, numquam fit remissio per Baptismum, Poenitentiam et Extremam-Unctionem, quae praerequirunt saltem attritionis actum: ergo non sunt instituta haec sacramenta

(1) D. 12, Sec. 1, n. 4.

ad venialia remittenda, cum ex se praesupponant semper illa esse remissa.

Resp. Nego *anteced.* et *conseq.* Nam quoties suscipiuntur haec sacramenta a peccatore, remittunt etiam venialia, quorum habetur attritio; haec enim, sine sacramento, in justis tantum disponit ad remissionem venialium in sacramento.

Inst. Ergo justi inutiliter venialia confitentur, quod quidem damnat Tridentinum (1): nam si accedant sine attritione, vel contritione, invalida est confessio; si autem attriti veniant, jam inde remissa sunt venialia quorum habent attritionem.

Resp. 1.° Nego *conseq.* Etenim si venialia confiteantur, recipient saltem gratiam remissivam illorum; sicut cum quis confitetur mortalia confessa jam et remissa, non est inanis illius confessio. Insuper virtus et gratia sacramenti non est tantum remissiva, sed et satisfactoria; proinde dum subjiciunt justi venialia sacramento, pro illis satisfaciunt, sicut et peccatores.

Resp. 2.° Qui sunt isti, qui dicere audeant: Nos justi sumus; inutiliter ergo venialia confitebimur? Perpendant hanc, non ambiguam, sed distinctam Tridentini doctrinam (2): «Sicut nemo »pius de Dei misericordia et Christi merito, deque sacramentorum »virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet dum se ipsum, »suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua »gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitu»dine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse as»secutum.» Quod si is qui suscepit sacramentum formidare subinde potest, ille potius formidabit qui ad sacramenta appropinquat; cum: *Nescial homo utrum amore an odio dignus sit* (3): et ipse Apostolus timeret dicens (4): *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Resp. 3.° Aliquando per sacramentum Poenitentiae remitti venialia accidere potest, quatenus remissus aliquis attritionis affectus non erat forsan condignus, ut extra sacramentum dimitteretur culpa, levis quidem, sed majoris malitiae; cum sacramento autem accedit necessaria ad veniam sufficentia.

65. Obj. 2.° Vel per attritionem remittuntur venialia, quatenus est actus hominis justi ac meritorius, vel quatenus est retractatio eorum peccatorum: si autem primum dicas, ergo quilibet actus bonus hominis justi est remissivus venialium; si secundum asseras, sequitur remitti etiam per attritionem culpas lethales: nam retractari etiam per illam possunt. Ergo per solam attritionem non datur venia peccatis levibus.

---

(1) Sess. XIV, c. 5.—(2) Sess. VI, c. 9.—(3) Eccles. IX, 1.—(4) I Cor, IV, 4.

Resp. Nego *conseq.* Claudicat enim dilemma. Neque sola retractatio delet peccatum, neque sola honestas actus meritorii, sed utrumque simul, sicut explicatum est supra. Sunt aliqui actus meritorii, qui nullam inferunt formalem vel virtualem retractationem aliquorum venialium; puta, oratio, vel actus misericordiae, nihil opponitur mendacio: e contra devota oratio, vel reverenter orandi propositum, est quaedam retractatio negligentiae vel irreverentiae in oratione adhibita.

66. III. Diximus attritionem (formalem vel virtualem) hominis justi remissionem mereri peccati venialis. Scotus tamen et alii nonnulli AA. censent, non esse necessariam gratiam sanctificantem, sed posse etiam peccatores assequi venialium remissionem, mortalibus interim non remissis. Verum communior sententia, quam D. Thomas, S. Bonaventura, Suarez, etc., tuentur, est, debere praecedere, vel saltem comitari gratiam sanctificantem ad levium condonationem. Peccatum veniale est quaedam retardatio a fine, sicut mortale est aversio simpliciter; veniale infert aegritudinem, seu maculam in animam, et letale mortem; veniale inducit divinam displicentiam, mortale autem divinum odium et aversationem. Atqui dissonum et incongruum est, ut quis contendat non retardari a fine, dum manet voluntarie ab eo aversus; ut mundetur a macula divinae inimicitiae, dum perseverat inimicus; ut Deus remittat seu deponat displicentiam in aliquem, dum iratus intendit ejusdem mortem aeternam: ergo nisi praecedat vel saltem comitetur remissio mortalis, ideoque gratia santificans, nequeunt remitti venialia.

Dices: ex hac doctrina deduci videtur, hominem, si fuisset in puris naturalibus conditus, a venialibus numquam absolvendum: nam caruisset gratia sanctificante.

Resp. Negatur *conseq.* Nam in statu purae naturae, inordinatio culpae, tum gravis, tum levis, versaretur tantum circa finem naturalem. Sicut ergo non fuisset necessaria gratia sanctificans, ut forma justificans a mortali; ita neque extitisset necessaria, ut dispositio meritoria ad veniam peccati venialis.

67. IV. Ex dictis infertur, numquam remitti venialia sine infusione gratiae sanctificantis, quamvis talis remissio, formaliter et per se, non id postulet, cum neque gratia excludat leves culpas, neque istae impediant gratiam. Etenim remissio peccati venialis perficitur vel per sacramentum, vel extra sacramentum: si priori modo; patet tunc infundi gratiam: si autem posteriori; opus est attritione formali vel virtuali: atqui ejusmodi actus in justo sunt meritorii gratiae et vitae aeternae: ergo.

Supponimus, juxta probabiliorem communioremque doctrinam, infundi semper gratiam in eodem instanti quo quis illam promeruit.

CAPUT II.

De natura Poenitentiae uniter sumptae.

Praemissis quae ad existentiam, necessitatem et efficientiam spectant Poenitentiae, planior erit via ad ejusdem intelligendam naturam. Quia autem non est Poenitentia res simplex, sed complexa satis; prius totaliter inspectam, quam habeat, naturam in hoc capite inquiremus, deinde de ejusdem, Deo favente, acturi partibus.

PRAEMITTENDA.

68. Poenitentia, lato sensu, dicitur de quavis voluntatis mutatione, etiamsi versetur circa res non malas, sed moraliter bonas vel indifferentes. Unde eo sensu dictum est (1): *Poenituit eum, quod hominem fecisset:* et Paulus (2): *Etsi poeniteret, videns quod illa epistola vos contristavit, nunc gaudeo.*

Nonnumquam vocatur etiam Poenitentia illa peccati retractatio, quae a virtute non procedit, sed vitiosa est ac reprehensibilis: veluti cum Judas (3): *Poenitentia ductus retulit triginta argenteos;* et impii omnes (4): *Turbabuntur timore horribili... poenitentiam agentes,* at inanem seramque nimis.

Vera autem Poenitentia, de qua tractamus, illa est, quae in honesta peccati retractatione versatur.

Poenitentiae nomen a poena desumptum esse, testes sunt Augustinus (5) et Isidorus (6); poena autem dolorem significat ac rem displicentem: propterea Poenitentia dicitur praecipue dolor ille ac animi retractatio de peccato aliquo admisso. Praeter hanc internam Poenitentiam, externa alia existit, quae effectus est ac signum illius, atque ad eam fovendam perficiendamque prodest, ut jejunia, aliaeque aflictationes.

Distingui etiam Poenitentia potest in privatam vel legalem; quatenus vel propria tantum devotione exercetur, vel ex legis divinae aut ecclesiasticae praescripto.

Poenitentia, quam Ecclesia praescribit, *canonica* appellatur, qua-

---

(1) Genes. VI, 6.—(2) II Cor. VII, 8, 9.—(3) Matt. XXVII, 3.—(4) Sap. V, 2, 3.—(5) *De Ver. et fals. Poenit.* c. 19.—(6) *Etymol.* l. 3, c. ult.

tenus in canone aliquo indicta fuit. Poenitentia canonica est publica vel secreta, juxta modum illius in canonibus praescriptum; quatenus coram fidelium coetu est explenda, vel aliter.

Item Poenitentia publica distinguitur in publicam solemnem et publicam simpliciter. Poenitentia solemnis perficiebatur in Ecclesia juxta ritus omnes sacris canonibus praescriptos: ex gr. separatio a reliqua plebe. vestis humilis, jejunia, prostrationes, deprecationes, impositiones manuum, etc.

Igitur acturi sumus in hoc secundo capite de natura Poenitentiae, tum internae, tum etiam externae, quam juxta legem divinam agere oportet, ut peccata remittantur. De Poenitentia autem canonica, sive privata, sive publica, sive etiam solemni, prout opportunum videatur, alibi agetur.

ARTICULUS I.

De materia Poenitentiae.

THESIS XII.

Poenitentia peccantibus necessaria respicit: a) ut objectum materiale fugiendum, peccata; b) non quidem certe credendo esse remissa, vel solum proponendo non ultra peccare, sed cum detestatione et dolore, ac consequenter proposito ea emendandi, nec ultra admittendi; c) ut objectum autem materiale prosequendum, attingit ea omnia, quae ad deletionem peccati ducunt et emendationem.

69. **Nota.** Quo pacto Poenitentia circa peccata versetur explicandum. Etenim protestantes post Lutherum aliosque haereseos genitores putant in sola mutatione vitae reponi Poenitentiam, peccata autem remitti, si firmiter credat peccator esse a Deo condonata.

I.ª pars prob. 1.° Tridentinum (1): «Fuit Poenitentia... necessaria, ut perversitate abjecta et emendata...»

2.° Ex testimonio Prophetae, quod ibidem laudat Concilium: *Convertimini et agite Poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et Jeremias (VIII, 6): *Nullus est qui agat Poenitentiam super peccato suo dicens: quid feci?* Vide supra (2) alia testimonia, praesertim S. Petri.

---

(1) Sess. XIV, c. 1.—(2) Cap. I, Th. I.

3.° S. Gregorius M. (1) dicit: «Poenitentiam agere est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare.» S. Chrysostomus (2) docet esse Poenitentiam, «Medicinam peccata nostra delentem.» Poenitentiae igitur objectum, ut fugiendum, sunt peccata.

70. II.ª pars prob. 1.° Tridentinum, naturam Poenitentiae necessariae declarans, ait (3): «Declarat sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.» Rursum definit (4): «Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anath. sit.»

2.° Ecclesiasticus hortatur (5): «*Fili, peccasti? Non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur.*» Ergo post a peccando cessationem non ideo remissa manent peccata, neque certa fides remissionis concipi potest, cum de pristinis culpis sit deprecandum. Joël describit Poenitentiam (6): «*Dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra... Convertimini ad Dominum... Quis scit si convertatur et ignoscat?*» Cum timore, ergo, et cordis dolore quaerenda peccatorum venia. Item: *Cum averterit se impius ab impietate sua... et fecerit judicium et justitiam; ipse animam suam vivificabit... Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, et facite vobis cor novum et spiritum novum* (7).

71. 3.° Per odium peccatorum commissorum exequendam Poenitentiam, Patres clare docent. Tertullianus (8) ait: «Poeniteat amasse, quae Deus non amat: quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea quibus offendimur non odisse, permittimus.» S. Cyprianus (9): «Convertimini ad Dominum mente tota; et Poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.» Ambrosius etiam (10): «Sed audiant qui agunt Poenitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intensione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione: *Vide*, inquit (11), *Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est a fletu meo, conversum est cor meum in me.*» Et alibi (Epist. cl. II, ep. 67): «Indignus remedio fuit (Judas), quia

---

(1) In Ev. l. 2, homil. 34.—(2) Hom. 5 de Poenit.—(3) Sess. XIV, c. 4.—(4) Sess. VI, can. 14.—(5) XXI, 1.—(6) II, 12, 13, 14.—(7) Ezech. XVIII, 27, 31.—(8) *De Poenit.* c. 4.—(9) *De Lapsis.*—(10) *De Poenit.* l. 2, c. 6.—(11) Thren. I, 20.

non in intimo mentis conversus ingemuit, nec sedulo gessit Poenitentiam... Hanc ergo culpam sacerdotes non auferunt, neque peccatum ejus, qui in dolo se offert, et adhuc in studio delinquendi est.» Gregorius (1) nobili ac piae foeminae, cupienti revelationem ac certitudinem de remissione peccatorum suorum, respondit: «Rem difficilem et inutilem postulasti. Difficilem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae ultimo plangere eadem peccata minime valebis; quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.» Quod exemplo (2) Pauli confirmat.

72. III.ª pars. Satis perspicua videtur. Nam 1.° Poenitentia non tantum in odio mali versatur, sed etiam in proposito alicujus faciendi boni; puta, compensare divinam offensam: sicut ergo habet objectum materiale fugiendum; ita et aliquod prosequendum.

2.° Destructio peccati et divinae offensae compensatio perfici nequit nisi per actus aliquos tum internos, tum externos; ergo opus est ut feratur voluntas poenitentis ad ejusmodi actus sub aliqua ratione boni, ideoque ut objectum prosequendum. *Ant.* ex dicendis confirmabitur; interim patet ex Tridentino, testimoniis SS. Litterarum, et SS. Patrum in II.ª parte theseos laudatis: nam praeter peccati detestationem, plures alios Poenitentiae actus addendos enumerant.

73. Obj. Detestatio est velle ut res non sit. Sed peccatum praeteritum non potest non esse praeteritum; ergo detestari peccatum commissum est velle rem impossibilem, nempe actus inanis et imprudens.

Resp. Non una est inter AA. hujus difficultatis solutio. 1.° Alii dicunt: licet peccatum in hypothesi quod sit factum, non possit non esse factum, tamen intrinsece et absolute inspectum, est contingens ut fiat vel non: et consequenter eo odii affectu potest detestari, quo nec factum fuisset, nec potuisset fieri. Sub illa igitur consideratione contingentiae sui peccati, dicit ex corde ac absolute peccator; nolo hoc peccatum. Qua voluntate ac detestatione nullatenus fieret peccatum; et desineret esse factum et praeteritum, si id non repugnaret: quia vero id jam nequit impediri, tanto dolore et tristitia afficitur peccator, quanta est detestationis efficacia. 2.° Alii autem, cum D. Thoma dicunt esse detestationem, seu voluntatem, conditionatam hoc modo: vellem non peccasse. 3.° Alii, denique, ajunt; partim esse conditionatam detestationem, partim

(1) L. 7, ep. 22.—(2) I Cor. IX, 27.

absolutam. Si enim posset fieri ut non esset peccatum factum, cupit et vult peccator non peccasse: quia vero peccatum habituale, seu reatus culpae, et debitum poenae deleri possunt satisfaciendo divinae justitiae per Poenitentiam, vult absolute peccator utrumque reatum delere. Cum autem voluntas, seu detestatio, conditionata dicitur, id intelligendum ex parte objecti; non vero subjective, quasi nunc nihil velit peccator, sed vellet tantum: vere enim cupit non factum fuisse peccatum. Puto verbis, potius quam re, discrepare has responsiones.

Unde dist. *consequens*. Est velle rem impossibilem, qua impossibilem: nego. Sub ea ratione, qua est possibilis: conc. *conseq.*

Obj. 2.ª Dominus cum remisisset poenitenti mulieri peccata, causam et dispositionem remissionis explicavit (Luc. VII. 50) dicens ad mulierem: *Fides tua te salvam fecit vade in pace*. Ergo in fide stat necessaria Poenitentia.

Resp. Nego *conseq.* et explico dominica verba: «Fides tua» practica, cui nempe obsecuta est mulier illa ut Poenitentiam ageret; conc. «Fides tua» nuda ac sine operibus; nego.

SCHOLION.

Deum quo pacto attingat Poenitentia.

74. Deum attingi quoque per Poenitentiam extra dubium est. Hinc hortando ad Poenitentiam ait: *Convertimini ad me*, ut in thesi vidimus. Id significavit quoque prodigus ille (1), *Pater, peccavi in coelum et coram te:* nam ita peccatum detestari oportet, quatenus in coelum, seu in Deum factum est; inde enim fluit illius letalis malitia, ut ipse docet Spiritus Sanctus (2): *Tribulabo homines, et ambulabunt ut coeci, quia Domino peccaverunt;* et rursus (3): «Qui »deliquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medi»ci.» Ut enim notat a Lapide, medicus comparatur tortori, vel judici, medicinae comparantur torturae et carnificinae, aeger reo, peccata aegri criminibus rei.

Si rationem autem inquiras, non alia esse videtur nisi ipsa peccati natura, quae Deo adversatur, quemadmodum definitur ab Augustino (4): «Ergo peccatum est factum, vel dictum, vel »concupitum contra aeternam legem;» ac iterum (5): «Nam neque »peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubetur ut non sit.»

Et sane peccatum, in ratione mali, omne superat malum, ita ut

---

(1) Luc. XV, 18.—(2) Sophon. I, 17.—(3) Eccli. XXXVIII, 15.—(4) Contr. *Faust.* l. 22, c. 27.—(5) De *peccat. merit.* l. 2. c. 16.

omnia sint mala subeunda, potius quam illud admittendum: atqui non foret taliis malitiae nisi summo Bono, seu summae honestatis regulae adversaretur: quicumque igitur peccat, in Deum delinquit; ergo cum Poenitentia peccatum detestetur, Deum etiam attingit ejus offensam aversans, et compensari cupiens.

THESIS XIII.

Praeter peccati odium et dolorem, poenam congruam in ejusdem vindictam exquirit Deus a poenitentibus.

75. Propositio est certae fidei. Prob. 1.° Trident. (1) docet: «Docendum est christiani hominis Poenitentiam post lapsum mul»to aliam esse a Baptismate; eaque contineri non modo cessationem »a peccatis et eorum detestationem, verum etiam... satisfactionem »per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae »exercitia; non quidem pro poena aeterna... sed pro poena tem»porali.»

2.° Per Prophetam ait Deus (2): *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra.* Item (3): *Emundate manus, peccatores... miseri estote, et lugete et plorate, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.*

76. 3.° Tertullianus (4): «Jejuniis preces alere, ingemisce»re, lacrymare et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum... »Haec omnia exomologesis, ut Poenitentiam commendet, ut de pe»riculi timore Deum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians »pro Dei indignatione fungatur, et temporali aflictione aeterna »supplicia, non dicam frustetur, sed expungat.» Cyprianus (5): «Ad Dominum toto corde redeamus. Iram et offensam ejus jeju»niis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus... Agite »poenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate »moestitiam.» Audiatur quoque S. Ambrosius (6): «Petro »statim remisit, quia amarissime flevit. Et tu si amarissime fleas, »Christus ad te respiciet, culpa discedet. Usus enim doloris ablegat »luxuriam criminis, erroris delicias... Facilius autem inveni qui »innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint poeniten»tiam... Renuntiandum saeculo est; somno ipsi minus indulgen»dum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, inter-

---

(1) Sess. VI, c. 14.—(2) Joël, II, 12, 13.—(3) Jacob. IV, 8, 9.—(4) De *Poenit.* c. 9.—(5) *De Laps.*—(6) De *Poenit.* l. 2, c. 10.

»rumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus.» Vide etiam Ambrosium lib. 1 de *Poenit.* c. 16. n. 19 et Gregorium M. in Evang. l. 2, homil. 34, nn. 15, 16. Videas insuper alia Patrum testimonia et rationes supra (Thesi VII, Cap. I), praesertim S. Augustini, nec non aliquas difficultates ad rem quoque praesentem spectantes.

ARTICULUS II.

De actu et virtute Poenitentiae.

THESIS XIV.

Poenitentiae actus est honestus seu virtuosus; et debet esse, in praesenti ordine, supernaturalis; ac fidei et spei sociari.

77. **Nota.** Lutherani, magistro suo ducti, dixerunt meram passionem animi, ideoque non liberam, esse Poenitentiam; imo non esse aliud nisi terrorem quemdam ex Dei maledictione ortum ac malitia plenum. Pelagiani censuerunt sufficere ad justificationem naturalis Poenitentiae meritum, ut refert Augustinus (1): «A se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei qua libera»mur ab impietate, dicentes, secundum merita nostra dari.»

Fides, cum nobis revelatione et praedicatione adveniat, moraliter impossibilis hominibus non paucis videtur; cum tamen *non sit homo qui non peccet* (2), et *Deus sit in misericordia dives* (3): quomodo igitur ad Poenitentiam requiritur? Pauca de his.

78. I.ª pars. Prob. 1.° ex testimoniis laudatis supra (4).

2.° Quod turpiter amatur et quaeritur, honeste odio habetur ac fugiendum est. Atqui... Ergo.

3.° Jus naturae jubet aliorum emendare ac etiam punire peccata: ergo justum quoque est propria odisse ac vindicare delicta.

4.° Honestum est honorem laesum aliorum hominum obsequiis compensare, eosque placare offensos: ergo et Deum juste offensum jubet recta ratio, quantum fieri possit, placare.

79. II.ª pars prob. 1.° Tridentinum definivit (5): «Si quis »dixerit... etc.» (Vide supra, Cap. I, Th. I). Item Conc. Arau-

---

(1) De *haeres*, c. 88.—(2) Eccles. VII, 21.—(3) Eph. II, 4.—(4) Cap. I, Th. I. —(5) Sess. VI. cap. 6, can. 3.

sic. II. can. 4, definivit: «Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto...»

2.° Coelestinus PP. (1) ait: «Neminem de ruina peccati per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.» Et S. Augustinus (2): «Firmissime tene, neminem hic posse Poenitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit et gratuita sua miseratione converterit.» Et alibi (3): «Quia ergo non potest esse confessio peccati et punitio peccati in homine a se ipso; cum quisque sibi irascitur et sibi displicet, sine dono Spiritus S. non est.»

3.° Perspicua sunt S. Scripturae verba (4): *Converte me, et convertar; quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi Poenitentiam.* Quae commentans Hieronymus ait: «Vide quantum sit auxilium Dei, et quam fragilis humana conditio; ut hoc ipsum, quod Poenitentiam agimus, nisi nos Dominus antea converterit, et nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.» Vide insuper, Act. Ap. V. 31; et Ezech. XXXVI, 26.

4.° Ratio theologica est: Poenitentia est ad justificationem dispositio, ideoque ad gratiam sanctificantem. Sed nullus actus naturalis potest ad gratiam disponere: ergo.

80. III.ª pars **Nota.** Justificatio per Poenitentiam esse potest, vel infidelis, qui primo justificatur; vel fidelis, qui a peccato resurgit. Ut habeat veram Poenitentiam infidelis, oportet ut per fidem actualem et formalem disponatur; in peccatore autem fideli opus est fide saltem virtuali; quatenus supponitur in iis actibus, quibus detestatur peccatum ut Deo adversum, atque agnoscit remissionem ab eo fieri: haec enim apprehendit per notitiam fidei prius saltem elicitae et habitu permanentis, licet formalem actum fidei tunc forsan non eliciat: de qua re vide Suarez (5). Haec autem notata etiam habeas pro actu spei, de quo postea. Praeterea: si quis numquam ea crediderat, quae debent necessitate medii credi, necessum est ad justificationem, ut prius credantur. Verum quae ista sint, in tractatu de *Fide* traditur.

81. Prob. 1.° Tridentinum (6) describit justificationem, qua filius primi Adae transfertur «in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum.»

---

(1) Epist. ad *Galliar. Ep.* 5.—(2) L. de *Fide ad Petr.* c. 31.—(3) In Ps. L. 30.—(4) Jerem. XXXI, 18, 19.—(5) De Grat. l. 8, c. 16, n. 10; c. 19.—(6) Sess. VI, c. 4, 5, 6.

et ait: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divi»na gratia et adjuti. fidem ex auditu concipientes, libere moventur »in Deum, credentes... etc.» Item (1): «Cum Apostolus dicit »justificari hominem per fidem... ea verba in eo sensu intelligenda »sunt... quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et »radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, »et ad filiorum ejus consortium pervenire.» Igitur nequit Poenitentia, sine fide, justificationem impetrare, quia omnis justificationis est fides initium, fundamentum et radix. Concilium quoque Arausic. II (2) docuit: «Hoc etiam salubriter profitemur et »credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea »per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis, nullis praece»dentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut »et Baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post Baptismum... »ea quae sibi sunt placita implere possimus.» Fides ergo nobis a Deo datur tum ad Baptismum requirendum, tum ut omnem subsequentem justificationem et meritorium actum implere possimus: est igitur fides dispositio necessaria.

2.° Apostolus (3) ait: *Neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per charitatem operatur:* quae commentatur Ambrosius (4): «Ex fide spem justitiae expectandam »nobis adserit Apostolus.» Et iterum (n. 8): «Ergo fides ve»lut praevia charitatis occupat animam et praeparat semitas ventu»rae dilectioni.» Item Apostolus (5): *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesuchristi: et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Ad haec Hieronymus: «Ajunt quidam: si verum hoc sit... neminem justificari, nisi ex fide »Jesu Christi, Patriarcas, Prophetas, Sanctos, qui ante Christi ad»ventum fuerunt, imperfectos fuisse. Quos admonere debemus, eos »hic dici justitiam non consequutos, qui tantum ex operibus justi»ficare posse se credunt. Sanctos autem, qui antiquitus fuerint, ex »fide Christi justificatos.»

82. 3.° Qui veram agit Poenitentiam, sive extra sacramentum, sive cum sacramento, ipso facto vult Deo satisfacere et veniam assequi. Sed hoc importat fidem in Deum remuneratorem, culparumque remissorem, et in sacramenti efficaciam; ideoque implicite in Christum Redemptorem: ergo Poenitentiae fides sociatur. Praeterea: uti dicemus, opus est spe ad veram Poenitentiam: sed nequit esse spes absque fide: ergo.

83. IV. pars prob. 1.° Tridentinum (6), ubi dispositionem

---

(1) Sess. VI, c. 8.—(2) Post can. 25.—(3) Galat. V, 6.—(4) Ep, Cl. II, ep. 78, n. 5.—(5) Gal. II, 16.—(6) Sess. VI, c. 6.

ad justificationem, primamque Poenitentiam exponit, ait: «Ad con»siderandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur »fidentes, Deum sibi per Christum propitium fore...» Item: de secunda Poenitentia per attritionem cum sacramento, ait: «Quae »attritio .. si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, decla»rat... donum Dei esse... quo poenitens adjutus viam sibi ad justi»tiam parat.»

2.° Paulus ait (1): *Spe salvi facti sumus.* Unde notat Ambrosius (2): «Salvat enim spes, sicut et fides.» Et rursus (3): «Nemo enim potest bene agere Poenitentiam, nisi qui speraverit »indulgentiam.»

3.° Augustinus (4) quomodo fructum confessio habeat docet: «Hic est fructus confessionum mearum... ut hoc confitear... »coram te secreta exultatione cum tremore et secreto moerore »et spe.»

4.° Qui veram ac formalem agit Poenitentiam fertur in bonum a Deo promissum, ad vitam ducens aeternam, scilicet desiderat veniam peccatorum, et compensare divinam offensam, Deoque reconciliari. Sed hoc desiderium pertinet ad spem, saltem implicite et virtualiter; imo et communiter etiam formaliter: nam fideles, qui habitum habent spei et aliquando actus ipsius eliciunt, facile formali sperandi motivo moventur, dum a Deo bonum aliquod desiderant.

84. **Nota.** Dicunt AA. plures cum Valentia, Suarez, etc., necessarium esse formalem actum spei ad justificationem, cum quis numquam actum habuit spei, vel spem desperando amiserat: quod quidem verba allata Tridentini et plura S. Scripturae testimonia confirmant; sicut enim fidei, ita et spei salus nostra tribuitur.

85. Obj. 1.° Potest quis, solo naturalis rationis lumine, malitiam peccati agnoscere, ideoque et detestari: ergo et Poenitentia vera naturalis esse potest. Ita Scotus, etc.

Resp. Dist. *Maj.* Ea detestatione quae gratiae, seu elevationi supernaturali, congruit; nego. Detestatione quae solum conveniat naturali conditioni; conc. Pari modo distinguas *consequens.*

Inst. Ut gratiae congruat talis detestatio, sufficit quod haec a Deo ad gratiam ordinetur; nam ipso facto evehitur talis Poenitentia ad ordinem supernaturalem.

Resp. Nego assertum. Ad probationem dist. Evehitur mere exstrinsece ad ordinem supernaturalem: conc. Intrinsece, ita ut ha-

---

(1) Rom. VIII, 24.—(2) Ep. Cl. 1, ep. 34.—(3) De *Poenit.* l. 1, c. 1.—(4) *Confess.* l. 10, c. 14.

beat ea Poenitentia intimam proportionem ad gratiam; nego. Puta, cum lapis exciditur, et ad templum Christo Deo construendum ordinatur, habet extrinsecum ordinem supernaturalem: lapis tamen et incisio ejus naturae sunt opus. Non ita se habet Poenitentia; ipsa enim in se, seu intrinsecus, postulat virtutem Spiritus Sancti ut fiat et ordinari valeat ad gratiam: «Si quis dixerit, sine praevenien»te Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem... »poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia confera»tur: anath. sit;» sicut definivit Tridentinum (1). Ecce quam sit apertum! Gratia justificationis postulat tale poenitere: et ejusmodi poenitere quid requirit? Numquid vim solam rationis et voluntatis? Absit: praevenientem Spiritus Sancti inspirationem atque ejusdem adjutorium.

86. Obj. 2.° Si fiat Poenitentia speciali Dei auxilio interno, vel externo, hoc sufficiet ad Conciliorum et Scripturae S. explicandam doctrinam de gratiae necessitate ad Poenitentiam. Sed speciale Dei auxilium potest ad effectum pure naturalem adhiberi; puta, ad veritatem aliquam rationis capiendam, vel ad sanitatem reparandam: ergo non opus est, ut Poenitentia sit in se supernaturalis. Ita Cajetanus, qui ex solo respectu ad auxilium internum repetit supernaturalem Poenitentiae perfectionem; et Durandus, qui ex necessitate auxilii externi, puta, praedicationis, censet esse explicandam.

Resp. Nego *maj*. Nam juxta catholicam doctrinam, ideo opus habemus Dei auxilio supernaturali, quia vires nostrae imbecilles sunt, et indigent adjutorio ut *possimus*, ut *valeamus*. Sed non ita res se haberet, si solum necessarium esset auxilium ad agendam Poenitentiam cum auxilio. Haec enim tautologia, seu necessitas auxilii, in sensu composito auxilii, non decet tot Patrum labores in ea defendenda et Conciliorum et S. Scripturae decreta ac sententias ad necessitatem gratiae edocendam et nostram infirmitatem praedicandam. Uti si quis multum conaretur imbecillitatem suam suadere ad ambulandum et adjutorii probare necessitatem: id tamen solum vellet, quod non potest solus ambulare cum socio, licet bene posset solus et sine socio ambulare. Etenim conferatur iste absurdus sensus cum canone Tridentini, vel etiam cum can. 4. Milevit. Concilii: «Quisquis dixerit, eamdem gratiam »Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum »nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur »et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et

(1) Sess. VI, can. 3.

»quid vitare debeamus; non autem per illam nobis praestari, ut »quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque va»leamus; anath. sit.»

Gratia ergo adjuvat ad effectum, ad quem sine illa non valemus: alias sufficiebat definire sic: «Si quis dixerit nos sine gratia posse »quicquam facere cum gratia, anath. sit.» Possetne inanior proferri sententia?

87. Obj. 3.° Omnes homines auxilia ad salutem sufficientia a Deo recipiunt, ideoque et peccatores ut poenitentiam necessariam agant (1): *Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Sed non omnes fidem habent; *fides enim ex auditu.*

Resp. 1.° Quidam thomistae, cum Gonet, Godoy (De Praedest. q. 23, n. 84) ajunt, non recipere omnes auxilia sufficientia. Verum id opponitur communi ac certae doctrinae, necnon D. Thomae (P. 3, q. 86, a. 1).

Resp. 2.° Dist. *maj.* Auxilia recipiunt, saltem remota, quibus, si recte utantur, peccatores pervenient ad Poenitentiam; conc. Habent omnes auxilia sufficientia proxima ad Poenitentiam; nego maj. Distinguo etiam *min.* Omnes fidem non habent, ita ut careant etiam auxiliis, saltem remotis, ad eam assequendam: nego. Non habent, sed habere possunt; conc. Exemplum hujusce Providentiae singularis in illo Centurione (2) perspicimus, ad quem Angelum misit Deus, ut ejus provideret saluti; nec non in Eunucho (3), cui Spiritus S. Philippum adduxit, ut fidem Christi ei praedicaret. Fides quidem, juxta ordinariam Providentiam, *ex auditu*, seu Evangelii praedicatione concipitur: potest tamen praeter communem ordinem haberi etiam fides per internam inspirationem, uti ex mente SS. Patrum docet perspicue Angelicus D. (4).

88. **Corollarium.** Ex dictis patet: Poenitentiam esse virtutem, et quidem infusam.

Cum enim poenitere sit actus honestus, et stricte virtuosus, utpote specialem prae se ferens difficultatem; sicut ad caeteros virtutum actus facile exequendos roborantur et perficiuntur potentiae aliquo habitu, idem prorsus dicendum quoad Poenitentiam.

Praeterea, ejusdem debet esse habitus naturae ac ipsius proprius actus: cum igitur iste sit supernaturalis et a fide procedens, habitus Poenitentiae inter supernaturales et infusas virtutes est recensendus.

89. **Nota.** Utrum autem habitus Poenitentiae mere naturalis dari

---

(1) Ezech. XXXIII, 11; Act. 17, 30.—(2) Act. X.—(3) Ibid. VI I.—(4) Q. 14, de *Verit.* a. 11 ad 1.m

possit, inquirunt AA. Quidam definiunt existere non posse ex eo quod ratio sola non assequatur, peccato Deum offendi. Verum talis opinatio non est ferenda. Nam lumine solius rationis assequi possumus, Deum esse conditorem ac gubernatorem rerum omnium et supremam honestatis regulam: exinde autem fluit aperte, quodvis peccatum Deo adversari et irrogare offensam.

Alii opponunt, quod ratio non possit assequi, offensam in Deum esse compensabilem, atque a Deo condonari: hoc autem supposito, nullus poterit naturaliter ad Poenitentiam converti. Tamen condonationem offensarum esse laudabilem, et placari misericorditer offensoribus humiliter deprecantibus et, prout possint, satisfacientibus, pulchrum honestumque esse, omnes assequuntur. Igitur, etiamsi nequeamus aequam pro offensionibus exhibere compensationem; possumus tamen, solo rationis dictamine, saltem suspicari quod Deus summe bonus et misericors humilibus placetur obsequiis et offensarum dolore. Proinde non repugnat quod peccator lumine fidei destitutus et solis naturae viribus prudenter, ideoque et honeste, in Poenitentia exerceatur et naturalem assequatur virtutem poenitendi.

SCHOLION.

§ I.

Poenitentia generalis et specialis.

90. Est Poenitentia virtus, ut diximus; qualis autem sit virtus, et quod ejusdem formale objectum interrogari potest, ut plenius illius natura dignoscatur. Quam quidem quaestionem dimittunt aliqui, licet graves AA.: vel quod censeant, non distingui hunc poenitendi habitum a ceteris virtutibus; vel quod, etiamsi specialis sit virtus, non tamen oporteat detestari peccata et Poenitentiam agere per hanc peculiarem virtutem, sed satis disponamur ad peccati remissionem illud aversando per actus aliarum virtutum. Ut enim observat Suarez (1): «In rigore ad doctrinam fidei defen»dendam, et intelligendam definitionem Concilii Tridentini, »sufficit confiteri, hunc actum (Poenitentiae) esse supernaturalem; »nam quando Concilia loquuntur de Poenitentia, non tractant de »virtute illa speciali, quam vocamus justitiam ad Deum; quod enim »detur talis virtus non pertinet ad doctrinam fidei. Tractant ergo de

(1) De Poenit. Disp. 3. Sec. 6, n. 10.

»Poenitentia absolute pro detestatione peccati, et praesertim de illa »quae ad remissionem peccati disponit, ad quod maxime confert de»testatio ex charitate.»

Quia tamen ad Poenitentiae naturam enucleandam non parum quaestio haec, de objecto formali ejusdem, conferre potest, aliquantulum in ea solvenda immorabimur.

§ II.

Quod Poenitentia generalis ad salutem sufficiat.

Dico I. Ut disponatur peccator ad remissionem peccati, non opus est eum poenitere ex speciali aliqua virtute a ceteris distincta.

91. Prob. 1.° Tridentinum (1) qualis debeat esse Poenitentia describit, nulliusque meminit specialis motivi, seu virtutis. Sed rem hanc non praetermisisset si foret ad veram Poenitentiam necessaria: ergo. *Maj.* patet. Nam explicat Concilium actum illum Poenitentiae, «qui fuit quovis tempore ad impetrandam ve»niam necessarius;» aitque esse «Dolorem, ac detestationem de pec»cato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.» Deinde docet hunc contritionis motum «praeparare ad peccatorum remis»sionem, si cum fiducia divinae misericordiae, et voto praestandi »reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramen»tum requiruntur.» Ecce nullum indicat Synodus speciale motivum hujusce Poenitentiae: dolor enim de peccato ex multis virtutibus haberi potest, sicut et propositum non peccandi. Item inferius docet: Poenitentiam hanc esse perfectam ac justificare si ex charitate procedat: si autem concipiatur «Ex turpitudinis peccati »consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu..., donum Dei »esse et Spiritus Sancti impulsum, quo poenitens adjutus viam sibi »ad justitiam parat.» Atqui turpitudo peccati ex variis virtutibus, quibus aversatur, considerari potest; metus autem gehennae et poenarum ex virtute spei concipi potest; ergo vera et utilis Poenitentia ex motivo charitatis, spei, aliarumque virtutum haberi potest, ideoque non est specialis virtutis necessaria Poenitentia.

2.° Pariter in SS. Litteris, non solum nullibi specialis virtutis motivum praescribitur, sed passim ex aliarum virtutum objectis formalibus ad Poenitentiam adhortamur. Paulus bonitatem Dei atque iram proponit: *An divitias bonitatis ejus contemnis? Ig-*

(1) Sess. XIV, c. 4.

noras quoniam benignitas Dei ad Poenitentiam te adducit? Secundum duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei (1). Et Dominus quoque ait (2): *Si Poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Similiter in Apocalypsi (3) tum peccati turpitudinem, tum imminentem castigationem opponit ut Poenitentiam agamus: *Nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et coecus, et nudus... Ego quos amo arguo et castigo. Aemulare ergo, et Poenitentiam age.* Item per Ezechielem Prophetam (4) eximiam Dei charitatem describit Spiritus Sanctus, peccatoris foedam ingratitudinem, turpissimamque vitam, ut ad Poenitentiam inducat.

92. 3.° Quomodo describat Ambrosius Poenitentiam audiamus (5): «Advertimus quomodo agenda sit Poenitentia, quibus »sermonibus, quibus fletibus, ut peccati dies, dies confusionis ap»pelletur... Et ideo subjiciamus nos Deo, et non subditi simus »peccato: delictorum nostrorum memoriam recensentes, tamquam »opprobium erubescamus, non velut quamdam gloriam praedice»mus, sicut quidam expugnata pudicitia, et oppressa justitia glo»riantur: et tanta fiat conversio, ut qui Deum non agnoscebamus, »ipsi eum jam aliis demonstremus.» Et paulo inferius (6): «Si vis »justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus ve»recunda confessio peccatorum... In te igitur est ut evadas: vult »rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari...» Deinde (7): «Si amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. »Usus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias... »Nihil est autem quod tam summo dolori sit, quam ut unusquis»que positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit, at»que unde deciderit; eo quod ad corporea atque terrena ab illa spe»ciosa et pulchra divinae cognitionis intentione deflexerit... Eos »autem qui Poenitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit »dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelo»rum*... Quid enim, quod differas? An ut plura peccata committas? »Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus et divitias bonitatis ejus »et patientiae contemnis? Sed bonitas Domini magis ad Poeniten»tiam te debet adducere.»

Haec aliquantulum fusius, ut pateat, plurium virtutum meminisse Ambrosium ad Poenitentiam pertinentium; specialem autem ullam esse necessariam non docet. Dei proponit bonitatem; haec autem ad charitatem vel spem pertinet: dolorem requiri, erubescentiam, confusionem, verecundiam docet; ejusmodi tamen ex

---

(1) Rom. II, 4, 5.—(2) Luc. XIII, 5.—(3) III, 17, 19.—(4) XVI.—(5) De *Poenit.* l. 2, c. 5.—(6) C. 6.—(7) Cc. 10, 11.

malitia et turpitudine peccati fluunt, ex oppositione ad quamlibet virtutem.

93. Dices. Actus illi diversarum virtutum, de quibus S. Scriptura et Patres, si a Poenitentia imperentur, non sunt proprie et stricte Poenitentiae actus; sed subjectum, seu materia tantum: ergo praeter tales actus, alia erit specialis virtus Poenitentiae necessaria.

Resp. Permitto, vel concedo *antec.* et nego *conseq.* Nam ex antecedenti, si concedatur, tantum sequitur, dari specialem virtutem Poenitentiae; non autem hanc esse necessariam. Actus enim illi possunt non tantum elici, sed etiam imperari ab aliis virtutibus; cum ad eamdem spectet virtutem suum amare bonum, et odisse oppositum malum, necnon media ad proprium finem apta determinare. Igitur cum nullibi praescribatur, eos Poenitentiae actus esse a quadam virtute speciali imperandos, non possumus necessitatem ejusmodi virtutis praesumere, et existimare Concilia, Patres et SS. Litteras rem adeo necessariam tacuisse.

Nota. Actus a virtute, vel potentia, dicitur elicitus, si ab ipsa, seu ejusdem formali motivo, immediate fluat: imperatus autem appellatur actus, cum virtus, vel potentia, eum causat media alia virtute vel potentia. Sic, ex motivo humilitatis imperari potest actus orationis ad eam assequendam virtutem; ex motivo spei imperatur actus contritionis ad delendum peccatum salutis impedimentum, etc.

§ III.

Quod aliqua existat specialis virtus Poenitentiae.

94. **Nota.** Aliud est virtutis alicujus exercitium non esse ad salutem necessarium, aliud vero talem non existere virtutem. Plures enim virtutes id tantum postulant, ut nihil fiat quod earum adversetur honestati; non autem quod in earum actibus exerceamur: magnanimitas, ex. gr., obedientia, etc., cum sint verae et speciales virtutes, non ita sunt necessariae uti fides vel charitas, quarum actus in propria specie sunt perficiendi ut salutem assequamur. Si quis autem ex motivo cujuslibet alius virtutis, puta, spei, humilitatis, religionis, etc., actus illos imperaret, vel vitaret, quos agere vel cavere jubet magnanimitas, vel obedientia, etc., non tantum nihil peccaret, sed nonnumquam etiam perfectius mereretur, si ex nobilioris virtutis motivo duceretur.

Dico II. Concedendum est, existere specialem Poenitentiae virtutem ab aliis distinctam virtu-

tibus, cujus proprio et peculiari motivo emendari ac detestari possunt peccata.

95. **Nota.** Universim duplex est de hac re sententia: prima quorumdam dicentium, nihil esse aliud Poenitentiam quam collectionem omnium virtutum, quatenus quodlibet peccatum detestari debeamus per illam virtutem cui opponitur. Haec opinio communiter rejicitur. Ratio praecipua est, quia licet possimus per quamlibet virtutem aversari utcumque peccata eidem opposita, non autem illo speciali modo aversionis, quae praecise respicit in peccato offensionem Dei per aliquam satisfactionem compensandam. Alii autem concedentes dari specialem virtutem ad detestanda peccata, tamen censent illam non distingui ab aliquibus ceterarum virtutum, quae propter suum generale objectum formale, capaces sunt munus Poenitentiae obire. Unde nonnulli putant Poenitentiam esse ipsam gratiam seu charitatem, quatenus excludunt peccatum; hoc enim proprium est Poenitentiae. Verum licet gratia peccatum tollat, id praestat formaliter, non autem dispositive, ut Poenitentia. Charitas, quidem, modo excellentiori peccatum aversatur, uti divinae bonitati oppositum; non tamen attingit illam juris divini derogationem in offensa Dei existentem, et per satisfactionem abolendam. Quidam ajunt Poenitentiam esse ipsam illam Justitiam commutativam humanam, qua jura hominum laesa reparantur, quatenus etiam ipsa erga Deum offensum exercetur, ex impulsu alicujus virtutis theologicae. Ita censet Durandus. Rejicitur tamen haec opinio, quod confundat jus humanum cum divino jure infinite excellentiori: nequeunt enim jura adeo diversa formale objectum esse unius ejusdemque virtutis.

Scotus distinguens quatuor in Poenitentia actus, scilicet, vindicare commissum seu velle punire in se peccatum, detestari peccatum, poenam inflictam acceptare, eamque patienter ferre, unicuique diversum assignat formale objectum. Praecipuum actum esse dicit, velle punire in se peccatum; ideoque Poenitentiae virtutem proprie et principaliter esse justitiam vindicativam. Rejicitur hoc a Cajetano, Suarez, Vazquez, Valentia, etc. Primo, quia non tradit Scotus formale motivum propter quod actus illi a Poenitentia eliciuntur vel imperantur: secundo, quod pro lubitu quatuor actus enumeraverit Poenitentiae, et praecipuos, detestationem, nempe, peccati et dolorem, a proprio Poenitentiae motivo excluserit.

Cajetanus putat (1), nihil esse Poenitentiam nisi virtutem Religionis: nam constat Poenitentia; 1.° submissione ad Deum pro

(1) In Summ. q. 85, a. 2.

offensa: 2.° displicentia offensae divinae: 3.° confessione interna et externa. Primus actus pertinet ad Religionem: secundus est charitatis, sed quia imperatur a primo fit actus etiam Religionis: tertius etiam a primo imperatur uti signum submissionis. Aperte autem adversatur D. Thomae singularis haec opinio, quam fuse falsam ostendunt plures thomistae, necnon Suarez, Valentia, etc. In eo illusionem passus est Cajetanus, quod videns actus Poenitentiae aptos existere ad Deum colendum, putavit Religioni esse adscribendos: eadem ratione potuisset eos aliis concedere virtutibus, puta, spei, quia apti sunt ad beatitudinem sibi promerendam, vel fortitudini, quia difficiles, etc. Ad rem Toletus (1): «Poenitentia versatur circa Deum, ut a nobis offensa »affectum: ergo est distinctio ex parte objectorum inter actus reli»gionis et poenitentiae, et consequenter inter ipsos habitus. Non »potest ergo defendi ista imaginatio Cajetani, quam merito »nullus antiquorum, licet variae fuerint sententiae, somniavit.» (Vide Suar. de Poen. d. 7, s. 2).

96. Prob. nostra sententia, quam cum D. Thoma, Vazquez, etc., tenent communiter scholastici DD.; et simul ostenditur hujus virtutis speciale motivum.

In omnibus peccatis invenitur specialis ratio contra Deum, qua detestabilia sunt et emendabilia, quamque non respiciunt ceterae virtutes. Sed ad Poenitentiam spectat detestari et emendare, seu resarcire, peccata: ergo existit specialis virtus Poenitentiae. *Min.* ex supra (Th. XII, n. 69...) dictis patet. *Maj.* prob. In quolibet peccato laeditur jus divinum, seu tollitur aequalitas quam postulat ordo creaturae ad creatorem. Sed id facit peccatum esse detestabile et emendabile ea ratione, quam ceterae virtutes non respiciunt: nam charitas illud detestatur uti oppositum divinae bonitati propter se dilectae; spes autem, ut oppositum nostrae beatitudini; religio, uti adversum divino cultui, etc. Ergo. *Maj.* patet. Quia Deus habet jus innatum summi principii, ut omnia ab eo fluant sicut ipse vult, et ultimi finis, ut omnia ad eum terminentur sicut ipsi placet. Sed tale jus laeditur in quolibet peccato: ergo.

Confir. 1.° ex D. Thoma (2): «Poenitentia accipit specialem rationem objecti ex hoc quod respicit peccatum a se commissum, ut expiabile per poenitentis actum...» Et inferius (Ad 4 dicend.): «Sicut enim est alicujus virtutis, ut homo placet eum, quem peccando offendit, ita etiam est alicujus virtutis, ut homo Deum placet, quem peccando offendit.» Et rursus (3): «Poenitentia non ha-

---

(1) Comment. in Summ. q. 85.—(2) 4, dist. 14, q. 1, a. 1, ad q. 3.—(3) P. 3, q. 85, a. 3.

bet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato; ad hoc enim sufficeret charitas... sed exigitur ulterius quaedam recompensatio... Unde manifestum est quod Poenitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiae.»

Confir. 2.° Augustinus docet quoque ex affectu justitiae detestanda ac compensanda peccata (1): «*A delicto meo munda me.* Quo merito? Medicus est; offer mercedem. Quid dabis ut munderis? Vide enim quem invoces; justum invocas; odit peccata, si justus est: vindicat in peccata, si justus est. Non poteris auferre a Deo justitiam ejus. Implora misericordiam, sed attende justitiam: misericordia est, ut ignoscat peccanti, justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quaeris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Responderit David, responderint lapsi, responderint cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant: Non. Domine, non erit impunitum peccatum meum; novi justitiam ejus, cujus quaero misericordiam: non impunitum erit, sed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio, ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco...» Et S. Gregorius (2): «Considerantes quod justus est (Deus), peccata vestra nolite negligere.» Item (3): «Justum invoco, qui et peccata odio habet, et ista impunita non dimittit... Justitiam ipsius attendo... Nolo ut peccatum meum maneat impunitum?

97. Obj. 1.° Si istud est objectum formale Poenitentiae, scil. compensare injuriam, seu Dei offensam; affectus poenitendi erit affectus in peccatum: sed peccatum amari non potest; ergo. *Maj.* prob. Nequit amari compensatio, quin amentur omnia intrinsecus necessaria ad compensandum. Sed compensationi peccati intrinsecum est ipsum peccatum: ergo si istud sit objectum...

Resp. Dist. *maj.* Affectus Poenitentiae absolutus erit affectus in peccatum; conc. Conditionatus poenitentis affectus erit affectus in peccatum; subd. Erit affectus detestationis virtualis; conc. Amoris; nego. Eodem modo distingues *maj.* in probatione. Quis dicet, aegrum amare suum morbum, quia amat amaram potionem qua vult illum sanare? Peccatum ut destruendum, non vero ut ponendum, est instrinsecum compensationi.

Obj. 2.° Satisfactioni divinae offensae non obstat peccatum, imo prodest, ut requisitum necessarium. Sed non potest virtus ulla aversari illud quod non opponitur, imo prodest suo objecto formali: ergo non est proprium Poenitentiae detestari peccatum (quod est plane falsum V. supra, Th. XII), si ejus formale motivum est satisfacere pro divina offensa.

---

(1) *Enar.* in Ps. 1. 4, 13.—(2) *In Evang.* l. 2, hom. 34.—(3) *In sept. Psal.* p. 5, 4.

Resp. 1.° Nimium probare istud argumentum. Sequitur enim, numquam posse Poenitentiam, quodcumque sit ejus formale objectum, dolere de peccato; tamen id non concedit arguens, et communi opponitur doctrinae. Semper enim peccatum supponitur Poenitentiae, ideoque aliquo modo confert ejus formali objecto.

Resp. 2.° Dist. *Min.* Aversari nequit id quod non opponitur objecto suo formali absoluto et totali; conc. Quod tantum conditionato et partiali objecto suo formali non opponitur; nego. Ea virtus, quae dicitur Poenitentia, habet, ut objectum totale formale, aequalitatem juris divini servare: id absolute amat et oppositum odit; consequenter et odit peccatum. Si autem laedatur jus divinum, quod fit per Dei offensam, objectum formale partiale illius virtutis est peccatum expiare, ex amore aequalitatis, seu justitiae. Peccatum igitur ex se, seu subjective, non opponitur, sed supponitur affectui compensationis seu expiationis peccati: verum contrariatur amori absoluto justitiae et aequalitatis juris divini, et inde procedit odium peccati et voluntas compensandi. Unde haec voluntas expiandi peccatum, licet non sit actus formalis odii, quia est formalis amor illius honestatis elucentis in compensatione divinae offensae; tamen est odium saltem virtuale peccati: quia honestas illa consistit in expiatione peccati, seu compensatione divinae offensae, destruendo peccatum quantum fieri possit.

98. Obj. 3.° Offensa non est, saltem semper ac necessario, contra justitiam; potest enim esse tantum contra amicitiam, seu charitatem: uti si amicus amico alloqui recuset, vel eum insalutatum dimittat. Ergo objectum formale Poenitentiae, qua omnes expiantur offensae, nequit esse compensatio juris divini.

Resp. Dist. *maj.* Offensa inter homines non est semper... conc. Offensa in Deum non est semper contra justitiam; nego *maj.* Deus enim, A καὶ Ω, Principium et Finis, ita excelsum habet in omnem creaturam dominium, ut quivis in eum contemptus et offensa eminentem exhibeat injustitiam (1): *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem.* Ecce tamquam Dominus, tamquam justus, odit Deus peccatum, et simili modo illud peccatores detestari debemus. Vide Augustini verba nuper laudata.

Obj. 4.° Compensatio offensae divinae non postulat per se odium ipsius offensae; quemadmodum compensatio suscepti beneficii non exigit odium ipsius. Ergo sicut gratitudo exercetur tollendo debitum ex beneficio ortum, illudque compensando, manente amore beneficii; ita fieri poterit Poenitentia, expiando peccatum et auferendo debitum ex eo procedens, manente amore, vel saltem sine odio peccati.

---

(1) Exod. XX, 5.

Resp. Nego paritatem. Ideo enim compensatur beneficium et ejus extinguitur debitum sine odio beneficii, quia et bonum est beneficium, et vult benefactor illud amari. E contra malum est peccatum, vultque Deus offensus illud nos detestari ac retractare, et cum odio, non cum amore, compensare: malum enim odii, non vero amoris, est dignum.

99. Obj. 5.° Supponitur in dicto formali objecto Poenitentiae, nempe compensare injuriam Deo illatam, habere omne peccatum malitiam injuriae. Sed hoc vel non est verum, vel saltem plures nesciunt, imo et negant: ergo nequit Poenitentia cum tali objecto fieri.

Resp. Conc. *maj.* Ad *min.* dico 1.°: nego ullum esse peccatum absque malitia injuriae; ut dictum est superius (Obj. 3.°).

Resp. 2.° Quod aliqui ignorent, imo et negent hoc formale motivum, conceditur: istos autem, nisi factis dicta sua retractent, non ex speciali virtute Poenitentiae, sed ex generali, poenitere dicendum. Verum id fateri quoque debent qui aliter motivum formale Poenitentiae intelligunt; non enim omnes opinionem illorum tenent.

Obj. 6.° Si peccatum foret stricta injuria, deberet Poenitentia, seu satisfactio, statim fieri. Sed ad id non obligatur peccator: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Statim deberet fieri, per se; conc. Si Deus misericorditer aliquam concedit dilationem; nego *maj.* Hanc autem Deum concedere, perpensa peccantium fragilitate, existimandum.

100. Obj. 7.° Nequit virtus rem impossibilem intendere. Sed reddere aequale, seu compensare injuriam Deo factam, est impossibile: ergo Poenitentia id non intendit.

Resp. Dist. *min.* Est impossibile reddere aequale pro culpa, quoad reatum poenae; nego. Quoad reatum culpae, seu ipsius injuriae formalis; subd. Si Deus tradat modum dignificandi obsequia poenitentis cum satisfactionibus Christi; iterum nego *min.* Absque Christi satisfactione, subd. Reddere aequale affective, quatenus vellet poenitens satisfacere ad aequalitatem, si posset, est impossibile; nego rursus *min.* Compensare pro reatu culpae non potest peccator effective; iterum Subd. Ita ut ex omni parte tollatur de condigno offensa; concedo. Ita ut neque possit peccator injuriam retractare, et voluntatem injuste a Deo aversam ad eum convertere, et ejus dominio iterum subjicere, et de congruo satisfacere cum Dei auxilio; nego. Cum igitur haec possit poenitens exhibere Deo, eo animo ut compenset quantum potest injurias illi irrogatas, quod ad justitiam pertinet; specialis virtus est Poenitentia dicenda.

Obj. 8.° Nullum jus potest a Deo auferri, et damnum irrogari, cum sit essentialiter et immutabiliter Dominus, ac impassibilis; nec ullum ei debitum vel commodum reddi, cum ad omnia infini-

tum ejus dominium se porrigat independenter a quavis creatura. Ergo nulla vel injuria, vel satisfactio, potest Deo proprie fieri.

Resp. Dist. *ant.* Intrincese nequit jus ullum Deo auferri vel damnum irrogari; conc. Extrinsece; subd. Deo tolerante, seu permittente, non potest id fieri; nego. Deo efficaciter nolente; conc.

THESIS XV.

Objectum formale Poenitentiae, qua specialis est virtus, est honestas illa, quae in aequalitate divini juris erga creaturam reparanda existit: prout autem est virtus generalis, ejus objectum formale est honestas illa, qua specificantur virtutes singulae, quibus peccata detestamur et emendare volumus.

101. **Nota** I. Objectum *formale* potentiae vel habitus alicujus dicitur illud, quod propter se, seu ratione sui, est motivum objectivum actus proprii talis potentiae. Ad rem D. Thomas (1): «Propinquus (finis) est duplex; quidam qui est finis operis... et iste finis dat speciem actui... Alius vero est finis agentis... Ab hoc autem actus non recipit speciem propriam, sed quasi communem, secundum quod actus imperati induunt speciem virtutis vel vitii imperantis supra speciem quam habent ex habitu eliciente.» Duplici modo potest actus attingere objectum formale; vel quatenus ratio motiva sola et pura, quasi in se subsistens forma, movet et attingitur; vel quatenus movet ut existens in alio: si primo modo consideratur, dicitur objectum *formale quod;* si autem secundo concipitur modo, vocatur objectum *formale quo.* Si amamus, ex. gr., reparationem seu satisfactionem divini juris peccatis laesi; attingimus objectum Poenitentiae, ut objectum *formale quod:* si vero velimus dolere, confiteri peccata, confundi, quia scimus his actibus emendari divinam offensam, seu reparari jus divinum; tunc respicimus Poenitentiae objectum, ut objectum *formale quo.*

II. Ex his intelligitur quid dicendum *objectum materiale;* nempe, omnia illa, quae non propter se, verum ratione objecti formalis, a potentia vel habitu attinguntur.

Thesis facile probatur, vel potius explicatur ex dictis et probatis in praecedenti Scholio.

Pars I. Poenitentia est virtus, ideoque habere debet bonum aliquod honestum, in quod propter se feratur; scilicet, motivum

(1) 4. Dist. 16, art. 1, q. 2 ad 3.

propter quod honeste detestatur peccata, ac compensare vult, ita ut a Deo remittantur. Deinde est virtus specialis, quia tendit ad reparandum jus divinum in creaturam peccatis laesum: quod quidem est per se honestum, seu rectae rationis dictamini congruum. Jam vero id quod per se, seu ratione sui, est honestum, potest etiam propter se attingi a potentia, vel habitu, nec indiget alia ratione motiva: ergo prout Poenitentia est virtus specialis, habet suum formale objectum in reparatione divini juris per peccatum laesi.

Pars II. Eadem ratione intelliges, quod sit formale objectum Poenitentiae generalis, seu, cum per alias virtutes, puta, charitatis, spei, etc., peccata detestamur, et emendamus: aversantur enim peccata non solum juri divino, sed etiam divinae bonitati, nostrae beatitudini et aliis virtutibus. Si ergo aliis moveamur virtutibus ad Poenitentiam (Vide Dico I, in praec. Schol.), earumdem virtutum objecto formali movebitur nostra poenitentia.

102. **Corollarium.** Inde deduces: Poenitentiam, quae est virtus specialis, esse virtutem moralem, non autem theologicam.

Duplici nota discernitur virtus moralis: quatenus est habitus perficiens potentiam appetitivam, differt a virtute intellectuali, nempe, scientia, fide, etc.; quatenus autem attingit bonum honestum creatum, differt a virtute theologica. Jam vero compensatio juris divini, quam respicit Poenitentia, est bonum quoddam honestum, ideoque ad voluntatem pertinens. Deinde talis compensatio est bonum creatum: perficitur enim in actibus creaturae, puta, dolore, satisfactione, confessione, etc. Non ergo est virtus theologica, cujus formale objectum est bonitas, vel perfectio alia divina.

103. Dices: Poenitentia attingit jus divinum: ergo habet pro objecto formali bonum increatum.

Resp. Dist. *ant.* Attingit jus divinum, quasi directe istud moveat ad Poenitentiam; nego. In obliquo respicit jus divinum, mediante, scilicet, honestate compensationis, quae non est quid divinum sed humanum; conc. Sicut enim virtus Religionis respicit divinam Excellentiam in obliquo, mediantibus actibus cultus, quorum movetur honestate; ita Poenitentia attingit jus divinum per actus illos quibus offensa Dei compensatur: habent enim quamdam proportionem ad istam praestandam satisfactionem, ideoque justitiae honestas quae in eis refulget movet voluntatem, seu Poenitentiae virtutem.

Instabis. Ideo Poenitentiae virtus fertur ad bonum illud honestum satisfactionis juris divini, quia talis est satisfactio, nempe quia Deo compensatur injuria facta: bonum enim est honestum Dei offensas illi compensare. Sed id velle est Deum diligere; amare

enim est velle alicui bonum: ergo Poenitentia est ipsa virtus charitatis.

Resp. Concessa *maj.*, nego *min.* vel dist. Est Deum diligere materialiter; conc. Formaliter; nego. Probationem autem etiam dist. Amare est velle alicui bonum, propter illum, seu propter ejus bonitatem; conc. Est velle propter aliquod aliud motivum alicui bonum; nego. Unde si quis vellet offensam Dei emendare propter ipsum Deum, propter ejus bonitatem, quia complacet in ipso Deo; id sane esset actus charitatis: si autem volumus Deo satisfacere, quia talis satisfactio est rationalis, seu honesta; non est hoc charitas, sed actus cujusdam justitiae, seu Poenitentiae. Exemplo res elucebit. Si quis inimicum habeat, quem ex corde odit, et interim illi debitum aliquod solvat, vel damnum irrogatum compenset; non inde sequetur quod eum diligat: poterit enim debiti solutio ex solo amore justitiae, et non ex amore inimici procedere.

SCHOLION I.

De justitia inter Deum et homines.

104. Inter graviores AA., tum antiquos, tum recentiores, viget numquam sopita dissensio de natura hujusce justitiae, quae intercedit Deum inter et homines. Inde cum de Poenitentia agitur, redit ejusmodi quaestio; nam, ut ait D. Thomas (1): «Manifestum est quod Poenitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiae.» Quidam ergo censent, uti Cajetanus, Lugo, Vazquez, Gonet, etc., Poenitentiam non esse stricte justitiam, neque peccatum per se habere propriam injustitiam adnexam. Alii, e contra, docent in quovis peccato veram injustitiam adversus Deum fieri, et Poenitentiae virtutem perfectae et essentialis justitiae habere rationem: ita Suarez, Tanner., etc.

Prior opinio in definitione Justitiae nititur, prout eam Aristoteles definivit. Ajunt enim illi, strictam et perfectam justitiam tres requirere notas: perfectum et strictum jus, adeoque debitum; secundo, quod jus ac debitum sint ad alterum, moraliter nempe, quatenus dominium unius non sit sub dominio alterius, uti servus sub domino existit; tertio perfectam aequalitatem rei ad rem, seu dati et accepti, compensationis et injuriae. Jam vero, omnis creatura, cum omnibus ad eam pertinentibus spectat ad summum Dei dominium, plus quam servus ad dominum: deinde nihil potest

(1) P. 3, q. 85. a. 3.

peccator exhibere quod aequaliter divinam compenset offensam. Altera sententia respondet, non pertinere ad perfectae justitiae generalem et simplicem conceptum eas imperfectiones, quae nascuntur a natura justitiae humanae, quam Aristoteles descripsit. Sublatis autem hisce imperfectionibus, quae justitiae inter Deum et creaturam nequeunt convenire, manet universalis et simplex idea justitiae, quatenus est: «Voluntas suum jus cuique tribuendi (1).

Jam vero perfectissimum esse jus Dei peccato laesum, et strictum creaturae debitum ad eum servandum vel compensandum, quantum possit, non est dubium. Quod autem justitia humana sit ad alterum etiam moraliter, id est, cum utriusque independentia; id a limitatione humanae naturae procedit, non a conceptu justitiae simpliciter sumptae. Ipsi etenim servi, quos a vera justitia excludit Aristoteles, possunt etiam injuste erga dominos suos agere, puta, rapinis, furtis, laborem debitum recusantes, etc. Licet autem nihil deinde habeant quo damna juste compensent; tamen hoc non ad justitiae imperfectionem est referendum, seu ad voluntatis affectum; perfectio enim est voluntatis justitia; sed ad subjecti impotentiam, quod non possit effective praestare quod justa desiderat voluntate. Unde si dominus servo bona aliqua permittat, ut libitu suo honeste ea expendat; tunc sane etiam effective poterit debitum suum solvere.

Sic summus creaturarum Dominus, liberas condens creaturas, iisdem ad honestos usus, praesertim ad aeterna promerenda praemia, et ad culpas admissas expiandas, plurima clementer concessit bona ordinis supernaturalis, ac potissimum Christi Domini satisfactiones et merita. Potuisset quidem Creator omnia exigere jure summi dominii, nihilque servis suis tradere ad quicquam merendum, vel debita sua compensanda: tamen illi placuit opera manuum suarum honorare, coronasque iis parare, et quidem *coronas justitiae* (2) a se *justo judice* tribuendas, ita ut vere et non ficte foret *Rex regum et Dominus dominantium* (3).

Ad id autem quod opponunt prioris opinionis AA., non posse, nempe, pro culpis poenitentes aequalem exhibere satisfactionem; facile reponi potest, ut nuper dicebamus, id non justitiae, sed subjecti esse defectum. Unde ubi ejusmodi cessat impotentia, aequalem et perfectam solvit justitia satisfactionem; sic justus condignam exhibet solutionem pro poenis debitis; peccator autem congruam compensationem, etiam pro culpis, per actus supernaturales praesertim contritionis perfectae: imo suscipiens sacramentum etiam condigne satisfacit, ei meritis et satisfactionibus Christi con-

---

(1) D. Th. 2. 2. q. 58, a. 1.—(2) II Tim. IV, 8.—(3) I Tim. VI, 15.

dignis et superabundantibus applicatis ad Deum placandum. Praeterea, simplex Deo satisfaciendi, quantum fieri possit, desiderium est actus honestus, et non alius virtutis nisi justitiae: debitores enim, non solum cum actu et plene debita solvunt, justi existunt, sed etiam cum partim satisfaciunt, vel satisfacere desiderant.

SCHOLION II.

De diversis Poenitentiae motivis.

105. Diversis virtutibus, seu motivis formalibus honestis, adversatur peccatum, ex quibus ejus concipi potest odium ac detestatio, et Poenitentia generalis, uti supra diximus (Th. XIV, Schol, § II.) Unde uno in conspectu subjicimus virtutes, quibus universim peccata adversantur.

Possumus aversari peccatum.

1. Charitate in Deum, seu contritione perfecta.
2. Ex virtute spei erga Deum, seu ex amore erga nostram beatitudinem.
3. Virtute obedientiae in Deum.
4. Ex religione erga Deum.
5. Ex gratitudine in Deum.
6. Ex speciali virtute Poenitentiae, seu justitiae in Deum partiali virtute, qua intendit peccator compensare divinam offensam per se ipsum.
7. Ex virtute honestatis in genere, seu quia inhonestum ac irrationale est peccare.
8. Ex justitia in Deum, qua non solum propria, sed et aliena possumus detestari peccata.
9. Ex charitate, seu amore amicitiae erga se; quia tot bonis spoliatur, tot malis afligitur peccator a divina justitia.
10. Ex speciali virtute cui opponitur peccatum, uti temperantia, humilitate, liberalitate, etc.

Nota. *Contradictorie* opponitur Poenitentiae speciali, non compensare per se ipsum divinam offensam: *contrarie* autem opponitur illi, subjective quidem, nolle eam exhibere compensationem; objective autem, permanentia offensae et eorum quae eidem connectuntur.

ARTICULUS III.

De Poenitentia externe peragenda.

THESIS XVI.

Tum in Veteri, tum in Novo Foedere, indixit Deus poenitentibus peccati confessionem.

106. I.ª pars. prob. 1.° Spiritus S. (1) docet: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur* (Hebr. *non prosperabitur); qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Item (2): *Non confundaris confiteri peccata tua.* In Levitico ritus praescribitur ad expianda peccata et confessio illorum jubetur (3): *Si peccaverit anima... agat Poenitentiam pro peccato...* Sic in Vulgata; verum in textu hebraico explicite dicitur, qualis facienda poenitentia: וְהִתְוַדָּה *vehitvaddah, et confitebitur de eo quod peccavit, et offeret de gregibus...*, etc. Praeterea, ad expiandas praevaricationes totius populi, mandat Deus summo sacerdoti (4): *Posita utraque manu super caput ejus (victimae), confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel.* Item (5): *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis... confitebuntur peccatum suum.* Et universim praedicitur judaeis peccantibus, dispergendos inter gentes (6): *donec confiteantur iniquitates suas.* Unde David confessus est peccatum suum coram Propheta, et hic ait (7): *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

2.° Catholici interpretes id notarunt. A Lapide (8) ait: «Nota »hic usum imo praeceptum confessionis.» Origenes, qui mire Scripturas callebat, judaeorum mores noscebat, universas fere Ecclesiae provincias ad Romam usque peragraverat, ita exponit textum (9): «Si peccaverit unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum »quod peccavit.» Deinde adjicit: «Si quid in occulto gerimus, si »quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta com»misimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferre... Sic »enim et alibi Propheta dicit: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut »justificeris*... Quia si prior dixeris et sacrificium Poenitentiae ob»tuleris..., et tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus sal-

---

(1) Proverb. XXVIII, 13.—(2) Eccli. IV, 31.—(3) V, 1-5.—(4) Ibid. XVI, 21.—(5) Num. V, 6, 7.—(6) Levit. XXVI, 40. (7) II Reg. XII, 13. —(8) In Numer. V, 7.—(9) Hom. 3, in Levit. V, 5.

»vus fiat in die Domini, dicetur et tibi; quia percepisti et tu in vita »tua mala, nunc vero hic requiesce. Sed et David eodem spiritu »loquitur in Psalmis (ps. XXXI) et dicit: *Iniquitatem meam »notam feci, et peccatum meum non cooperui. Dixi: Pronuntiabo ad- »versum me injustitiam meam; et tu remisisti impietatem cordis mei.* »Vide ergo quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati mere- »tur.» Ante Foedus Novum fuisse confessionem necessariam docet Tertullianus (1): «Confessio satisfactionis consilium est, dis- »simulatio contumaciae... Is actus qui magis graeco vocabulo ex- »primitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino »nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satis- »factio confessione disponitur, confessione Poenitentia nascitur, »Poenitentia Deus mitigatur... Peccator restituendo sibi institutam »a Domino exomologesim sciens, praeteribit illam, quae Babylo- »nium Regem in regna restituit...? Contra autem Aegyptius Impe- »rator... revolutis fluctibus periit. Poenitentiam enim et ministe- »rium ejus exomologesim abjecerat.» Cyprianus (2): «Ana- »nias, Azarias, Misahel, quominus exomologesin Deo »facerent nec inter flammas et incendia quiverunt... Humilitatem »tenere et Domino satisfacere, nec inter ipsa gloriosa martyria des- »titerunt. Daniel quoque... in sacco et in cinere volutatur exo- »mologesin faciens dolenter et dicens; Dominus Deus magnus... »peccavimus, facinus admisimus..., etc.» Et de Adamo ait Augustinus (3): «Interrogatur Adam, non Deo nesciente ubi »esset, sed cogente ad confessionem.»

107. 3.° Quod autem fuerat in lege praescriptum, opere quoque et traditione fuisse a judaeis retentum, aperte elucet ex S. Marco (4) testante, quod ii, qui Joannis praedicatione ad Poenitentiam convertebantur. *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.* Praeterea, plures ex celebrioribus Rabbinis obligationem confessionis apud judaeos traditione susceptam edocuerunt. Auctor *Mischnae*, libri antiquissimi et summae inter judaeos auctoritatis, testatur; sacerdotes ipsos, cum pro suo peccato offerebant juxta legem sacrificium, confessionem quoque delicti sui fecisse, licet explicite iis Lex id non praescribat. Item Rabbi Nacmanides, R. Maimonides, R. Abenezra testantur: «Cum Israeli- »tae pro culpis, sive voluntariis, sive involuntariis, sacrificium offe- »runt, nisi claram et distinctam sui peccati exhibeant confessio- »nem, nihil eis prodest sacrificium.» Et R. Abarbanel asserit: «In »omni sacrificio pro peccato, necessum erat culpam admissam con-

(1) De *Poenit.* c. 11—(2) De *Lapsis*.—(3) De Gen. contra *Manich.* l. 2, c. 16.—(4) I, 5.

»fiteri.» In l. *Talmud.* Jerosolymitano (1) dicitur: «Traditione ha»betur, debere peccatores singillatim suas omnes confiteri culpas. »Haec sunt R. Judae, filii Battira, verba.» In dicto libro *Mischna* (2) refertur, eos qui propter crimen lapidabantur, adhortandos ante mortem ad peccati confessionem, ut in alia vita misericordiam assequantur. Id sane confirmari potest ex SS. Litter (3). *Ait Josue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas... etc.*

108. II. pars. quae fide constat, prob. 1.° Tridentinum decrevit (4): «Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel ins»titutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anath. sit.»

2.° Christus Ecclesiae suam tradidit in peccatores potestatem, ut remitteret vel non remitteret eorum peccata, ut ligaret vel solveret (5). Sed nequit hoc judicium prudenter et juste exerceri, nisi intercedat peccati confessio: ergo. *Min.* prob. Ut juste ac prudenter proferatur sententia, debet cognosci causa; ut congrua imponatur poena, debet gravitas dignosci delicti. Sed judicium hoc reconciliationis est sententia circa intima conscientiae peccata, et per illam est congrua poena imponenda (6): ergo intercedere debet peccati confessio, qua conscientia reveletur. Praeterea; S. Jacobus ait (7): *Si in peccatis sit, remittentur ei: confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Remissio igitur peccatorum est cum eorum confessione connexa et ab ea pendens: ergo necessario adhibenda. Et quidem fideles Poenitentiam egisse per delictorum confessionem refert S. Lucas (8).

109. 3.° Ex SS. Patribus hujus doctrinae testibus, vide supra (9) SS. Cyprianum et Pacianum; in priori autem parte hujus theseos Originem et Tertullianum. S. Hieronymus (10): «Secunda post naufragium tabula est culpam humi»liter confiteri.» Et Clemens. Alex. (11): «Scribit David: »*Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent;* de iis loquens, qui »confitentur in Poenitentia.» S. Irenaeus de aliquibus, haereticorum perfidia, seductis mulieribus dicit (12): «Post. conversae »ad Ecclesiam, cum reliquo errore et hoc confessae sunt:» de aliis autem ait: «Quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sen»sim se ipsas retrahunt, desperantes a vita Dei.» Augustinus etiam (13): «Avertit Deus faciem suam a peccatis confitentis et se ipsum accusantis... Insidiatur inimicus... seducit animas, et a me-

---

(1) Tract. *Tomah.*—(2) Tract. *Sanedrin.*—(3) Jos. VII, 19.—(4) Sess. XIV, can. 6.—(5) Supra, Th. III.—(6) Supra, Th. XIII.—(7) V. 15, 16.—(8) Act. XIX, 18.—(9) Th. III.—(10) Ep. 84 ad *Pammac.*—(11) *Strom.* l. 2, n. 166.—(12) L. 1, c. 6 et 13.—(13) Serm. 22, apud Migne.

»dicina confessionis avertit.» Vide et Athanasium supra (1). S. Chrysostomus (2): «Dedit medicamentum Poenitentiae, »quod sufficit ad delenda omnia peccata nostra si modo viderimus »cujusmodi sit medicamentum, et quomodo id sit applicandum. »Cujusmodi ergo est medicamentum Poenitentiae. et quomodo con- »ficitur? Primum ex suorum peccatorum condemnatione et ex con- »fessione.» Id deinde confirmat variis Vet. Test. testimoniis.

110. Obj. 1.° Per contritionem charitate perfectam statim remit- tuntur peccata: ergo confessio peccatorum non est necessaria.

Resp. Dist. *ant.* Si voto saltem velit peccator ea complere quae a Deo praescribuntur, puta, debitis poenis satisfacere pro peccatis. eaque confiteri; conc. Si haec vellet excludere; nego *antecedens*, vel potius suppositum; scilicet talem poenitere contritione perfecta.

Obj. 2.° Plures Patres loquuntur passim de confessione Deo fa- cienda. juxta Davidem: *Confitebor injustitiam meam Domino.* Sed qui corde detestatur peccatum et dolet. confitetur Deo illud: ergo sola sufficit contritio.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus confessio quae fit Dei ministris ad Deum terminatur; conc. Ita ut excludantur a confessione, quae Deo fit. ministri ipsius; nego. Licet enim aliquando non loquantur Pa- tres explicite nisi de confessione Deo peracta. satis explicant quid sentiant, dum passim hortantur ad vincendum pudorem merito hu- militatis, spe remissionis et memoria communis fragilitatis, cui ipse subjacet Dei minister. juxta illud Apostoli (3): *Qui con- dolere possit iis, qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.*

111. Obj. 3.° Soli Deo faciendam confessionem docet Chry- sostomus (4): «Non tibi dico. ut peccata tamquam pompam in »publicum proferas, neque ut apud alios te accuses, sed ut pareas »Prophetae dicenti: *Revela Domino viam tuam.* Apud Deum ea »confitere, apud Judicem confitere peccata tua.»

Resp. Dist. et explico verba haec, aliaque ejusdem Patris similia. «Non dico, ut apud alios te accuses,» publice et indiscriminatim, ut praecedentia indicant; concedo. «Apud Deum confitere.» minis- tris Christi exclusis; subd. In ea confessione et Poenitentia quae continuo in hac vita agere debemus; conc. Ita ut numquam sit confessio nisi apud Deum solum agenda; nego.

Loqui Chrysostomum de confessione et Poenitentia sem- per peragenda patet: «Eum qui agit Poenitentiam numquam opor- »tet suum oblivisci peccatum, sed Deum quidem rogare ut ne ejus

---

(1) Th. IV.—(2) Ad Hebr. hom. IX.—(3) Hebr. V, 2.—(4) Hom. 31, in Ep. ad Hebr.

»meminerit, dum ipse semper meminit... Apud judicem confitere »peccata tua... Si assidue habeas in memoria non in eadem rursus »incides, ad bona facienda eris vehementior.»

Haec autem non excludere apud Christi ministros confessionem perspicuum est ex libro de Sacerdotio (1), ubi dicit: «Quae major »haec potestas fuerit? Omne judicium dedit Pater Filio: videoque »ipsum omne ipsis traditum a Filio esse:» et in Homil. IX ad Hebraeos, enumerans omnia quibus perficitur Poenitentia, hoc etiam requiri dicitur: «Et se in Sacerdotes ut convenit gerere.» Praeterea, in Synodo ad Quercum adversus Chrysostomum coacta, accusationem hanc protulit Isacius episcopus: «Quod licentiam (pec»candi) peccatoribus praeberet dicens: Si iterum peccasti, iterum »Poenitentiam age, et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sana»bo.» Non ergo putabat, sine ministerio sacerdotali perfici peccati remissionem. Unde, praeter eam, quae assidue, quae semper fieri debet apud Deum, confessionem, edocebat Chrysostomus aliam peculiarem (2): «Multa arte opus est, ut aegri sacerdotum re»mediis libenter se subjicere persuadeant... Multos recensere pos»sem, in extrema mala deductos, quod ab eis poena peccatis par »exposceretur. Neque enim temere ad peccatorum modum oportet et »poenam adhibere: sed peccantium propositum explorandum est... »ne dum lapsum emendare studeas, majorem ruinam pares... Quo»circa multa opus est pastori prudentia, ac sexcentis oculis, ut un»dique animae statum circumspiciat.» Haec clara sunt nec opus habent commentario.

112. Obj. 4.° Aliqui antiqui theologi docet, liberam esse peccatorum confessionem; ergo nequit obligare de jure divino, sed solum ecclesiastico.

Resp. Nego conseq.: nam et in aliis fidei articulis errarunt nonnulli theologi, cum explicite non erant definiti.

Obj. 5.° Nectarius, Constantinop. episc., abrogavit peccatorum confessionem; et abrogationem ratam habuit ac retinuit S. Chrysostomus: ergo non est nisi de jure ecclesiastico.

Resp. Nego assertum. Non enim confessionem sacramentalem, sed munus Poenitentiarii, ad quem accedere tenebantur peccatores ut Poenitentiam publicam susciperent, abrogavit Nectarius. Hinc possunt plures S. Chrysostomi intelligi sententiae, quibus, proposita facilitate confessionis, ad Poenitentiam hortabatur. Cum enim secreto fieret confessio, nihilque innotesceret populo, soli Deo tunc confiteri peccata dicebat Sanctus.

113. Obj. 6.° Verba Christi: *Quorum remiseritis... quorum reti–*

(1) L. 3, c. 5. – (2) De *Sacerd.* l. 2, c. 3.

nueritis... solum suadent, debere peccata confiteri, si quis velit absolvi a ministro Christi. Ergo necessitas confessionis, si ex Evangelio deducatur, est conditionata, non generalis et absoluta. *Ant.* prob. Christus D. non dixit: «Eorum *tantum* remittuntur peccata, »quae vos remiseritis;» sed ait: *Quorum remiseritis, remittuntur; quorum retinueritis, retinentur.* Atqui eorum peccata, qui non subjiciuntur per confessionem Christi ministris, nec remittuntur ab eis, nec retinentur: ergo verba Christi, etc.

Resp. Nego *antec.* Deinde ad probationem, dist. Christus D. non dixit..., etc., ad verbum; conc. Ad obvium sensum non dixit; nego maj. et similiter, negata *min.*, nego conseq.

Ejusmodi haeretica potestatis clavium interpretatio non ex uno tantum capite absurdissima est. Si quis claves haberet domus ad januam claudendam iis tantum qui ad eum accederent et subjicerentur: ceteros autem omnes impedire non posset quominus ingrederentur; quis eam potestatem, potestatem clavium appellaret? Numquid ea de causa constituuntur claves, ut, omnibus patente janua, illi tantum excludi valeant, qui humiliter habentem claves inquisierint?

Praeterea, fingunt haeretici, *retinere peccata* significare quemdam ministri Christi positivum actum, quo plus impediatur et ligetur peccator, ne ei peccata remittantur, et coelorum regnum aperiatur. Atqui non ita est: non enim venit in mundum Christus laqueos peccatoribus immittere, sed potius dissolvere, ut salutem assequantur: *Venit quaerere et salvare quod perierat.* Hoc ergo et suis ministris commisit Christus, ut reconciliarent peccatores (1), non ut novis illos vinculis illigarent. Et quidem, non alio opus est vinculo, nec dari strictius potest, si adsit peccatum, ut quis ligatus, retentus, atque impeditus ab ingressu coelorum existat.

Sensus igitur verborum Christi, et potestas Apostolis tradita sic intelligi debet: «Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; quo»rum *non remiseritis* peccata, eis retenta sunt.» Inde acriter novatianos astringebat Ambrosius, quod omnes ligarent, dum solverent neminem: «Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut pec»catum et alliget et relaxet. Haeresis in altero immitis, in altero »inobediens, vult ligare quod non resolvat; non vult solvere, quod »ligavit: in quo se sua damnat sententia... Qui solvendi jus non ha»bet, nec ligandi habet. Sicut enim secundum Dominicam senten»tiam, qui ligandi jus habet, et solvendi habet: ita istorum adser»tio se ipsam strangulat: ut qui solvendi sibi jus negant, negare »debeant et ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum

(1) II Cor. V, 18.

»non licere?» Nullo igitur opus est actu positivo ad ligandum, sed sat est officium absolvendi erga peccatorem minime exercere: «Vult »ligare quod non resolvat; non vult solvere, quod ligavit.» Et quidem, ut ait Ambrosius (1): «Vult Dominus plurimum posse »discipulos suos, vult a servulis suis ea fieri in nomine suo, quae »faciebat ipse positus in terris.» Quemadmodum ergo Pater *omne judicium dedit Filio*, et non nisi per Jesum Christum haberi potest remissio; ita non nisi per Ecclesiam. Unde duplici potest modo ligari peccator. Primo, quia ipse ad claves non accedit ut solvatur: ideo ait iterum Ambrosius (2): «Haec Ecclesia confitetur vul»nera sua, haec curari cupit. Et tu, Domine, omnes cupis sanare, »sed non omnes curari volunt.» Secundo, quia licet velit sanari et absolvi, non tamen, ut oportet, se disponit (3): «Si quis igitur oc»culta crimina habens, propter Christum tamen studiose Poenitentiam egerit, quomodo ista (praemia) recipit, si ei communio non »refunditur? Volo, veniam reus speret, petat ea lacrymis... et cum »secundo et tertio fuerit dilata ejus communio, credat remissius se »supplicasse, fletus augeat..., etc.»

Obj. 7.° Christus D. dedit etiam Apostolis potestatem remittendi et retinendi venialia peccata. Atqui non inde sequitur obligatio ea subjiciendi clavibus Ecclesiae per confessionem; ergo neque mortalia subjicienda sunt.

Resp. Dist. *maj.* Dedit absolute et directe; nego. Dedit eam potestatem conditionate et indirecte; conc. *maj.* Etenim per se et directe data fuit Ecclesiae potestas clavium, ut januam posset aperire regni coelorum, vel clausam retinere; ideoque propter mortalia remittenda, vel retinenda; venialia enim, cum gratiae non extinguant vitam quae jus praebet ad gloriam, in ipsa vita gratiae sanandi retinent virtutem. Tamen ex potestate remittendi mortalia consequitur quod et venialia possint claves remittere; tum quia facilior est horum condonatio, tum quia accidit esse venialia simul cum mortalibus, id est, sine vita gratiae, et tunc nequeunt nisi per claves Ecclesiae remitti.

Ex his inferes, quod neque natura potestatis clavium sit intelligenda secundum venialium naturam ac remissionem; cum non sint illius proprium objectum: neque modus remissionis eorum definiendus sit juxta naturam et efficaciam potestatis clavium; cum haec per se ad venialia non fuerit ordinata.

---

(1) Ibid. c. 8.—(2) Ibid. c. 8, n. 36, 37.—(3) De *Poenit.* c. 16, n. 90.

SCHOLION.

114. Ex argumentis pro II.ª parte productis patet. confessionem peccatorum obligare ex jure divino in Novo testamento: in Antiquo autem. licet id quoque probabilius censeamus, non tamen id Ecclesia declaravit, neque rem extra omne dubium positam putamus. Verumtamen propositae rationes hoc sane ostendunt, verae et sincerae Poenitentiae esse confessionem peccatorum summe consentaneam.

THESIS XVII.

Potestatem clavium in remittendis poenitentium peccatis, debent Sacerdotes exercere tamquam judices, et quidem sensibili modo.

115. **Nota.** Ad intelligendam et definiendam ex SS. Litteris poenitentium confessionem, assumitur tamquam fundamentum haec, quam hic defendimus, thesis: ideo totis viribus eam subvertere conati sunt haeretici autores, ut validissimum argumentum ex Scripturis depromptum pro confessionis necessitate declinarent.

Thesis est de fide catholica.

I.ª pars prob. 1.° Tridentinum: «Dominus Noster J. C... »Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et ju»dices... qui pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis pec»catorum sententiam pronuntient» (1).

2.° Patet ex evangelicis verbis supra dictis (2): *Tibi dabo claves... Quorum remiseritis peccata...* Ex quibus argumentamur. Debet Ecclesia exercere potestatem circa peccata, solvendo vel alligando, remittendo vel retinendo ea. Sed hoc importat auctoritatem judiciariam: ergo. *Minor* patet: non enim aliter judices omnes ex officio suo agunt.

3.° Patres Laodiceni Conc. can. 2, (an. 320) dixerunt: «His qui diversorum lapsus incurrunt... pro qualitate peccati tem»pus Poenitentiae tribuendum est.» Sed edicere poenam juxta peccatum est judicium exercere: ergo. Idem decrevit Carthagin. II, (an. 397). can. 31: «Ut poenitentibus secundum peccatorum differentiam... Poenitentiae tempora decernantur.» Synodi VI Oecum. Patres, can. 102, praescribunt: «Oportet autem eos, qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem con-

(1) Sess. XIV, c. 5, can. 9. – (2) Th. III.

siderare, et ejus qui peccavit promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam.»

116. 4.° S. Cyprianus (1) ait: «Poenitentia agatur justo tempore, inspecta vita illius qui agit Poenitentiam.» Mensuranda ergo et judicanda poena juxta culpam. Sanctus etiam Hilarius (2): «Ad terrorem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicae judicium praemisit; ut quos in terris ligaverint, vel solverint... hi, apostolicae sententiae conditione, in coelis quoque aut soluti sint, aut ligati.» Profert ergo Ecclesia sententiam, exercet judicium, et quidem immobile, dum solvit aut ligat nodos peccatorum, uti loquitur (ibid.) S. Doctor Hilarius. Similiter Hieronymus (3): «Alligat vel solvit Episcopus et Praesbyter... pro officio suo; cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus vel solvendus.» Quo sane nihil clarius ad rem nostram. Gregorius I (4), exponens verba illa; *Quorum remiseritis*... ait: «Videndum est, quae culpa, aut quae Poenitentia sit sequuta post culpam... Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum aeterni arbitrium sequitur Judicis. Vide supra (Th. praec.) alias Patrum sententias, praesertim Chysostomi in Resp. ad 3.m Obj. ante Obj. 4.°

5.° Optimum e ratione argumentum sumes ex D. Thoma (5). Peccatorum remissio fieri cum recompensatione divinae offensae debet, secundum arbitrium Dei et voluntatem offendentis: illud exigitur a Poenitentia quatenus est actus justitiae; hoc vero, quatenus est reconciliativa. Atqui ad utrumque oportet formam et aequitatem judicii adhibere: ergo.

117. Obj. 1.° cum protestantibus. Peccatorum absolutio est Dei beneficium, et Sacerdotum ministerium. Sed minister judicare non debet in exequendis domini beneficiis: ergo peccata non sunt ad formam judicii remittenda.

Resp. Dist. *min.* Si minister fuerit merus executor, non debet judicare; conc. vel permitto. Si tamquam prudens provisor constituatur et administrator; nego. Jam vero ex rationibus traditis evidens factum est, officium sui ministerii non posse Sacerdotes exercere sine magna discretione et forma judicii.

Obj. 2.° Calvinus. Non alia nunc existit peccatorum remissio, quam semper fuit. Sed prius nullus ad formam judicii debebat ligare peccata vel solvere; nam apertum est verbum Dei: Quotiescumque ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non recordabor amplius (6): ergo.

---

(1) Ep. 13, l. 3.—(2) In Matth. c. 18.—(3) In Matth. c. XVI.—(4) Hom. 26 in Evang.—(5) Q. 90, ar. 2.—(6) Ezq. XVIII, 21, 22.

Resp. Nego *maj.* et suppositum. Supponit haereticus nihil recens posse Deum statuere: quo concesso, arguere quoque posset, Baptismum non esse necessarium, quia non semper extitit; vel circumcisione non fuisse judaeos obligatos, quia lex illa prius non vigebat: et ita alia sine numero absurda. Utique «quotiescumque ingemuerit peccator» iniquitas ejus dimittetur; verum non gemitu inani et fallaci, sed vero et efficaci, parato ad praescriptam a Deo satisfactionem exhibendam.

118. II.ª pars prob. quae ad fidem pertinet catholicam.

1.° Tridentinum (1) docet fideles, qui se crimine aliquo contaminaverint, «Christus Dominus ante hoc tribunal (potestatis clavium), tamquam reos sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam... possent liberari.» Item declarat (2): «Nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.» Atqui fieri haec non possunt, nisi exterius ac sensibili modo exerceatur clavium potestas: ergo.

2.° Judicialis potestatis usus exposcit rei cognitionem, et causae propter quam sit damnandus vel absolvendus, et prolationem sententiae. Sed nisi sensibili modo fiat judicium, nequit Ecclesia reum cognoscere, nec causam, neque ferre sententiam: ergo.

119. 3.° In exercitio potestatis clavium circa peccata, oportet ut peccator dignoscat, utrum remittantur peccata, vel retineantur, et quae eidem imponantur poenae ac medicinae. Sed nisi sensibili modo feratur sententia, nequit reus quicquam ejusmodi cognoscere: ergo.

4.° Non potest Ecclesia remittere peccata nisi rite poenitentibus, neque retinere nisi indispositis. Sed hoc discernere non poterit, nisi cum peccatoribus sensibiliter agat: ergo. *Maj.* ex priori parte theseos satis elucet.

ARTICULUS IV.

De Poenitentia quatenus sacramentum est.

THESIS XVIII.

Poenitentia, prout in Ecclesia catholica agitur, scilicet, ritus ille sensibilis, quo Sacerdotes peccata poenitentibus remittunt, est vere et proprie sacramentum.

---

(1) Sess. XIV, cap. II.—(2) Ibid. c. 6.

120. Propositio est certae fidei catholicae adversus fere omnes protestantes; tamen in Confessione Augustana illam professi sunt, et nunc aliqui tenent lutherani et ritualistae angli.

Prob. 1.° Tridentinum (1) definivit: «Si quis dixerit, in Ec»clesia catholica Poenitentiam non esse vere et proprie sacramen»tum... anath. sit.» Et deinde: «Si quis dixerit, verba illa Salva»toris *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis*... etc., non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in »sacramento Poenitentiae... anath. sit.» Eamdem tradiderat doctrinam Clemens IV (2), Lucius III (3), Innocentius III (4), etc.

2.° Hieronymus (5): «Quod facit Baptisma, hoc facit et Poe»nitentia.» Atqui nisi foret Poenitentia sacramentum, non ejusdem esset virtutis. S. Ambrosius (6) parem esse docet rationem mysterii (sacramenti) in Poenitentia ac in Baptismo: «In Baptismo »utique remissio peccatorum omnium est; quid interest utrum per »Poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vin»dicent? Unum in utroque mysterium est.» Similiter S. Pacianus: «Sed poenitenti, inquies, peccata dimittis; cum tantum in »Baptismate tibi liceat relaxare peccata... Quod ego facio, id non »meo jure, sed Domini Dei sumus adjutores... Quare sive bapti»zamus, sive ad Poenitentiam cogimus, seu veniam relaxamus, »Christo id auctore, tractamus (7).»

121. 3.° Ratio theologica ex superius statutis in promptu est. quam sic D. Thomas proponit (8). «Manifestum est quod in »Poenitentia ita res gesta fit, quod aliquid sanctum significetur »(practice) tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte Sa»cerdotis absolventis: nam peccator poenitens per ea quae facit et »dicit (confessionem nempe, dolorem et propositum), ostendit cor »suum a peccato recessisse; similiter etiam Sacerdos per ea quae »agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis »peccata (per gratiam sanctificantem.) Unde manifestum est, quod »Poenitentia, quae in Ecclesia agitur, est sacramentum.»

122. Obj. 1.° Augustinus (9) de Nov. Leg. sacramentis ait: »Alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu facilio»ra, numero pauciora...» Atqui Poenitentia cum peccatorum confessione non est facilior quam antiqua illa quae cum sacrificiis agebatur: ergo haec Nov. Leg. Poenitentia non est sacramentum.

Res. Nego *min.* 1.° Quia antiqua Poenitentia perfectam postula-

---

(1) Sess. XIV, can. 1 et 3.—(2) In *Profess. fidei.*—(3) Contra Albigen.—(4) In profess. fidei. pro Waldens.—(5) In Ose. XII, 19.—(6) De *Poenit.* l. 1, c. 8, n. 36.—(7) Ep. ad *Sympr.*—(8) P. 3, q. 84, a. 1.—(9) Contra *Faust.* l. 19, c. 13.

bat contritionem, et nostra minime. 2.° Quia tunc etiam probabilius tenebantur peccatores, simul cum oblatione sacrificii peccata confiteri, uti supra probavimus (1).

Obj. 2.° Ait quoque Augustinus (2): «Accedit verbum ad »elementum, et fit sacramentum etiam ipsum, tamquam visibile »verbum.» Atqui in Poenitentia nullum est elementum, ergo neque ipsa fieri potest sacramentum.

Resp. Dist. *maj.* Elementum fit sacramentum in Baptismate; conc. Nam de Baptismo agit Augustinus. In omnibus sacramentis requiritur elementum, id est, aequivalenter, quatenus opus est signo sensibili; concedo. Elementum proprium et materiale; nego.

123. Obj. 3.° Sacerdos peccata non absolvit confitentibus, sed solum declarat eos esse vel non esse absolutos; uti docent aliqui antiqui cum Magistro Sent.; ergo ritus confessionis et absolutionis non est verum sacramentum. *Antec.* probatur ex Hieronymo (3): «Quomodo ibi (in Vet. Lege) Sacerdos mundum »vel immundum facit (leprosum): sic et hic (in Nova Lege) alligat »vel solvit Episcopus et Presbyter.»

Resp. Nego *antec.* a Concilio Trid. expresse damnatum (4). Ad Hieronymi autem verba, dico: comparare quidem judicium de lepra in antiquo Foedere, cum remissione peccatorum in Ecclesia; non tamen docet, quoad omnia stare similitudinem: verum in eo assimilari; quod sicut de leproso judicare debebant sacerdotes juxta ejusdem statum, ita nunc absolvere vel ligare debeant peccatorem juxta ejusdem dispositionem. «Sic et hic alligat »vel solvit Episcopus et Presbyter, non eos qui insontes sunt vel »noxii; sed pro officio suo, quum peccatorum audierit varietates, »scit qui ligandus sit, quive solvendus.

Inst. Ait Hieronymus (ibid), quod «Apud Deum non Sacer»dotum sententia, sed reorum vita quaeratur:» ergo non pendet a Sacerdotis sententia effectus Poenitentiae.

Resp. Nego *conseq.* et explicanda verba Hieronymi, quae ex contextu intelliguntur. Exponens illud; *Tibi dabo claves regni coelorum*... ait, Episcopos aliquos et Presbyteros id non intelligere, et ideo «vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur.» Unde patet, sic illos virtutem clavium ignorasse, ut sola sua auctoritate et sententia arbitrarentur, posse damnari innocentes, vel solvi noxios: quod quidem absonum est ac iniquum, et omnino alienum a Dei scopo in ea clavium potestate instituenda. Non enim

---

(1) Thes. XVI.—(2) Tract. 80, in Joan.—(3) In Matth. XVI, 19.—(4) Sess. XIX, c. 6, can. 9.

ut supercilio ferrent sententias, sed ut reis apte dispositis darent vitam, instituit Deus claves regni coelorum. Haec Hieronymi mens.

THESIS XIX.

Partes sacramenti Poenitentiae sunt: materia quidem, seu quasi materia, actus poenitentis; forma autem, verba illa: «Ego te absolvo...» vel similia.

124. **Nota.** 1. Duplex dicitur esse materia hujusce sacramenti, remota et proxima. Remota materia sunt peccata; nam circa illa versatur Poenitentia, quatenus sunt removenda et destruenda, ut dictum est supra (Thes. XII). Materia autem proxima sunt actus poenitentis, quibus ad remissionem peccati cooperari debet, videlicet, dolore ac detestatione, confessione et satisfactione, ut diximus (1) supra.

II. I.ª pars sub eo sensu, *quasi materia*, est catholica doctrina; quod autem simpliciter sint materialis pars sacramenti, est communis doctrina adversus Scotum et aliquos alios theologos. II.ª pars est etiam catholica doctrina.

125. I.ª pars prob. 1.° Tridentinum (2) docet: «Sunt au»tem quasi materia hujus sacramenti ipsius poenitentis actus, nem»pe, contritio, confessio et satisfactio.»

2.° Florentinum (3) ait: «Haec omnia sacramenta tribus »perficiuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam »forma... quorum si aliquid desit non perficitur sacramentum.» Deinde pro singulis assignat partes materiales, et pro Poenitentia nihil aliud quam actus poenitentis praescribit.

3.° In sacramentis ea est pars materialis, seu quasi materia, quae significat sensibiliter effectum sacramenti, minus tamen perfecte ac principaliter, quam forma; ut supponimus ex tractatu de sacramentis in genere. Atqui actus poenitentis sunt pars Poenitentiae, ut patet ex praecedentibus thesibus; significant effectum sacramenti; et minus perfecte quam absolutio: ergo.

126. II.ª pars prob. 1.° Trident. (ibid): «Docet Sancta Sy»nodus, sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius »vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absol»vo, etc.»

2.° Florentinum (ibi): «Forma hujus sacramenti sunt ver-

---

(1) Thes. XII, XVI, XIII.—(2) Sess. XIV, c. 3.—(3) Decr. pro *Arm.*

»ba illa absolutionis, quae Sacerdos profert cum dicit: Ego te ab»solvo, etc.»

3.° Forma sacramenti sunt verba illa quae sunt ad illud necessaria, et complent significationem materiae. Atqui verba illa: Ego te absolvo, etc., sunt necessaria ad Sacramentum Poenitentiae (ex Thesi XVII), et perficiunt significationem actuum poenitentis: ergo.

THESIS XX.

Actus poenitentis ita sunt materia sacramenti Poenitentiae, et verba sic sunt ejusdem forma, ut sint partes essentiales.

127. **Nota.** Docet Scotus, integram sacramenti hujus essentiam sitam esse in absolutione a peccatis; censet tamen actus poenitentis esse necessarios, vel tamquam dispositionem ad sacramentum, vel tamquam proprietatem consequentem, scilicet, satisfactionem: unde differt ab haereticis qui id quoque negant. E contra Sotus ait absolutionem non esse de essentia, sed solos actus poenitentis. Durandus, cum aliis, censet: confessionem cum absolutione esse totam essentiam sacramenti; reliqua autem, etsi necessaria, tamen inveniri extra essentiam.

128. Prob. nostra propositio quae est D. Thomae et communis. 1.° Actus poenitentis, dolor, confessio et satisfactio, necessario requiruntur tamquam materia; et verba absolutionis requiruntur tamquam forma. Atqui quod est necessarium ad aliquid, tamquam materia et forma, est pars essentialis: ergo: *Major* constat ex Florentino, in Decreto pro *Armenis*. *Minor* patet ex communi conceptu materiae et formae; quibus partes essentiales corporum significantur.

2.° Actus poenitentis sunt pars sacramenti tamquam materia ipsius; et verba absolutionis sunt ejusdem forma. Sed quod est pars rei ut materia, vel forma ipsius, est pars essentialis ejusdem: ergo. *Major* habetur in Tridentino (1). *Minor* ex dictis elucet.

3.° Tridentinum (2) dicit: «Docet Sancta Synodus, sacra»menti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita »est... etc.» Jam vero sacramenta sunt essentialiter signa practica, seu causativa gratiae. Atqui hoc sacramentum est praecipue causativum per absolutionem; ergo haec est praecipue illi essentialis. Rursus: actus poenitentis sic sunt quasi materia, ut habeant etiam vim sacramentalem; aliter non diceret Concilium, habere absolu-

(1) Sess. XIV, c. 3.—(2) Ibid.

tionem praecipuam vim; ergo etiam actus sunt essentiales sacramento.

4.° Constitutum est a Christo hoc sacramentum ad formam actus judicialis (1). Sed in actu judiciali requiritur criminis accusatio, seu confessio: haec autem, ut ordinetur ad remissionem, debet esse dolorosa; dari debet absolutio, seu sententia; dari debet poenae impositio, seu satisfactio: ergo actus poenitentis et absolutio habentur essentiales in sacramento Poenitentiae.

Nota. Cum poenae impositae satisfactio consequatur tamquam effectus a judiciali sententia, integralis pars potius quam essentialis dicenda est.

129. Obj. 1.° Concilium Tridentinum ait actus poenitentis esse quasi materiam sacramenti, verum de absolutione dicit esse formam absolute: ergo illi non sunt essentiales sacramento, sed sola forma.

Resp. Nego *conseq.*, et explico *antecedens*. Dicuntur actus quasi materia, quasi non sint intrinsecum constitutivum per formam determinandum; nego. Quia non sunt aliqua substantia materialis, unde nomen depromptum est; conc. *ant.* Ita explicat *Catechismus* Tridentini. Inde etiam patet, cur absolutio non dicta fuerit quasi forma: vera enim forma proprie dicta non definitur in aliqua materiali substantia; anima enim est vera hominis forma, gratia est forma justificationis, etc.

Obj. 2.° Florentinum (2) docet effici sacramenta rebus tamquam materia, verbis tamquam forma. Sed confessio non rebus constat, sed verbis; ergo in confessione habetur forma sacramenti.

Resp. Explico *maj.* Docet, constare rebus solum tamquam materia; nego. Effici docet rebus, non autem exclusive; conc. Nempe, res semper habent in sacramentis munus materiae, cum indigeant determinari ad significandum. Jam vero confessionis verba se habent ut res, quia indigent determinari ad effectum significandum et causandum, per absolutionem, in qua praecipue existit vis sacramenti.

130. Obj. 3.° Sacramenta sunt signa sensibilia. Atqui contritio non est sensibilis, sed sola confessio cum absolutione: ergo.

Resp. Dist. *min.* Non est sensibilis immediate; conc. Mediate; nego *min.* Nam et in matrimonio consensus est essentialis, quatenus exterius manifestatur per verba.

Obj. 4.° Nequit compositum partem suscipere integralem, cum non amplius existit. Ergo satisfactio nequit esse pars, etiam inte-

---

(1) Sess. XIV, c. 5.—(2) Decret. pro *Arm.*

gralis, Poenitentiae; vel dicendum, non servari ab Ecclesia ordinem debitum in absolvendo.

Resp. Dist. *Ant.* Compositum physicum; conc. Compositum morale; subd. Non potest integrari, cum non existit vel physice, vel moraliter; conc. Si existat saltem moraliter; nego. Cum enim actus judicialis sit ens morale, et successive existens, ejus moralis existentia protrahitur donec omnes ejus partes intrinsecae, sive essentiales, sive integrales, completae fuerint. Unde patet etiam, non inferri esse satisfactionem praemittendam absolutioni, uti falso opinatus est Petrus de Osma. Cum enim peccatoris satisfactio nequeat esse condigna, prius est ei culpa cum poena aeterna remittenda, ut pro temporalibus valeat satisfacere poenis: jure igitur damnavit Alexander VIII illam Petri de Osma doctrinam.

131. **Corollaria.** I. Ex hac thesi et ex praecedenti errorem intelliges protestantium a Tridentino damnatum (1), qui contendunt partes tantum esse Poenitentiae, fidem et terrorem conscientiae.

II. In hoc Sacramento inquirere etiam solent AA., quid sit *sacramentum tantum*, quid *res tantum*, quid vero *res ac sacramentum simul*. Aliis praetermissis opinionibus, verior et communis cum D. Thoma (2), Suarez, Vazquez... etc., videtur: *sacramentum tantum* sunt actus externi poenitentis cum absolutione: *res tantum* est gratia sanctificans: *res et sacramentum simul* est interna subjecti poenitentia. Nam actus externi et absolutio significant tantum: gratia autem solum significatur: interna poenitentia significatur et significat.

---

(1) Sess. XIV, cap. 3, can. 4.—(2) 3 P. Q. 84, ar. 1 ad 3.

CAPUT III.

De natura Poenitentiae, quatenus est contritio et propositum ultra non peccandi.

ARTICULUS I.

De contritione.

THESIS XXI.

Extra sacramentum debet contritiò poenitentis procedere ex charitate ut remittantur peccata.

132. **Nota**. I.° Contritio, in genere sumpta, est detestatio ac dolor de admisso peccato. Ita quidem docet Tridentinum: «Con»tritio est animi dolor et detestatio de peccato commisso cum »proposito non peccandi de cetero (1).» Aliqui AA. dicunt, in detestatione peccati sitam esse essentiam contritionis, proprietatem autem necessariam ejusdem esse dolorem: ita Suarez, Navarrus, etc. Alii, ut Coninch, etc., ajunt; praecipue et formaliter contritionem esse dolorem, licet essentialiter exigat etiam detestationem. Lugo autem cum aliis, docet; directe et aeque primo utrumque actum contineri in contritione.

II.° Contritionem duplicem distinguit Tridentinum, perfectam et imperfectam, quatenus oritur ex amore perfecto vel imperfecto: omnis enim detestatio ac odium in alicujus boni amore fundatur. Amor autem simpliciter perfectus est amor Dei propter se ipsum; est enim dignus quod super omnia ametur et quidem propter suam ipsius bonitatem. Ad rem D. Thomas (2): «Est »autem amor quidam perfectus, quo aliquis secundum se ama»tur; utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. »Amor vero imperfectus est, quo quis amat aliquid non secun-

(1) Sess. XIV, c. 4.—(2) 2, 2, q. 17, a. 8.

»dum se ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat; sicut »homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet »ad charitatem, quae inhaeret Deo secundum se ipsum: sed spes »pertinet ad secundum amorem; quia ille qui sperat, aliquid sibi ob»tinere intendit.» Vide etiam 2. 2. q. 28, art. 1.

133. Prob. 1.° Trident. Concilium (1) docet: «Contritionem »charitate perfectam... hominem Deo reconciliare, prius quam hoc »sacramentum actu suscipiatur.» De imperfecta vero contritione ait quod «Sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem per»ducere peccatorem nequeat.»

2.° Ad exeundum a morte peccati necessariam Joannes dicit charitatem (2): *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit; non novit Deum quoniam Deus charitas est.* Et Dominus ait (3): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et per Prophetam (4): *Convertimini ad me in toto corde vestro. Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* Atqui non convertitur ad Dominum *toto corde*, qui solum eum quaerit ne damnetur, vel propter bonum aliquod honestum, quidem, ac Deo placens, sed creatum. Qui enim servum diligit, eique benefacit, ut pro se laboret, non ita ad eum afficitur sicut ad filium, vel amicum, in quorum propter ipsos complacet bonitate.

134. 3.° Audiatur Augustinus (5): Peccata, «mundantur sa»crificio cordis contriti... mundantur ipsa, quae supereminet om»nibus, charitate.... quae una, si adsit, omnia recte fiunt, si autem »desit illa, omnia frustra fiunt.» Ambrosius quoque (6): «Qui »non diligit, peccato obnoxius est: ergo non diligit, qui peccat; »charitas enim operit multitudinem peccatorum.» Rursus: «Neque »ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis posse minui pecca»tum; sed si fides commendet expensas. Quid enim prodest collatio »patrimonii, sine gratia charitatis?»

135. 4.° Aequum est ut omnino retractet peccator peccatum suum, et Deo, quantum possit, per Poenitentiam satisfaciat. Atqui solum contritione perfecta satisfacit peccator, extra sacramentum, quantum potest, et retractat omnino peccatum: ergo. *Major* ex natura Poenitentiae patet, quae est pars justitiae: justitia enim aequalitatem facit quantum potest. *Minor* prob. Peccator letali culpa re-

---

(1) Sess. XIV, c. 4.—(2) 1.ª IV, 7, 8.—(3) Joan. XIV, 23, 24.—(4) Joel II, 12, Deut. IV, 29.—(5) Contra *Crescon.* l. 2, c. 12.—(6) Epis. cl. 2, ep. 78; l. 2 de *Poenit.* c. 9.

cedit omnino a Deo, et creaturae ut fini ultimo adhaeret. Atqui sola charitate, seu contritione perfecta, pure et totaliter receditur a creatura, et Deo adhaeremus; amatur enim propter suam bonitatem: ergo. *Minor* patet. Nam in contritione imperfecta bonum quidem honestum, creatum tamen attenditur, ut supra (1) dictum est. Deinde, dum peccator Deum ut sibi bonum quaerit, aliquatenus se ipsum quaerit: e contra in charitate.

136. Obj. 1.° Promisit Deus vere poenitentibus veniam: sed nulla verior poenitentia, quam illa specialis ex virtute justitiae; ergo non opus est charitate.

Resp. Dist. *maj.* Vere poenitentibus ex toto corde; conc. Aliter; nego. Similiter dist. *min.* Nulla verior quam illa specialis... si fuerit inefficax; nego: si efficax existat, nempe, compensando quantum potest; conc.

Obj. 2.° Impossibile est Dei bonitati amore adhaerere, quin eam ut nobis bonam appetamus; ideoque neque detestari peccatum possumus quin ut nobis malum aversemur. Ergo non alia opus contritione nisi illa imperfecta, juxta definitionem in Nota II traditam.

Resp. Dist. *ant.* Si dum divinae bonitati adhaeremus, illam mens in sua absoluta perfectione solum consideret, impossibile est... etc. nego *ant.* Si Dei bonitatem respective sumptam cogitemus dum ei adhaeremus; subdist. Impossibile est ei adhaerere, quin ut nobis bonam appetamus, aliquo simplici et indeliberato affectu; transeat, vel concedo: appetitu deliberato et efficaci; nego. Quis sane concedet, nos efficaciter rapi ad actum deliberatum spei, quoties Dei perpendimus bonitatem etiam respectivam? Unde cum Dei amamus bonitatem, seu volumus Dei gloriam, honorem, aeternitatem, etc., id fieri potest vel ex complacentia in Dei bonitate secundum se, quia dignus est; vel ex complacentia in bono nostro, seu quia bonus est nobis Deus. Primus est charitatis, secundus spei actus.

137. Obj. 3.° D. Thomas ait (2): «Charitas non est qualiscumque amor Dei, sed amor Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem et spem.» Ergo neque possumus destestari peccatum, nisi quatenus impedit beatitudinem, seu amore imperfecto.

Resp. Dist. et explico verba ista, quae nihil opponuntur aliis in Nota II laudatis. Charitas est amor, quo diligitur Deus ut objectum beatitudinis, id est, summum bonum supernaturale prout opponitur bono tantum naturali; conc. Hoc enim unice intendere D. Thomam, legenti facillime patebit. Quo diligitur ut objectum beatitudinis supernaturalis; subdist. Si ita diligatur ex com-

(1) Th. XV, Coroll, n. 102.—(2) 1, 2, q. 65, a. 5, ad. 1.

placentia in Dei bonitate secundum se, quod talis ac tanta sit, nempe, principium verae beatitudinis; conc. Si ita diligatur ex complacentia in nostra beatitudine, quia, nempe, nos beatos facit; nego. Cum sit quoddam divinum attributum, esse principium beatitudinis, et quidem, in praesenti ordine, supernaturale, sicut et omnium principium et finis; sane potest Deus amari charitate ratione hujus attributi, dummodo propter se, non vero propter nos ametur; seu, dummodo ipse Deus sit *objectum cui* talis amoris.

THESIS XXII.

Ad remissionem peccati in sacramento Poenitentiae sufficit contritio imperfecta, seu attritio ex virtutibus a charitate distinctis orta.

138. **Nota** I. Necessariam esse perfectam contritionem in sacramento Poenitentiae docuerunt aliqui antiqui theologi, Magister Sent., S. Bonaventura, etc. Hanc autem opinionem non esse jam probabilem dicit Lugo (1) cum pluribus aliis auctoribus; Vazquez autem vocat eam periculosam.

Nonnulli cum *Cajetano, Ferrariensi* putant, absolutionem excitare motum contritionis in poenitente, et ita ex attrito fieri contritum. Hoc autem clare rejiciunt Vazquez, Suarez, etc. Et sane talem motum nemo sentit; cum autem contritio sit voluntaria, non lateret. Alii dicunt, sufficere quidem attritionem, dummodo putet poenitens bona fide, se esse contritum. Ita Sotus, Vega, etc.

Alia sententia communis tenet cum D. Thoma, Scoto, Vazquez, Lugo, Suarez, etc. sufficere attritionem, quin existimetur contritio.

II. Nostram sententiam esse omnino veram et practice certam dicit Suarez cum Scoto, Vazquez, etc. Imo plures AA. ajunt, non posse post Tridentinum negari sine temeritate et errore: ita Henriquez, Hurtado, Gobat, etc. Et quidem, definitam esse a Concilio Trident. censemus.

139. Prob. 1.° Tridentinum (2) docet: «Et quamvis sine »sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere pec»catorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poeni»tentiae impetrandam disponit (attritio).» Ex quibus ita res patet, ut inutilis plane videatur quaevis argumentatio. Arguimus tamen ab absurdo: si opus est ad justificationem in sacramento, praeter attritionem, etiam contritione, vel saltem existimatione contritio-

(1) Disp. 7, n. 273.—(2) Sess. XIV, c. 4.

nis, nos fallit in re gravissima Tridentinum: nam docet in eo capite, quae Poenitentia, quis dolor sit necessarius ad justificationem; primo quidem ait, extra sacramentum requiri et sufficere contritionem perfectam, cum voto sacramenti: secundo, attritionem extra sacramentum non sufficere; tertio, disponere tamen ad Dei gratiam impetrandam in sacramento. Jam vero, si opus esset alio actu, praeter attritionem, debuisset Concilium id monere: nam agit de necessariis dispositionibus ad justificationem. Sicut ergo monuit, extra sacramentum non satis disponere attritionem, sed opus esse contritione; ita monuisset requiri alium actum intra sacramentum.

140. 2.° Sacerdotes aliquando peccata remittunt. Sed numquam ea remitterent, si non esset attritio sufficiens ac proxima dispositio; ergo. *Major* ex Evangelio patet: *Quorum remiseritis peccata...*

3.° Est casu contingens neque ordinario eveniens, quod peccator, antequam sacramentum suscipiat, justificetur. Sed non ita fieret, si foret contritio dispositio necessaria: ergo. *Major* elucet ex Tridentino (ibid): «Etsi contritionem hanc aliquando charita»tem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, »priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur...»

4.° Si non sufficit attritio ad fructum assequendum sacramenti, non plus valet cum sacramento, quam extra illud. Sed hoc falsum est ex Tridentino: perpende verba in prob. 1.ª

141. 5.° Opponitur contraria sententia communi Ecclesiae sensui. Nam omnes fideles valde solliciti sunt de sacerdotis absolutione suscipienda ad veniam assequendam: et Tridentinum asserit (1): «Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, «ut nulla sit reservatio in articulo mortis.» Atqui nullus periret ex absolutionis aut jurisdictionis defectu, si necessaria existeret contritio perfecta ad suscipiendum sacramentum: ergo.

6.° Poena aeterna remittitur vel sacramento vel ejus voto, testante Tridentino (2): sed numquam virtute sacramenti remitteretur, si non sufficeret attritio: ergo.

142. Obj. 1.° S. Joannes ait (3): *Qui non diligit, manet in morte.* Ergo sine contritione perfecta, fieri nequit, justificatio.

Resp. Explico *ant. Qui non diligit,* id est, qui odit fratrem suum, *manet in morte;* conc. Qui actu non diligit, *manet in morte;* nego.

Obj. 2.° Nihil prosunt charismata omnia *sine charitate* (4): ergo est necessaria ad justificationem dispositio.

Resp. Explico *ant.* Sine charitate actuali nihil prosunt...; nego.

---

(1) Sess. XIV, c. 7.—(2) Sess. VI, c. 7.—(3) I.ª Joan. III, 14.—(4) I Cor. XIII, 1, 3.

Sine charitate habituali nihil charismata valent; subd. Ut vitam conferant aeternam; conc. Ut ad illam disponant; nego ant.

143. Obj. 3.° Ajunt plures Patres ad veram Poenitentiam necessarium esse Dei amorem.

Resp. Dist. Ad veram, id est, perfectam Poenitentiam per se, ac sine sacramento, justificantem; conc. Ad Poenitentiam, quae cum sacramento justificet; nego, vel subdist. Necessarium, id est, valde convenientem esse amorem; conc. Necessarium stricte; nego: nisi sermo fuerit de amore imperfecto, vel de amore in voto; quatenus qui vult justificari, intendit Dei amicitiam et amorem, quo pacto incipit Deum diligere, ut Card. Gotti observat.

144. Obj. 4.° Docet Tridentinum (1) per illam imperfectam contritionem fuisse Ninivitas misericordiam consecutos. Sed sine charitate non fuissent veniam assecuti; ergo a pari, neque intendit Tridentinum docere, solam attritionem proxime ad gratiam disponere.

Resp. Dist. *maj.* Consecutos misericordiam, ne subverteretur civitas, seu quoad remissionem aerumnarum quae civitati imminebant; conc. Ita ut sola illa attritione peccata eis remitterentur; nego. Etenim exemplum illud proposuit Concilium, ut honestatem probaret imperfectae contritionis ex timore poenarum; non vero ut explicaret, quo pacto ad ipsius culpae remissionem disponat.

Inst. Non minor requiritur ad Poenitentiam quam ad Baptismum dispositio. Sed ad Baptismum opus est contritione ex dilectione Dei orta; ait enim Tridentinum (2): Deum «tamquam omnis jus»titiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus »peccata...» Ergo similis dolor requiritur ad confessionem sacramentalem.

Resp. Dist. *min.* Deum diligere incipiunt, quatenus est nobis bonus, seu, ut omnis justitiae fontem; conc. Tamquam secundum se bonum, id est, ex complacentia in bonitate Dei absolute perpensa; subd. Ita ut haec dilectio haberi debeat ut Baptismus justificet; nego. Ut ante ipsum Baptismum perficiatur justificatio; concedo. Alii, cum Gotti, dicunt hanc inceptam dilectionem nihil esse aliud quam intentionem et desiderium, seu propositum diligendi Deum: volentes enim Dei amicitiam et reconciliationem, et volunt eum charitate diligere, quae voluntas initium est dilectionis.

145. Obj. 5.° Quod fit ex metu, est involuntarium secundum quid: ergo adhuc amatur oppositum; ergo dolor de peccato ex poenarum metu non excludit voluntatem peccandi.

Resp. Transeat *ant.* et dist. *conseq.* Amatur oppositum, si ipse

---

(1) Sess. XIV, c. 4.—(2) Sess. VI, c. 6.

metus, seu mali evitatio, exigat talem deponere amorem; nego *conseq.* Si id non postulet; transeat. Cum enim voluntate perficiatur peccatum; qui peccatum odit, etiamsi ex solo metu, ipsum velle seu amorem peccati deponit et odit.

Obj. 6.° Qui dolet ex solo metu, dicit virtualiter: vellem peccare, nisi timerem; ergo non excludit voluntatem peccandi.

Resp. Dist. *ant.* Si doleat ex solo metu, contemnens seu nihili faciens positive alia motiva; transeat vel concedo. Si praescindat, seu negative quoad alia motiva se habeat: nego. Ille enim timor est serviliter servilis, et turpis.

146. Obj. 7.° Qui detestatur peccatum propter gehennam, magis istam odit quam peccatum: juxta illud: Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Ergo paratus est potius peccare quam pati gehennam, quod iniquum est.

Resp. Dist. *ant.* Magis odit gehennam appretiative, quam peccatum; nego. Prioritate temporis, vel naturae, vel efficaciae; conc. *ant.* et nego *conseq.*, quae supponit comparationem fieri et appretiationem.

Illud autem effatum: Propter quod unumquodque... suas patitur exceptiones. 1.° Oportet ut illud *Propter quod* sit ratio seu *causa totalis;* sic anima non est perfectior quam homo. 2.° Opus est, ut illud *esse tale* suscipiat *magis* et *minus;* hinc non est pater magis homo quam filius. 3.° Requiritur ut illud *Propter quod* sit *capax ejusdem denominationis;* inde, gratia non est magis filia Dei, quam justus, qui est filius propter gratiam. 4.° Oportet, ut *subjectum tale* non recipiat *totaliter* illud *propter quod.* Sic natura divina non est magis Deus, quam Pater, qui propter illam Deus est; neque nigredo Aethiopis est magis nigra, quam Aethiops; nec timor vere poenitentis magis gehennam quam peccatum aufugit, quia totaliter odium gehennae in peccatum refunditur.

Obj. 8.° Non detestatur peccatum supra omne malum, qui solum propter gehennam a peccato recedit. Sed talis Poenitentia non est honesta; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Formaliter non detestatur...; conc. Virtualiter; nego *maj.* Quamvis enim formaliter non detestetur peccatum plus quam infernum; tamen cum virtualiter velit poenitens Deum super omnia diligere, et formaliter omne peccatum vitare, vult virtualiter postponere malum inferni malo peccati, seu inferni malum pati potius quam peccatum admittere.

147. Obj. 9.° Ex potestate clavium charitas potest infundi, ut ait Cajetanus, et inde peccator fiet ex attrito contritus. Ergo licet contritio sit necessaria, non erit absolutio Sacerdotis innecessaria.

Resp. Nego suppositum; nempe actum liberum infundi.

THESIS XXIII.

Ad Sacramenti Poenitentiae valorem et efficaciam sufficit attritio ex metu poenarum temporalium quae a Deo infliguntur.

148. **Nota** I.ª Putarunt nonnulli AA. cum Soto, Cano, attritionem mere naturalem, imo et conceptam ob damnum aliquod temporale ab hominibus, non vere ut a Deo provenientem, sufficere ad effectum sacramenti Poenitentiae. Verum jure plures AA. censuris notant hanc opinionem, quae pelagiana videtur, et opposita concilio Tridentino (1). Vide supra Th. XIV. Alii autem ex thomistis plures docent, ad valorem quidem sacramenti sufficere dictam naturalem attritionem, non autem ad ejusdem effectum. Ita Capreolus, Durandus, Cajetanus, Mantius, etc. Verum, etiamsi sic mitigata, neque videtur talis opinio cum doctrina Tridentini conciliari posse; ait enim de dolore et ceteris Poenitentis actibus (2): «Qui, quatenus in poenitente ad inte»gritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam remissionem pec»catorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae »partes dicuntur.» Ecce, eatenus sunt pars materialis sacramenti, quatenus disponunt ad remissionem peccatorum, et ideo supernaturales esse debent.

II.ª Nonnulli cum Vazquezio negant nostram thesim; verum valde communiter tuentur eam AA., ut Valentia, Lugo, Lessius, etc.

149. Prob. 1.° Tridentinum (3) describens attritionem sufficientem cum sacramento, dicit generatim *metum poenarum* sufficere, eumque a metu gehennae distinguit: deinde exemplum proponit timoris Ninivitarum, quo Deus placatus est, cum tamen ex malis temporalibus ortum duxisset.

2.° Tum in Veteri, tum in Novo Testamento, comminatus est Deus peccatoribus mala temporalia ut Poenitentiam agerent: ergo ejusmodi timor disponit etiam ad veram Poenitentiam et remissionem.

150. 3.° Attritio concepta propter poenas temporales in purgatorio luendas vere disponit ad confessionem sacramentalem, non solum venialium, sed etiam mortalium, quae post justificationem purgatorio puniuntur, ut supponimus cum Lugo (4), etc. Ergo

---

(1) Sess. VI, can. 3; Sess. XIV, cap. 4.—(2) Sess. XIV, c. 3.—(3) Ibid. c. 4. (4) D. V, sec. IX, n. 137.

idem censendum de aliis poenis etiam in hac vita a Deo infligendis. Confir. Contritio peccatoris propter temporales poenas iisdem potest ornari conditionibus, quas postulat Tridentinum (ibid.) pro attritione ex metu gehennae et turpitudine peccati: ergo non est illa a vera et sufficienti contritione excludenda. *Maj.* patet. Conditiones requisitae sunt: «Si voluntatem peccandi excludat cum »spe veniae.» Atqui optime potest peccator deponere voluntatem peccandi et veniam a Deo sperare poenis temporalibus perterritus: ergo.

Unde ait Suarez (1): «Quae sententia vera erit, si intelliga»mus illum timorem (poenarum temporalium) non esse mere hu»manum et naturalem, sed divinum et supernaturalem. Itaque, »quamvis poenae temporales sint, si tamen considerentur ut inflic»tae a Deo, et ut nobis indicant iram ejus, et quodammodo incho»ant divinum supplicium nisi emendemur, sub ea ratione possunt »movere ad supernaturalem attritionem.»

151. Obj. Dolor esse debet supernaturalis. Sed talis non erit, si solas respiciat temporales poenas: ergo.

Resp. Dist. *min.* Si poenas respiciat lumine et affectu pure naturali; conc. *min.* Si eas respiciat sub lumine fidei, puta, ut a Dei Providentia, lumine fidei cognita, infligendas; nego.

152. **Corollaria.** I. Ex dictis facile intelligetur, rejiciendam prorsus paucorum opinationem, quam refert Vazquez: nempe, posse obtineri remissionem peccatorum ab eo, qui bona fide confiteretur peccata sine peccati detestatione ac proposito emendationis, cum solo desiderio suscipiendi sacramentum et effectum ipsius. Id enim aperte opponitur doctrinae Tridentini, et ideo contra fidem dicendum.

153. II. Insuper probari non potest, quod Cajetanus, Dom. Soto, cum aliis nonnullis theologis docuerunt; solam, nempe, peccatorum displicentiam sufficienter disponere ad sacramentum, absque dolore et proposito efficaci. Quod Canus etiam tenet pro casu, quo quis ad sacramentum accederet cum ignorantia invincibili hujus insufficientis dispositionis. Verum jure id communis negat sententia, post Tridentini definitam doctrinam. Docet enim illam contritionem esse necessariam, quae est detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Deinde addit eatenus sufficere attritionem, quatenus voluntatem peccandi excludat. Sed ad haec opus est dolore efficaci, nec sola id praestat displicentia. Nam optime simul in eodem inveniri possunt voluntas peccandi cum displicentia peccati, sicut et voluntas effi-

(1) Disp. 5, sec. 2.

cax obediendi cum displicentia actus imperati. Unde quemadmodum honestas, imo et meritum obedientiae, stare potest cum ista displicentia; a fortiori poterit mala voluntas peccandi non excludi per simplicem peccatorum displicentiam.

154. Ex dictis in thesi, intelligi quoque potest, dolorem conceptum ex motivo speciali sufficienter etiam disponere ad sacramentum. Nam poenae temporales non sunt omnibus peccatis annexae. Et apertum etiam est in exemplo Ninivitarum a Tridentino proposito: subversio enim Ninivae, quam Deus minatus est, non est universale motivum peccatis omnibus commune. Deinde turpitudo, prout opponuntur peccata diversis virtutibus, est specialis: atqui docet Concilium, contritionem ex illa natam sufficienter disponere (1). Ita Gotti, qui recte notat (2): «Si peccator »plura specie peccata commiserit, non sufficit, ut attritione detestetur deformitatem unius... sed debet multiplicare attritiones juxta »numerum peccatorum.» Eodem prorsus sensu loquitur Suarez (3).

155. Dices: Poenitentia debet esse conversio ad Deum, sicut peccatum est a Deo aversio. Sed dolor ex turpitudine speciali peccati non est ad Deum conversio, sed ad illam solam honestatis speciem cui peccatum opponitur: ergo dolor propter turpitudinem specialem peccati non sufficit ad sacramentum Poenitentiae.

Resp. Concessa *majori*, distinguo *min*. Dolor propter turpitudinem specificam peccati non est ad Deum conversio, qualis extra sacramentum requiritur; conc. *min*. Qualis intra sacramentum fieri debet; subd. Si aliae partes sacramenti ac dispositiones accedant, non est ad Deum conversio; nego. Si solus ejusmodi dolor existat; conc. vel iterum subdist. Non est dolor ille ad Deum explicita conversio; permitto, vel concedo: non est saltem conversio implicita, nempe, tamquam ad supremam totius honestatis regulam; nego. Intra sacramentum dolor associatus est confessioni cui subjicitur peccator, ut cum Deo reconcilietur; item a Deo remissionem et justificationem, tamquam fonte omnis justitiae, expectat, ut supra (4) diximus. Proinde vere et explicite ad Deum convertitur peccator in sacramento, licet detestatio peccati in motivo speciali tantum nitatur.

Nota. Ut tamen motiva generalia doloris semper sibi proponant poenitentes hortandi sane sunt. Tum quia, si aliquo ignoto sibi peccato innodentur, illud simul detestentur ne obex gratiae fiat; tum quia motiva generaliora et propius Deum attingentia melius disponunt.

---

(1) Sess. XIV, c. 4. – (2) Tract. 9, de Poen. q. 4, d. 1, n. 9.—(3) Disp. 20, Sec. 4, n. 22.—(4) Th. XIV.

ARTICULUS II.

De proposito.

THESIS XXIV.

Ad validum Poenitentiae sacramentum et ad ejus assequendum effectum, requiritur propositum de cetero non peccandi: per se autem, probabilius etiam formale: sed per accidens, sufficere poterit virtuale.

156. **Nota** I. Propositum dicitur voluntas de cetero non peccandi. Unde quod de dolore dictum est in praecedentibus corollariis, nempe, non sufficere quamdam de peccato displicentiam; ita de proposito intelligendum, non satis esse quamdam habere velleitatem non amplius peccandi; cum haec non excludat voluntatem absolutam et efficacem peccati. Sic, vellet quidem mercator etiam in naufragiis merces suas retinere, tamen nihil hoc impedit quominus velit eas efficaciter in maris profundum projicere. Unde jure dicit Tannerus, non esse probabilem Cajetani, Cani, etc. opinionem, quod non ultra peccandi velleitas sit propositum sufficiens; ut si peccator diceret: vellem non amplius peccare.

II. Illud censetur propositum efficax et absolutum, quo stante, nequit existere voluntas peccati, ita ut si deinde peccaverit, necessum sit quod priorem revocaverit peccator voluntatem. Unde poenitentibus sedulo inculcandum ut tale concipiant propositum, cum sit genuini doloris verus sincerusque effectus; qua de causa notat Gobat cum aliis, plures fieri confessiones invalidas ex defectu propositi, quam ex defectu integritatis. Non tamen signum est certum deficientis propositi, quod postea saepe in eadem lapsus occurrat peccata; cum voluntas libera mutari possit, praesertim novis occurrentibus adjunctis. Quapropter si quis judicaret, non firmum perseveraturum suum, vel alterius propositum, non id debet obstare, quominus firmiter in praesenti statuat, nolle amplius peccare, Deo favente et voluntatem roborante.

157. I.ª pars. prob. 1.° Tridentinum docet (1), quod necessaria contritio sit: «Animi dolor... de peccato commisso, cum

(1) Sess. XIV, c. 4.

»proposito non peccandi de cetero.» Et rursum: «Declarat sancta »Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a pec- »cato et vitae novae propositum et inchoationem continere, sed »etiam... etc.» Id quoque explicite docuerat Florentinum in Decreto pro *Armenis*.

2.° In SS. Litteris simul praescribitur et vitam anteactam retractare, et novam inchoare; a malo recedere et ad bonum converti. Per Jeremiam (1) sic Deus hortatur ad Poenitentiam: «*Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem: »revertatur unusquisque a via sua mala*, (ecce peccati detestatio- »nem); *et dirigite vias vestras et studia vestra*, (en propositum).» Utrumque et proponebat Deus peccatoribus per Isaiam (2): *Quiescite agere perverse, discite benefacere*.

Joannes B. (3) praedicans Poenitentiam, propositum vitae novae urgebat, et non solam veteris detestationem: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos Poenitentiae... Et interrogabant eum turbae: quid ergo faciemus?* Scilicet, perterriti et priora facta detestabantur, et bene agere in posterum proponebant. Utrumque etiam distincte suggerebat Christus (4): *Memor esto unde exciderís, et age Poenitentiam, et prima opera fac*.

158. 3.° S. Gregorius (5) ait: «Sed quia jam peccavimus... »dicat quid nobis faciendum sit, ut fugere a ventura ira valeamus. »Sequitur: *facite fructus dignos Poenitentiae*... Uniuscujusque con- »scientiae convenitur: ut tanto majora quaerat bonorum operum »lucra per Poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per »culpam.» In hoc ergo consistit vera Poenitentia; a malo culpae per dolorem recedere, ad bene agendum se convertere. Et rursus (6): «Poenitentiam agere digne non possumus, nisi modum quoque »ejusdem Poenitentiae cognoscamus. Poenitentiam quippe agere, »est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare... »Qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat.» Augustinus (7): «Prior labor ut displiceas tibi, ut peccata expugnes, ut muteris in »melius: secundus labor, pro eo quod mutatus es, ferre tribulatio- »nes et tentationes hujus saeculi et inter illas perseverare usque in »finem.» Ambrosius autem (8): «Qui agit Poenitentiam, non »solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emenda- »tioribus factis aperire et tegere delicta superiora, ut non ei impu- »tetur peccatum.» Et rursus: «Dum dolemus admissa, admittenda »excludimus, et fit quaedam de condemnatione culpae disciplina

---

(1) XVIII, 11.—(2) I, 16, 17.—(3) Luc. III, 7, 8, 10.—(4) Apoc. II, 5.—(5) In Ev. Hom. 20, n. 8.—(6) L. II, Hom. 34, n. 5.—(7) Enar. in Ps. LIX, 5.—(8) *De Poenit.* l. II, c. 5, n. 35; c. 10, n. 92, 95.

»innocentiae.....» «Merito reprehenduntur qui saepius agendam »Poenitentiam putant; quia luxuriantur in Christo. Nam si vere »agerent Poenitentiam, iterandam postea non putarent.»

159. 4.ª Oportet ut per Poenitentiam recedat omnino a culpis peccator sincera peccati detestatione, uti supra dictum est (Th. XII). Sed non est omnimoda a peccato recessio, nisi mens ab eo pro quovis tempore, etiam futuro, velit abstinere: ergo.

Nota. Ex argumentis facile intelligi potest, non tantum ad fructum sacramenti assequendum requiri propositum, sed ad validitatem etiam. Nam ideo est necessarium, quia spectat ad contritionem, seu peccati aversionem: atqui haec est pars intrinseca sacramenti, ut supra probavimus (1).

160. II.ª pars. **Nota.** In hac re tres gravium AA. feruntur sententiae. 1.ª tuetur ejusmodi propositum concipi debere formaliter et expresse: ita Bellarminus, Vazquez, Toletus, etc. Quibus plures ex antiquis accedunt, licet isti, fateri enim id oportet, non distinguerent virtuale et formale propositum. 2.ª docet, virtuale solummodo requiri propositum: id tenent plures cum Lugone, Salmant.; atque ait Cardenas, hanc opinionem esse omnino certam. 3.ª denique ait, per se opus esse formali proposito; at per accidens, si quis obliviscatur expressi propositi concipiendi, sufficere virtuale. Hanc defendit Suarez, Layman, et alii non pauci.

Prob. 1.° Tridentinum (2) supponit propositum actum esse a dolore distinctum, et utrumque aeque necessarium. Sed virtuale propositum non est actus distinctus: ergo opus est proposito formali. *Maj.* prob. «Sancta Synodus declarat, hanc contritionem non »solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum et in»choationem, sed veteris etiam odium continere.»

2.° Etiam S. Scriptura et Patres explicite proponunt et exigunt vitae novae propositum, uti necessarium ad Poenitentiam: praeter laudata (in I.ª parte) testimonia, Christus mulieri adulterae Poenitentiam indixit aiens (3): *Vade, et jam amplius noli peccare.* Apud Ezechielem (4): *Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam: ipse animam suam vivificabit.* Sed nulla est ratio sufficiens, ut ejusmodi de solo virtuali proposito, e contra, est valida ratio, ut de formali intelligantur; ergo. *Min.* prob. Etiamsi charitas virtualiter contritionem secum ferat, tamen contritionem formalem esse per se ad Poenitentiam necessariam, negare non possumus (5): ergo neque est sufficiens

---

(1) Thes. XIX.—(2) Sess. XIV, c. 4.—(3) Joann. VIII, 11.—(4) XVIII, 27.—(5) Th. II.

ratio. ut de solo virtuali proposito, non vero de formali, doctrinam catholicam intelligamus. Deinde major est a peccato aversio et ad Deum conversio. et perfectior dispositio ad gratiam, et plenior satisfactio, si non tantum peccata praeterita detestemur, sed futura quoque oderimus ac cavere proponamus. Sed Poenitentia intendit Deo. quantum possit, satisfacere; ergo formale intelligi debet propositum illud quod ad Poenitentiam requiritur.

161. Obj. Ait Tridentinum, sufficere attritionem quae voluntatem peccandi excludat. Sed voluntas peccandi excluditur sine proposito formali; ergo.

Dist. *Maj.* Quae excludat voluntatem peccandi, per contrariam et formalem voluntatem non peccandi de cetero; conc. Aliter; nego. Item Dist. *min.* Excluditur ita firmiter ac perfecte sine proposito formali: nego *min.* Excluditur aliquo modo; conc.

162. III.ª pars prob. Per accidens sufficere aliquando virtuale propositum, concedimus. Nam 1.° ipsa contritio formalis non est absolute necessaria ad fructuosam Poenitentiam; cum per actum charitatis, in qua virtualiter continetur, fieri valeat peccati remissio (1): ergo idem censendum de proposito, cum in detestatione et dolore peccati virtualiter existit.

2.° Ille qui detestatur peccatum absolute et ex motivo universali, aversatur illud implicite pro quovis tempore, sive praesenti, sive praeterito, sive futuro; quod est enim universale, est independens a tempore. Atqui idem est aversari peccatum pro tempore futuro, ac proponere de cetero non peccare; ergo implicite et virtualiter eodem modo convertitur ad Deum peccator cum solo dolore, sine explicito proposito.

163. Dices: accidit, vel accidere potest juxta Tridentinum (2), ut ex solo particulari motivo conteratur peccator; puta ex turpitudine talis peccati. Sed in eo casu non habetur implicitum et virtuale propositum universale non ultra peccandi; ergo tunc necessarium prorsus erit formale propositum.

Resp. Dist. *min.* Non habetur implicitum propositum respiciens quasvis peccatorum species; conc. Respiciens peccata illa quae peccator admiserat, et de quibus dolet; nego. Unde haec difficultas premit eos qui sentiunt, propositum ita debere esse universale ut ad omnia possibilia extendatur peccata: isti quidem fateri tenentur, necessarium esse, in data hypothesi, propositum explicitum; de qua quaestione, pauca dicenda.

---

(1) Supra, Th. II. – (2) Sess. XIV, c. 4.

SCHOLION I.

De convenienti commendatione formalis propositi.

164. Auctores qui sufficere, per se, virtuale propositum putant, commendandum tamen, ajunt, formale. Nam per istud magis confirmatur peccator in justitia, et melius Dei offensam compensat. Praeterea si poenitenti vere contrito cogitatio occurrat de lege Dei in posterum servanda, vel de peccatis futuris vitandis vel admittendis; ita erit ad explicitum propositum propensus, ut AA. plures sentiant tunc illud necessario secuturum; alii autem dicunt, ita esse connaturaliter adnnexum dolori propositum, ut vix sejungi possit: quod quidem verissimum est.

SCHOLION II.

Quo sensu universale requiratur propositum.

165. Supponimus veram esse sententiam, licet negent nonnulli cum Bonacina, ad sacramenti Poenitentiae fructum sufficere dolorem ex motivo aliquo speciali; quod ex dictis (Th. XXIII) facile patet. Et quidem dolor debet esse de peccato commisso, uti Tridentinum (1) docet, non vero de omni commissibili. Inde autem fluit illa dubitatio; utrum propositum virtuale, in eo speciali dolore contentum, erit etiam sufficiens ad validum et fructuosum Sacramentum? Prior sententia, eaque communior, ac *practice tenenda*, est:

Propositum debere semper esse universale, nempe omnia possibilia excludens peccata.

Ratio potissima est, quod Tridentinum (2) asserat, requiri propositum «non peccandi de cetero,» et dolorem qui «voluntatem peccandi excludat.» Proinde si dolor ex motivo speciali concipiatur, oportebit tunc formale ac distinctum elicere propositum ex alio universali motivo.

166. Secunda sententia probabilior, quam tuetur cum aliis Dicastillo, et insinuat Suarez, ait:

Tum ad validum sacramentum, tum ad fructum ipsius assequendum, sufficere posse propositum illud speciale quod virtute continetur in dolore concepto ex speciali motivo.

---

(1) Sess. XIV, c. 4.—(2) Ibid.

Ratio hujus doctrinae desumitur etiam ex Trid. concilio (ibid.) Nam ex mente Concilii. idem omnino est. «propositum non peccandi de cetero.» ac *excludere voluntatem peccandi;* quod Lugo merito fatetur. Illa, quidem, priora verba adjecit Concilium explicando contritionem in genere; posteriora autem, agens de contritione in specie, scilicet, de attritione. Atqui exclusio voluntatis peccandi, prout habetur in attritione, non debet esse de omnibus peccatis possibilibus, sed de iis quae voluntas admiserat: ergo et propositum virtuale quod excludat omnia peccata admissa, de aliis autem abstrahat, sufficit. Min. patet ex Concilio. Docet enim sufficere attritionem conceptam ex motivo speciali, ut intelligunt Suarez, Vazquez, Lugo, etc. Sed talis attritio nequit esse exclusiva cujuslibet peccati, sed tantum illorum, quibus speciale motivum adversatur. Ut si quis ex turpitudine furti conteratur, tatis dolor non excludit voluntatem mendacii, etc.

167. Confir. 1.° Concilium docet, contritionem necessariam debere esse de peccatis commissis indefinite. Atqui tamen cum Lugo, Suarez, docent plurimi, validum fieri sacramentum, licet informe, si quis, non de omnibus admissis doleat, sed tantum, ex speciali motivo, eorum quorum recordatur: ergo a pari; licet dicat Tridentinum indefinite, requiri propositum non peccandi de cetero, sufficit propositum excludens ex motivo peculiari solum illa peccata, quae peccator commiserat, ut validum fiat sacramentum.

Confir. 2.° Dolor de peccatis commissis non debet extendi ad commissa quidem, sed jam remissa: ergo a pari, propositum non debet extendi ad omnia commissibilia, sed ad illa solum quae poenitens commiserat, ut fructus habeatur sacramenti. *Conseq.* prob. Ideo non debet dolor de peccatis jam remissis haberi, quia illa nullum obicem gratiae opponunt. Atqui peccata numquam commissa, neque ullum possunt afferre obicem: ergo neque necessum est ut ad illa respiciat propositum.

168. Confir. 3.° Eatenus opus esset ad veram Poenitentiam et conversionem, ut quis proponeret nullum ex peccatis possibilibus de cetero admittere; quatenus, nisi id statueret peccator, ejus voluntas non fieret aversa a peccato. Atqui etiamsi id non statuat, vere avertitur a quovis peccato: ergo. *Minor* prob. Ideo debet peccator a peccatis averti, quia ad illa se converterat libero consensu; quod videtur evidens: quomodo enim debebit voluntas averti ab eo ad quod non est conversa? Atqui voluntas peccatoris ad peccata solum quae commiserat conversa erat, non autem ad omnia commissibilia: ergo vere avertitur a quovis peccato, etiamsi non statuat, seu proponat, omnia peccata possibilia vitare. *Min.* clara videtur. Nam aliter oporteret, ut non solum propositum, sed dolor quoque

eliceretur ex universali motivo. Et sane quis concedet, in quovis peccato omnia admitti peccata, et omnem possibilem inveniri malitiam?

His consonat Gregorius M. supra (Th. XXIV n. 158).

169. Dices 1.° Legitur (1): *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Resp. Dist. seu explico cum Augustino (2): Quatenus qui in uno offendit tollit finem et perfectionem legis, scilicet, charitatem; conc. Quasi a singulis legis mandatis avertatur; nego. Nam hunc sensum ipse excludit Apostolus: *Quicumque totam legem servaverit.* Qui ergo in uno offendit, ab aliis non avertitur.

Dices 2.° Tum dolor tum propositum debent, ut sint efficacia, esse incompossibilia cum peccato. Sed non ita fiet, si solum in motivo speciali nitantur: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Cum peccato a quo debet recedere, seu averti, peccator; conc. Etenim ita explicite nos edocet Spiritus S. (3): *Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis.* Debet esse incompossibile cum peccato a quo non debet averti peccator, quia numquam ei adhaesit; nego.

SCHOLION III.

De Poenitentia valida et informi.

170. Cum dictis adnexa quoque alia est quaestio, qua inquirunt AA., utrum Poenitentiae sacramentum informe et simul validum esse valeat? Id quidem evenire posse affirmant plurimi cum D. Thoma (4). Suarezio, Lugone, Salmanticensibus, Goneto, etc. Negant autem Vazquezius, Layman, Arriaga, etc.

171. **Nota** I. Sacramentum validum et informe dicitur, cui ex constitutivis seu essentialibus partibus nihil deest, cum tamen effectum, nempe, gratiam non causet ex defectu alicujus dispositionis in subjecto illud suscipiente.

II. Juxta traditam definitionem, et supposita doctrina in cap. II exposita, numquam fiet validum Sacramentum. a) Si vera desit peccatorum detestatio ac efficax propositum, etiamsi hunc defectum accusaret poenitens. Id sane cum Cajetano, D. Antonino, etc. aliqui tenuerunt antiqui AA.; verum defendi non potest, cum stare nequeat sacramentum, deficiente parte aliqua essen-

(1) Jac. II. 10.—(2) Vide Calmet in hunc locum —(3) Ezech. XVIII, 31.—(4) 4, Dist. 17, q. 3, a. 4.

tiali. b) Neque verum fiet sacramentum cum solo dolore naturali, ut voluere Canus, Capreolus et alii; eadem obstat ratio. c) Item, non staret sacramentum cum sola peccatorum displicentia; uti docuerant Durandus, Sotus etc. d) Insuper supponimus non posse validum perfici sacramentum cum solo dolore virtuali, licet nonnulli id fieri posse existimarint.

III. Posita validitate sacramenti informis, non foret consequenter iteranda confessio illa, sed sufficeret obicem auferre ut effectum suum causaret.

172. **Dico.** Accidere potest ut validum et informe fiat Poenitentiae sacramentum.

Prob. Dari possunt in suscipiente sacramentum omnes partes essentialiter requisitae, obice tamen ad gratiam existente. Sed tunc est validum sacramentum et informe: ergo. *Major* prob. Si quis peccata commiserit diversae speciei, et alicujus obliviscatur, poterit de iis dolere ex motivo speciali, quin de peccato oblito conteratur, eaque confiteri, atque dein absolvi. Sed hoc posito, existunt omnes partes essentiales, et datur obex ad gratiam: ergo. *Min.* patet. Nam peccatum oblitum nequit sine Poenitentia remitti, ideoque impedit gratiam.

Confir. Licet confessio sit pars essentialis sacramenti, tamen si quis ex oblivione non confiteatur omnia peccata, validum fit sacramentum: ergo a pari, si inculpatus non doleat poenitens de aliquo peccato, non impedietur sacramentum.

173. Obj. 1.° Juxta Tridentinum (1), contritio est pars sacramenti quatenus requiritur ad perfectam peccatorum remissionem. Sed cum attritio non extenditur ad omnia admissa peccata, non habetur quod requiritur ad remissionem peccatorum: ergo deest quoque essentialis pars sacramenti.

Resp. Dist. *min.* Totaliter et ad fructum sacramenti, non habetur quod requiritur; conc. Ex parte et ad validum sacramentum, non habetur; nego. Nam attritio, quae habetur, vere requiritur, et per se sufficeret nisi foret obex alterius obliti peccati, cujus non habetur necessaria Poenitentia.

Obj. 2.° Ait Tridentinum (2): «Peccata quae diligenter co»gitanti non occurrunt... eadem confessione inclusa esse intelli»guntur.» Sed nequeunt includi nisi ratione doloris; ergo opus est ut dolor se ad omnia peccata referat.

Resp. Explico sensum verborum. Inclusa intelliguntur ad satisfaciendum obligationi confessionis; concedo. Quoad necessariam

---

(1) Sess. XIV, c. 3.—(2) Ibid. c. 5.

eorum detestationem; nego. Docet enim ibi concilium, integritatem confessionis *formalem* sufficere, nam in illa inclusa intelliguntur caetera peccata. Quae autem requiratur attritio, aliunde supponit, et sive haec sit sufficiens, sive non, docet hic quae et qualis confessio facienda sit.

174. Obj. 3.° Propositum non ultra peccandi debet fieri ex motivo universali. Sed ejusmodi universale motivum non ultra peccandi inducit formaliter vel consequenter ac necessario, detestationem omnium commissorum peccatorum. Ergo et detestatio peccatorum debet esse universalis.

Resp. 1.° Nego *maj.* juxta ea, quae dicta sunt in Schol. II.

Resp. 2.° Nego *min.* Nam peccata praeterita ac futura, seu commissa et commissibilia, distincta sunt mentis objecta et diverso modo concipiuntur; hinc procedit, ut ex detestatione praeteritorum gignatur dolor, non autem ex fuga futurorum. Potest ergo accidere ut quis futura peccata cavere velit, et interim commissa non attendat, ideoque nec detestetur. Insuper, velle servare in posterum legem Dei, hoc enim verum et formale est propositum, accidere potest absque ullo respectu ad vitam anteactam; ideoque non inducit necessario hujus detestationem.

CAPUT IV.

De natura Poenitentiae quatenus est confessio.

De necessitate Confessionis peccatorum in Nova Lege diximus generatim supra (1). Superest ut de natura hujusce partis sacramentalis nonnulla inquiramus.

ARTICULUS I.

De integritate confessionis.

THESIS XXV.

In confessione sacramentali exponenda sunt omnia peccata gravia post Baptismum commissa et nondum confessa; et quidem non solum in communi, seu confuse, sed necessum est eorum numerum et species explicare.

(1) Thes. XVI, n. 108.

175. **Nota** I. Peccata ante Baptismum commissa non esse materiam necessariam confessionis sacramentalis apertum est: nam illa remittuntur omnia per Baptismum, ut dictum est (1). Insuper neque ea peccata posse materiam validam, seu aptam, esse hujus sacramenti, elucet ex Tridentino (2) docente; potestatem remittendi peccata accepisse Apostolos ad reconciliandos peccatores post Baptismum lapsos.

II. Thesis haec doctrinam exhibet fidei catholicae adversus haereticos, praesertim protestantes, definitam. Ut sensus intelligatur, prae oculis habendum, in rebus morum, uti et in rebus physicis, actus humanos ratione diversarum circumstantiarum ita variari, ut diversas induant honestatis vel inhonestatis species. De qua re in tractatibus de Peccatis et Virtutibus agitur.

III. Nonnulli theologi cum Cajetano putarunt, confitenda quidem omnia peccata, non autem omnes eorum explicandas species, sed illas solum quae specialem curationem a confessario adhibendam exigere videntur, et communiter a mediocriter doctis distinguuntur. Verum rejicitur jure a theologis haec sententia, et post Tridentinum nequit tolerari.

176. Prob. 1.° Tridentinum definivit (3): «Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mor»talia... etiam occulta... et circumstantias quae peccati speciem »mutant... anath. sit.»

2.° Jure divino confitenda sunt peccata ministris Christi, ut tamquam judices de iis ferant sententiam et satisfactionem imponant. Atqui nisi numerus simul, nec non circumstantiae speciem mutantes, declarentur, non fiet aliquorum peccatorum confessio, neque de iis judicabit Christi minister; ergo. *Major* constat ex superius probatis (4). *Min.* patet. Etenim si numerus peccatorum non exponitur, non omnium confessio habetur. Si autem circumstantia mutans speciem peccati non dicitur, aliqua gravis malitia, et ideo peccatum occultatur, de quo non poterit judicare minister sacramenti. Atqui dici nequit peccatum declarari, vel judicio subjici, dum ejus absconditur malitia gravis: ergo.

177. 3.° SS. Patres et concilia varietatem et qualitatem peccatorum esse declarandam saepe docuerunt. Sed ad id oportet numerum etiam, et eas circumstantias, quae speciem mutant, confiteri: ergo. *Maj.* constat ex dictis (ibid.) Sic Laod. Conc.: «His qui »diversorum lapsus incurrunt... pro qualitate peccati tempus Poe-

---

(1) Disq. II, de Bapt. c. I, Thes. II.—(2) Sess. VI, c. 14; sess. XIV, c. 1.—(3) Sess. XIV, can. 7.—(4) Cap. II, Th. XVII.

»nitentiae tribuendum est.» S. Hieronymus (ibid.): «Alligat »vel solvit Episcopus et Presbyter... pro officio suo, cum peccato»rum audierit varietates...» Et Chrysostomus (1): «Multa »opus est pastori prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animae »statum circumspiciat.»

178. 4.° Theologicam rationem duplicem assignat Tridentinum (2). Etenim a) non solum judex constitutus est minister Christi, sed etiam medicus animarum ut aegritudines sanet vitiorum. Sed diversa vitia diversis sunt sananda remediis; et aliunde, quod ignorat, medicina non curat: ergo opus est diversas confiteri, simul cum peccato, circumstantias quae speciem aliam malitiae addunt. b) Locum Dei tenens minister Poenitentiae, debet satisfactionem pro culpis imponere, ut ex dictis constat (3). Sed sine notitia circumstantiarum quae numerum vel species mutant peccatorum, nequit minister Poenitentiae de gravitate criminum recte censere, et poenam, quam oportet, pro illis indicere: ergo debet poenitens tum numerum, tum species peccatorum declarare.

5.° Qui furatur in Ecclesia ut moechari possit, idque cum notitia populi circumstantis, plures in uno actu contrahit peccatorum malitias; nempe furti, sacrilegii, fornicationis, adulterii, scandali. Sed tot malitias, seu peccata, non confitebitur, nisi circumstantias speciem mutantes exponat: ergo.

179. Obj. 1.° Cum magna jactura salutis, famae, aut pecuniae non est obligatio confitendi peccata: puta, si labor confessionis aegroto multum noceret; vel si minister improbus audita revelaret peccata; vel si nollet absolvere nisi copiosa accepta pecunia, etc. Sed aliqua peccata ita sunt turpia et enormia, ut eorum revelatio, etiamsi soli facta confessario, aequiparetur ingenti jacturae salutis, famae vel pecuniae: ergo nequit dari obligatio ad similia crimina confitenda.

Resp. Dist. *min.* Aliquorum peccatorum confessio aequiparari potest in abstracto magnae jacturae salutis... etc.; conc. *min.* Aequiparatur in concreto; nego *min.* Disparilitas in eo invenitur, quod difficultas vel jactura quaevis intrinsece exorta ex ipsa natura peccati confessi, fuit a Christo volita et intenta: voluit enim confessionem delicti, tamquam Poenitentiam et satisfactionem, Deo exhiberi. Proinde aequum est et juxta Dei justam providentiam, si pro graviori et turpiori culpa sit quoque major in confessione jactura, seu poenalitas. E contra, jacturae illae ab extrinseco provenientes, et confessioni minime per se adnexae, extra intentionem legislatoris

---

(1) De *Sacerd.* l. 2, c. 3.—(2) Sess. XIV, c. 5.—(3) Cap. II, Th. XIII.

esse censentur, adeoque ad eas non obligari poenitentem a divina et suavi Dei providentia.

180. Obj. 2.° Peccata a Deo propter contritionem absoluta nequeunt rursus ab ejus ministro remitti. Ergo non oportet omnia confiteri peccata.

Resp. Dist. *ant.* Nequeunt absolvi quoad vinculum poenae, seu satisfactionis. iis peccatis debitae; nego. Absolvi non possunt quoad culpam; subd. Effective; concedo: virtualiter, scilicet, gratiam ex se remissivam conferendo; nego. Etenim ipsa confessio sacramentalis est satisfactio Dei justitiae debita, a qua saltem poena liberatur per absolutionem peccator.

181. Obj. 3.° Multi inepti existunt ad species discernendas peccatorum. Sed non est credendum id Deum praecipisse quod multitudini est moraliter impossibile: ergo peccatorum species non sunt exponendae.

Resp. Permissa tum *majori*, tum *min.*, dist. *conseq.* Non sunt exponendae, si a peccante non discernitur peccati specifica malitia; conc. Sicut enim non contrahitur illa malitiae species, ita neque confessioni subjicienda. Species non sunt exponendae, prout a peccatoribus dignoscantur; nego. Pariter neque numerus criminum erit declarandus. si illum poenitens ignoret, vel oblivioni tradiderit. Unde docet Tridentinum (1): «Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit.»

182. Obj. 4.° Tota peccati malitia in actibus liberis voluntatis sita est. Ergo sufficit confessio internorum peccatorum, dicendo: volui occidere, furari, etc. *Ant.* prob. Actus externi non sunt liberi; sed ad moralitatem opus est libertate: ergo nequeunt malitiam ullam moralem habere.

Resp. Nego *ant.* Nomine enim peccati ipsa significantur opera externa, ut communi sensu Doctorum, usu fidelium, et S. Scripturae loquendi ratione patet: proinde si peccata oportet confiteri, etiam opera externa explicare necessum est. Ad probationem. Dist. *maj.* Actus externi non sunt liberi, neque determinantur a principio libero; nego *maj.* Non sunt liberi in se ipsis, seu absolute, seu intrinseca denominatione: conc. Dein dist. *min.* Ad moralitatem opus est libertate in principio seu potentia determinante, ut inde actus determinatus denominetur liber, et sit agenti imputabilis; conc. Opus est libertate ipsi actui morali intrinsece inhaeren-

(1) Sess. XIV, c. 5.

te: nego. Etenim talis libertas neque ipsis actibus internis convenit, cum eorum entitas jam ad unum sit determinata.

Uno verbo; moralitas actus requirit ut sit conformis vel difformis regulae morum, scil. divinae voluntati. et dictamini rationis: et ut procedat a principio secundum actum primum proximum libero. Jam vero, non solum actus pravi interni, sed etiam externi prohibentur a Deo et a ratione reprobantur: *non occides, non furtum facies...* etc.; utrique etiam a principio libero determinantur. Actus quidem externi eadem denominantur libertate, qua interni; quia ab eadem procedunt indifferenti voluntatis determinatione; at non eodem denominantur respectu ad regulam morum, quia uterque illi congruit vel adversatur, et consequenter superaddit actus externus interno suam propriam convenientiam vel oppositionem cum regula honestatis.

Inst. Si una tantum in actu interno vel externo est libertas, et una tantum est honestas vel malitia; ergo tota declaratur malitia per solam confessionem actus interni.

Resp. Nego *ant.* Non enim ex unitate libertatis, sed etiam ex respectu ad regulam morum desumenda unitas honestatis vel malitiae. Ex. gr. Cum praeceptum aliquod urget, puta, amandi Deum; una est libertas amandi vel non amandi. Tamen si sub hac individua et una libertate ametur, actus habetur honestus et meritorius: si autem non ametur, actus pravus omissionis imputabitur. Quare? Non quidem quia distincta sit libertas in utraque determinatione, sed quia distinctus est ad regulam honestatis respectus.

SCHOLION I.

Quae sit actus substantia.

183. Diximus, tum numerum peccatorum, tum species confessione declarari debere. Cum ergo in eodem actu possint plures concurrere circumstantiae diversas malitiae species inferentes. sequitur, ejusmodi circumstantias esse aperiendas, et ab actus substantia discernendas.

Actus substantia constituitur per respectum ad proprium ejus objectum, seu finem operis; inde enim sumit actus speciem, ut notat D. Thomas (in 4 dist. 16, q. 3, a. 1.) Actus autem potest considerari, vel secundum suum esse *physicum;* et sic ejus species determinatur semper ex proprio ejus objecto, seu fine operis: vel secundum ejus esse *morale;* et hoc determinatur *per se* et *objective*, ex ordine quem habet objectum ad finem voluntatis, scilicet, bono honesto: si enim objectum adversatur huic fini, actus est malus mo-

raliter; si autem habeat proportionem ad finem, est per se bonus. *Subjective* autem species actus moralis determinatur ex fine operantis, qui potest esse distinctus a fine operis: et tunc actus praeter speciem virtutis propriae, induit aliam speciem communem ex fine operantis.

SCHOLION II.

Quae numerentur actus circumstantiae.

184. *Circumstantiae* igitur dicuntur ea omnia accidentia quae comitantur substantiam actus, quatenus ejus proportionem ad finem auferre, minuere, vel perficere possunt: quae in hoc versiculo significari solent: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quid innuit ipsam speciem actus, seu substantiam. Tunc autem poterit *Quid* dici *circumstantia*, cum comparetur species moralis cum specie physica; verum de hac non curat moralis scientia: vel cum species moralis communis (scil. ex fine operantis) confertur cum specie propria (scil. ex fine operis). Ex. gr. Fornicatio et actus matrimonii «sunt idem actus, ait D. Angelicus (1), in specie »naturae, qui differunt in specie moris.» Ipsi quoque actus matrimonii differre possunt in communi specie moris, quatenus diversus existat finis operantis, scilicet, honestus, turpis, vel otiosus.

Cur finem designat. Finis autem est vel ultimus, vel proximus. «Ultimus quidem non potest poni circumstantia», uti sapienter ob»servat D. Thomas (ibid.), «quia omnes circumstantiae su»muntur ex proportione ad ipsum.» Et sane, respectus ad ultimum finem communis est omnibus actibus moralibus; nempe, vel respectus proportionis, in omnibus actibus honestis, vel oppositionis, in omnibus graviter malis. Finis operis, seu objectum, ut diximus, constituit substantiam ejus, quatenus est in specie propria actus moralis: quo sensu, proinde, non est finis, seu *cur*, circumstantia. *Finis* ergo *operantis* habet *rationem circumstantiae* respectu actus externi; quoad autem actum internum intentionis pertinet etiam ad ejus substantiam.

185. Aliae a praemissis *circumstantiae* non sunt per se nisi accidentia actus moralis; proinde eatenus ad peccati confessionem pertinebunt, quatenus debitam proportionem ad finem impediant. Circumstantia *Quis* agentem significat; puta, an sit persona sacra, vel ex officio obligata, etc. *Ubi, quando*, scilicet, quo loco et tempore

(1) In 4 dist. 16, q. 3, a. 1.

factum sit peccatum; quae, ut patet, valde sunt externa ad actum. *Quibus auxiliis:* instrumenta, nempe, adhibita; quatenus ista aliquam improportionem ad finem, seu inhonestatem, prae se ferant. *Quomodo:* hanc circumstantiam exponit D. Thomas (1): «Cum »modus mensuram importet, omnia quae ad mensuram pertinent, »vel per modum quantitatis continuae, vel discretae, importantur »in quomodo. Vel dicendum, quod quantitas actus ex tribus pen»sari potest: primo ex ipsa intensione actus; et sic idem est quod »quomodo: secundo ex quantitate objecti; et sic includitur in »quid: tertio ex tempore; et sic includitur in quando: quoties autem »semper reducitur ad modum.»

SCHOLION III.

Quae circumstantiae mutent speciem.

186. His igitur intellectis, cum doceat Tridentinum (2), non tantum esse declaranda in confessione omnia singillatim peccata mortalia in specie, seu quoad substantiam, sed etiam eas circumstantias, quae speciem peccati mutant; quaeritur, quaenam sint illae circumstantiae ex quibus mutatur, seu inducitur nova species. Cum non sit sermo de specie physica, sed morali, ejusmodi circumstantiae illae sunt, quae habent specialem repugnantiam cum ratione, seu specialem improportionem ad finem, diversam ab ea, quae est in ipsa substantia peccati: vel etiam, cum speciali prohibitione vetantur, ex motivis diversarum virtutum. Hoc enim supposito, ut dicit Tridentinum: «Sine illis (circumstantiis) »peccata ipsa nec a poenitentibus integre exponuntur, nec judicibus »innotescunt, et fieri nequit, ut de gravitate criminum recte censere »possint, et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus impo»nere.»

SCHOLION IV.

De distinctione numerica peccatorum.

Non tantum species, sed etiam numerum peccatorum esse in confessione declarandum, diximus in thesi. Quo pacto autem intelligi possit haec numerica distinctio, diversimode intelligunt AA. Ut eam dilucidemus

187. **Nota** I. Supponimus, non agi de numero, seu pluralitate

(1) In 4, dist. 16, q. 3, a. 1, q. 2 ad 6.—(2) Sess. XIV, c. 5.

physica peccatorum; sed morali, quatenus, nempe, secundum esse morale numero distinguuntur: quemadmodum non refert ad Confessionem quod species physica sit una, si species morales plures fuerint: tunc enim, ut observat D. Thomas (in loco cit.), illae circumstantiae pertinent ad substantiam actus. Sic et Suarezius ait (1): «Distinctionem physicam actuum non referre, si mo»rales malitiae per se plures sunt.»

II. Duplicem regulam generalem tradit Esparza (2), olim in Coll. Rom. professor. a) Ea peccata solo numero distinguuntur formaliter, quae sunt invicem negabilia secundum suum esse morale, simulque sunt omnino similia inter se, seu simul sunt invicem indiscernibilia per sola sua praedicata intrinseca, id est, ad esse morale spectantia. Sic dices quidem, Petrus non est Paulus; non autem discernes unum ab altero, dicendo: Petrus est animal, est rationale, etc. Sic pariter; furtum ovis factum mane non est furtum aliud ovis factum vespere; sunt tamen ejusdem speciei. b) Ea peccata differunt inter se specie formaliter, quae non solum sunt invicem negabilia secundum suum esse morale, sed etiam dissimilia ac discernibilia, per sola sua praedicata intrinseca moralia: ut furtum et homicidium; vel homicidium deliberatum, et indeliberatum. Haec quidem generatim recte dicta, neque ab ullo, puto, negabuntur; verum ad peculiares casus procedendo mira est varietas opinandi et contradicendi.

III. Ut rem ergo obscuram paucis declaremus, cum peccatum duobus constet elementis, actu (seu omissione) et malitia, et actus vel in mente consummetur, vel ad actionem externam prodeat; dicemus: a) de pluralitate seu numero peccatorum ratione actus, tum pure interni; tum b) ad extra prodeuntis; et c) de numero peccatorum ratione multiplicis malitiae.

§ I.

De numero peccatorum ratione actus interni.

Dico I. Non multiplicantur peccata ex eo quod actus interni, puta, desiderium furandi, evadant intensiores, aut quia voluntas in iis perseverat; sed solum si interrumpantur et iterentur.

188. I.ª pars hujusce regulae patet: nam intensitas actus, vel duratio, non tribuit illi esse distinctum, sed modum tantum es-

(1) Disp. 22, Sec. 2, n. 6.—(2) Curs. Theol. l. 10, q. 30, a. 6.

sendi. Atqui varietas in modo rei non multiplicat ipsam rem: sicut homo hodie durans, non est alius a se ipso heri existenti.

189. II.ª pars perspicua etiam existit, ex regula generali tradita in nota II. a).

190. Dices: non sufficit physica interruptio, sed moralis requiritur, ut distinguantur plura peccata: peccatum enim est quid morale, non merum ens physicum.

Resp. Hoc plane concedimus: debet libere, et circa objectum pravum iterari actus; hoc enim requiritur et sufficit ad moralitatem actus, seu malitiam.

Inst. 1.° Ut autem interruptio sit moralis, priorem actum retractare oportet; nam dum non retractatur, permanet voluntas in eodem peccato. Ita Canus, Cajetanus, etc.

Resp. Negatur assertum plane incredibile, ne durius notetur. Et quidem; si quis juvenis cupiat hominem occidere et post annos quadraginta occurrentem sibi eumdem hominem velit iterum occidere, numquid idem numero erit peccatum. etiamsi numquam de retractando illo priori desiderio cogitasset? Ad rationem autem facilis est responsio: dum non retractatur peccatum permanet voluntas in eodem peccato habituali; conc. Actuali; nego.

Inst. 2.° Saltem oportet ut cessatio a priori actu sit voluntaria, seu deliberata, ut interruptio sit moralis. Ergo si ex occurrente negotio, vel somno, vel distractione interrumpatur actus. redeunte eodem desiderio, non fient peccata distincta.

Resp. Dist. *Ant.* Ut interruptio actus desinentis sit moralis, oportet...; conc. Ut sit moralis ex parte actus subsequentis: nego: Nihil enim refert quod cessatio prioris actus sit voluntaria vel non, ut alius actus futurus a priori moraliter distinguatur: ut patet exemplo ad instantiam praecedentem opposito.

Inst. 3.° Videtur requiri ad interruptionem moralem actuum, ut notabile tempus intercedat. Alii sufficere putant si una hora intercedat, alii autem pro beneplacito, longius vel brevius interruptionis tempus assignant. Id probant; quia aliter distingui actus et numerari nequeunt ut confessione subjiciantur.

Resp. Omnia ista meras esse fictiones: actus enim morales non sunt motus aliqui continui, veluti deambulutio, quae in spatio et tempore perficienda est. Quod autem aliquando nequeat peccator numerum actuum distinguere, concedimus; nam neque species peccatorum saepe discernere valet: tunc autem sufficit peccata sub confusa multitudine confiteri, dicendo; per tot dies perseveravi in pravis desideriis occidendi inimicum vel fornicandi, etc.

191. Inst. 4.° Aliquando subsequentes actus interni, licet liberi in se et distincti, pendent a priori: ideo enim ex. gr. hodie rursus vult homo occidere inimicum, quia heri decrevit id facere. Ergo

actus hodierni, seu subsequentes, sunt unum peccatum moraliter cum hesterno seu priori.

Resp. Dist. *ant.* Pendent a priori tantum, ita ut ab eo solum habeant moralitatem, seu libertatem et malitiam; nego. Et pendent aliquando principaliter ab actuali potius quam a priori voluntatis determinatione; conc. *ant.* et dist. *consequens.* Sunt unum secundum quid cum priori seu hesterno actu; conc. Sunt moraliter et simpliciter unum peccatum cum priori; subd. Si actus illi subsequentes sint natura sua veluti media vel modi actum priorem complendi et perficiendi; conc. Aliter; nego *conseq.*

Unde non negamus aliquando ita connecti plures actus liberos internos, ut unum moralem actum perficiant, ita ut satis sit unum actum pravum confiteri. Sic. ex. gr., vult quis conficere inimicum, et inde, media excogitando, decernit eum quaerere, fraudulenter e domo educere, vinculis ligare, vel laqueum illi parare, caput ejus percutere, et cor transfigere. Omnes isti interni actus, pravi vel indifferentes natura sua, unum actum totalem complent, nempe, decretum occidendi hominem. Unde sufficiet ad confessionem dicere; volui homicidum perpetrare, et convenientia media ad id exequendum selegeram. Verum aliquando actus interni non sic connectuntur et sese invicem complent, sed habent singillatim completam malitiam. Sic, qui hodie decernit homicidium facere, potest deinde, memoria injuriarum iram refricando, idem velle, et iterum atque iterum in idem recidere propositum. Item: si statuat, ut facilius scopum assequatur, prius servos inimici confodere ne obstare valeant; vel complicem sibi adjutorem conducere ad homicidium patrandum, etc., etc.; omnes isti, et similes actus, non sunt meae partes prioris actus, sed suam habent plenam et distinctam malitiam, et singillatim declarandi sunt.

§ II.

Quomodo propter actum externum peccata interna multiplicentur.

Dico II. Actus interni pravi, qui ad actus exeunt externos, plura et distincta sunt peccata, si uterque tum internus, tum externus, totaliter interrumpatur, et iterum inchoetur.

192. Probatur et declaratur exemplo. Aliquis v. gr. percussit hominem, et a percutiendo cessavit. At dein reflectens, non esse admodum grave vulnus inflictum, et facile posse percussum convalescere, novum infligit vulnus, certo iterum peccat, ut ex dictis pro distinctione actuum internorum colligitur, nam eadem est

ratio. Nec refert quod interruptio sit magna vel parva: si enim iterata percussio non fuit continuatio prioris et a primo orta actu, habetur plena et moralis distinctio.

193. Verum si dum prosequitur peccator externam actionem, multiplicat et interrumpit internos actus, quaeri potest; utrum inde moraliter multiplicentur peccata.

Dico III. Dum continuatur externa operatio per actiones ordinatas ad consummandum peccatum, licet saepe plures interim eliciantur actus voluntatis, sufficiet ultimum actum consummatum confiteri.

Sic, ex. gr. decernit quis hominem occidere, et inde arripit ensem, exit a domo, quaerit inimicum, et repetitis eum confodit vulneribus, donec eum interficiat. Ita communiter AA. Ratio est, quod omnes isti actus, tum externi, tum interni, efficiunt unum totum ac compositum morale informatum illa priori et efficaci voluntate homicidium patrandi. Deinde; etiamsi probabiliter dici possit, singulos actus internos quibus iterat propositum occidendi, vel vulnera multiplicat, esse distincta peccata; tamen sufficienter humano modo explicantur per confessionem ipsius actus consummati: difficulter enim distingui valent a priori proposito virtualiter in sequentibus actibus internis et externis permanente.

Dixi: *per actiones ordinatas ad consummandum* peccatum. Nam si actiones externae non forent ex se ad id ordinatae, sed aliunde haberent ex se suam completam malitiam; tunc non essent veluti pars actus principalis, neque in confessione hujus comprehenderentur. Puta, si plura quis, unum post aliud, faciat homicidia, vel fornicationes; vel si quaerat socium et inducat eum ad cooperandum crimini, etc.

Dico IV. Ut actio externa moraliter interrumpatur, sufficit, quod prior voluntas qua fuit inchoata non amplius per se, vel per suum effectum, in illam influat; ita ut opus sit nova voluntate ad illam actionem prosequendam.

194. Nam forma necessaria moralis actionis est libera voluntas (D. Thomas 1, 2, q. 21, a 2): ad unitatem ergo moralem actionis externae requiritur, ut aliquatenus informetur una libera determinatione. Unde si prior voluntas retractetur, etiamsi iterum ac cito confirmaretur; vel si oblivioni ab agente tradatur, etiamsi propere recordatus ad eamdem rediret actionem; vel si aliud agere pro tunc placeat, etsi subito inceptum opus perficiendum suscipiat: his modis sane actio externa interrumpetur.

§ III.

De multiplici in uno actu malitia.

195. **Nota.** Non agitur de malitiis specie diversis, de quibus supra diximus: sive actus ille in quo plures ejusmodi dantur malitiae, unum peccatum dicatur propter unitatem entitativam actus; sive multiplex propter plures malitiarum species; certum est ex Tridentino, et etiam ante Tridentinum ex communi DD., numerum illum malitiarum seu circumstantiarum esse declarandum. Sermo igitur est de uno et eodem actu attingente simul plura objecta mala ejusdem speciei. Puta si quis uno ictu occidat tres homines, vel una murmuratione calumnietur integram communitatem, vel sola una execratione pluribus maledicat.

Dico V. In uno actu, plura totalia objecta mala attingente, sunt plures malitiae, et verius dicitur multiplex peccatum, saltem aequivalenter; quidquid autem de hac re sit, oportet confiteri peccatum cum illo multiplici ad plura objecta respectu.

Unde non sufficit dicere: fui homicida; sed dicendum, occidi tot homines: feci adulterium; sed, ego conjugatus feci cum conjugata.

196. I.ª pars probatur. Ubi est multiplex oppositio, seu improportio, ad finem rationis, seu ad honestatem, ibi est multiplex malitia. Atqui in voluntatis actu plura simul objecta mala prosequente, est multiplex improportio ad finem: ergo. *Minor* prob. In tribus objectis malis, puta trium hominum occisionibus, est triplex oppositio ad finem; distinctae enim sunt imo et separabiles inter se illae ad honestatem improportiones. Sed eae improportiones sunt in voluntate, quae in ejus inveniuntur objecto; nam objectum spectat ad substantiam actus, ut supra dictum est (Schol. I); Ergo.

Confir. 1.° D. Thomas (1) ait: «Non est inconveniens quod »unus actus moralis sit in pluribus speciebus moris etiam dispara»tis.» Sicut ergo potest ad duas malitias specie diversas idem actus spectare, a fortiori ad duas solo numero distinctas.

Confir. 2.° In actu eodem intellectus est realis ad illum relatio, nec non ad Deum primam causam et etiam ad objectum ad quod terminatur. Ut autem altius ponamus exemplum: in divinis, duas habet Pater (et respective Filius) relationes reales ad Filium et Spi-

(1) 1, 2, q. 18, a. 10 ad 3.

ritum Sanctum, licet generare et spirare in Patre sint idem simplex realis actus: ergo et in uno actu peccati attingente plura objecta mala completa, plures insunt malitiae.

197. Dices: idem actus nequit habere plures formas; ergo neque plures malitias.

Resp. Dist. *ant.* In esse moris; nego *ant.* In esse naturae; subd. Si formae sint accidentales; nego *ant.* Si fuerint substantiales; iterum subd. Nequit habere plures formas invicem non subordinatas; conc. Ad invicem subordinatas nequit habere plures formas; nego. Ita D. Thomas (1). Vide quoque Suppl. q. 29, ar. 2, ad 1 et 4, d. 23, ar. I, q. 2 ad 1.

198. II.ª pars prob. Cum plures malitiae sunt in eodem actu, plura verius dicuntur peccata, si ratio formalis peccati a malitia desumitur: sed ex hoc quod actus humanus est malus, habet rationem peccati (2); ergo.

199. III.ª pars prob. Cum aliquid fieri simpliciter debet, oportet ut fiat saltem quoad substantiam. Sed objectum est de substantia actus: ergo cum actus attingit plura totalia objecta mala, oportet tale peccatum confiteri cum illo multiplici respectu... etc. Confir. Ideo numerus peccatorum confessione est declarandus, quia de singulis oportet Deo satisfacere. Sed cum plures habet unus actus malitias totales, de omnibus oportet satisfacere; ergo. *Maj.* patet ex Tridentino (3).

200. Obj. Ex dictis sequitur, furem sex viatores simul aggredientem, et argento spoliantem, tot committere distincta furta, et peccata distincte confitenda. Ergo a pari, qui magnam surripit summam ad centum dominos pertinentem, centum debebit furta confiteri.

Resp. Nego paritatem et *conseq.* Nam sex spoliando viatores, sex quoque attingit totalia ac distincta objecta mala: e contra unam magnam rapiendo summam, unum totale respicit pravum objectum, in quo effectus mali, seu omnia damna uniuntur.

Inst. In magna summa plures habentur partes ad malitiam gravem furti sufficientes: ergo singulas in confessione distinguere oportebit, vel saltem totalem declarare quantitatem, ut integrae malitiae fiat confessio.

Resp. Concedo *ant.* et distinguo *consequens.* Singulas partes graves distinguere oportebit; nego *conseq.*: nam sub uno totali objecto, ideoque sub una malitia tota summa fuit sublata. Oportebit totalem saltem confiteri quantitatem; transeat: nam hoc aliunde definiendum est.

---

(1) 1, 2, q. 18, a. 7 ad 1 et q. 20, a. 3.—(2) Ibid. q. 21, a. 11.—(3) Sess. XIV, c. 5.

SCHOLION V.

De circumstantiis notabiliter seu graviter aggravantibus.

201. Utrum aperiendae in confessione ejusmodi circumstantiae, disserunt AA., et alii affirmant cum *catechismo* S. Pii V, uti Cajetanus, Salmanticenses, Suarez, Th. Sanchez, etc., alii autem negant, ut Scotus, Valentia, Vazquez, Lugo, etc., pro qua opinione et laudatur D. Thomas (in 4. dist. 16, Q. 3, a. 2, q. 5). Si argumenta perpendantur extrinseca, aeque probabiles ambae videntur sententiae. Quoad rationes autem intrinsecas prima longe probabilior dicenda. Verum cum temporis angustiae non ferant, ut in hac immoremur, quaestione, laudatos consulas AA. Nonnulla tamen paucis adnotabimus.

202. 1.° In hoc omnes consentiunt, eas circumstantias, quae veniale transferunt in mortale intra eamdem peccati speciem, confiteri oportere.

2.° Auctores secundae sententiae, cum de singulis agunt circumstantiis, multum inter se discrepant in definiendo an illae habendae sint ut simpliciter aggravantes, et ideo, non confitendae, velut peccata multiplicantes. Ex. gr. Si quis simul plures diffamaverit, vel uno impetu plures occiderit, vel spoliaverit, vel eodem passionis abreptus impulsu saepius fornicaverit, etc., alii ajunt in his solum intercedere circumstantias aggravantes, ideoque sufficere si dicatur: occidi, diffamavi, spoliavi, fornicatus sum, de quantitate autem, seu numero, tacendo: alii autem putantes id esse absurdum, docent confitendum esse numerum objectorum, vel actuum, quia distincta sunt peccata.

3.° Non eodem sensu intelligunt circumstantias aggravantes isti qui non esse confitendas existimant. Plures confuse eas omnes sub hoc nomine comprehendunt, quae non afferunt secum malitiam specie diversam a malitia actus quem circumstant; etiamsi secundum se praecise eamdem actus malitiam alia ratione participantes malae graviter sint. Item alii minime perpendunt, utrum circumstantia sit pure accidentalis, vel e contra ad substantiam actus pertineat.

203. E contra D. Thomas eas dicit (1), probabilius non esse de necessitate confitendas circumstantias, quae manent in ratione circumstantiae, id est, quae sunt ad actum accidentales, et ab

(1) 4, Sent dist. 16, Q. 3, a. 2.

eodem inordinationem participant, neque aggravant in infinitum, id est, graviter. Propterea de circumstantiis speciem mutantibus ait (ibid.), quod non sint inter circumstantias computandae, sed novum actum moralem substantialiter diversum constituant. Jam vero praeter illas circumstantias accidentales speciem non mutantes, agnoscit S. Doctor alias ad substantiam actus pertinentes, ait enim (ibid., a. 1, q. 2, ad 6): «Dicendum, quod quantitas »actus ex tribus pensari potest. Primo ex ipsa intensione actus; et »sic idem est quod Quomodo: secundo, ex quantitate objecti (conti»nua vel discreta); et includitur in Quid,» id est in substantiae actus.

Item: explicavit in Summa (1) alias existere circumstantias, quae licet speciem non mutent, habent tamen malitiam propriam non provenientem ex alia, seu ex ipso peccato cujus sunt accidentia. «Manifestum est quod peccatum natum est aggravari per circums»tantias. Sed hoc quidem contingit tripliciter: uno quidem modo »in quantum circumstantia transfert in aliud genus peccati... Se»cundum hoc adulterium est gravius peccatum quam fornicatio. »Aliquando vero circumstantia non aggravat peccatum, quasi tra»hens in aliud genus peccati, sed solum quia multiplicat rationem »peccati; sicut si prodigus det quando non debet, et cui non debet, »multiplicius peccat eodem genere peccati, quam si solum non det »cui non debet, et ex hoc ipso peccatum fit gravius; sicut etiam »aegritudo est gravior, quae plures partes corporis inficit... Tertio »modo circumstantia aggravat peccatum ex eo quod auget deffor»mitatem provenientem ex alia circumstantia; sicut accipere alie»num constituit peccatum furti; si autem addatur haec circums»tantia ut multum accipiat de alieno, erit peccatum gravius; quam»vis accipere multum vel parum de se non dicat rationem boni vel »mali.» Haec prae oculis habenda, ne in pluribus casibus D. Thomae adscribatur usus, seu consequentia aliqua singularis, opinionis illius, quod non sint confitendae circumstantiae aggravantes.

204. 4.° Secunda opinio in eo potissimum nititur, quod Tridentinum Conc. (2) declaraverit quidem, «eas circumstantias in »confessione esse explicandas, quae speciem peccati mutant;» verum de simpliciter aggravantibus omnino tacuerit. Id sane verum est, noluisse Tridentinum litem hanc explicite deffinire, quamvis ex ejusdem doctrina gravia desumat prima opinio argumenta. Duo tamen distincte declaravit Concilium.

a) «Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia... in confes-

(1) I, 2, q. 73, a. 7. —(2) Sess. XIV, c. 5.

»sione recenseri, etiamsi occultissima sint, et tantum adversus duo »ultima Decalogi praecepta commissa, quae nonnumquam animum »gravius sauciant et periculosiora sunt iis, quae in manifesto com»mittuntur (1).» Jam vero in his praescribi et contineri quaecumque spectant ad substantiam malitiae peccatorum gravium, nemo potest dubitare. Consequenter declarandae sunt circumstantiae illae, quae finem operis et finem operantis (vid. supra, Schol. II), ita immutant, ut inde graviter augeatur peccati malitia. Ex. gr. Peccavit aliquis comburendo rusticum tugurium; alius autem flammis tradendo vastissimam urbem: quidam mandavit unum occidi innocentem; alius gladio tradidit omnes populosissimae civitatis, vel regni incolas. Ejusmodi circumstantiae malitiam actus substantialiter graviter mutant; unde peccatum integre quoad substantiam non exponet qui solum dicat: damnum grave intuli: homicida fui. Tamen tugurii, vel civitatis combustio, peccata sunt ejusdem speciei; sicut unius, vel centum mille hominum occisio: non vero sunt ejusdem quoad substantiam malitiae, scilicet illius malitiae quae a fine seu objecto procedit.

b) Declaravit Tridentinum (ibid.): «Colligitur praeterea »etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae spe»ciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa nec a poenitenti»bus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri ne»queat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, »quam oportet, pro illis poenitentibus imponere.» In haec concilii verba duo notabimus. Primum, quod hujusmodi rationes quae exigunt varias species exponere circumstantiarum, pari modo urgent pro omnibus aliis quae peccati malitiam graviter augent; potissimum vero pro illis quae ad substantiam peccati spectant. Secundo, quod istae, quae speciem peccati mutant, circumstantiae, «non sunt jam ut circumstantiae computandae,» ut ait D. Thomas (2); sed ut nova ac distincta peccata, de quorum etiam circumstantiis erit rursus judicandum, uti supra dictum est. Licet ergo Tridentinum noluerit explicite definire hanc theologorum dissensionem, videre necessum est, quid ex illius deducatur doctrina: hoc enim est cujusvis scientiae munus, conclusiones inquirere.

---

(1) Sess. XIV, c. 5.—(2) 4 Dist. q. 16, a. 2, q. 4.

SCHOLION VI.

De confessione peccati dubii.

205. **Nota** I. Quatenus spectat ad confessionem peccati, dubium versari potest circa ipsam confessionem, utrum, nempe, facta legitime fuerit; vel circa ipsum peccatum, utrum fuerit commissum, aut grave vel leve extiterit.

II. Dubium strictum est assensus suspensio, mente ad unam vel alteram partem non valente declinare. Dubium late dictum est mentis inclinatio ad unum cum formidine oppositi; hoc dubium vocatur opinio.

III. Patet quod dubium strictum nequeat in moralibus esse regula recte agendi; quod enim in tali mentis statu proponitur voluntati est indifferenter honestum vel turpe; si ergo ad illud feratur voluntas, tanti facit turpe, quanti honestum; tanti peccatum, quanti Dei obsequium, quod sane gravem injuriam et contemptum Deo irrogat.

IV. Dubium late sumptum, seu assensus mentis cum formidine oppositi, supponendus est prudens, seu ratione gravi innixus; aliter non foret ratio quae judicaret et hominem duceret, sed cujusque caeca libido.

206. **Dico I.** Si quis late dubitet, seu opinetur, de facta confessione, de peccati existentia, vel gravitate; poterit juxta hoc judicium agere, ita ut, si censeat vel peccatum non existere, vel non esse grave, vel jam esse confessum, illud exponere non tenebitur: at debebit illud confiteri, si aliter censeat. Ita Suarezius (1).

I.ª pars patet; nam in data hypothesi agit homo juxta rationem, quae est regula proxima recte agendi (2). Et sane ratio circa practica vocatur prudentia, cujus actus communiter nequit aliud esse quam probabilis opinio, nempe, cum aliqua incertitudine (3), juxta D. Thomam.

207. Dices: si censeat probabiliter non peccasse, et probabilius peccasse, recedet a dictamine rationis, si non confiteatur: ergo imprudenter aget, ac peccabit.

Resp. Distin. *ant.* Recedet ab altero, nempe probabiliori rationis

---

(1) D. 22, sec. 9.—(2) D. Tho. 1, 2, q. 19, a. 3.—(3) Ibid. q. 47, a. 3, ad 2.m; et a. 9, ad 2.m

dictamine; conc. Recedet absolute a ratione; nego. Jam vero sufficit sequi rationem, non autem opus est id sequi quod magis commendat ratio; ideoque negatur consequentia. Nemo enim ad id quod est perfectius obligatur.

208. II.° pars eadem patet ratione. Si enim probabiliter judicat grave admisisse peccatum vel illud non esse confessum, quin possit aliter censere; contra prudentiam, seu recte agendi regulam, procederet, nisi pro tali peccato Deo satisfaceret debita poenitentia, scilicet confessione.

209. Dices. Opinari, licet prudenter, se peccasse, vel peccatum non esse confessum, non est actus scientiae. Sed sine actu scientiae non datur conscientia, ideoque neque obligatio ex conscientia; nam ut ait D. Thomas (1): «Conscientia importat ap»plicationem scientiae.» Ergo stante solo judicio probabili de peccato gravi, vel de eo quod non sit confessus, non est confessionis obligatio.

Resp. Nego *min.* si scientia *stricte* sumatur. D. Thomas autem ad laudata verba adjicit: «Conscientia importat applicatio»nem scientiae vel notitiae humanae.» Et in alio loco, explicans conscientiae conceptum, ait (2): «Dicendum quod cum dico cons»cientiam, non dico vel implico scientiam solummodo stricte ac»ceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo ac»ceptam pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novi»mus, communi usu loquendi, scire dicimur.»

210. **Nota.** In articulo mortis teneretur sic dubitans ad contritionem, nisi alia saltem confiteretur peccata: nam conscientia erronea eximit quidem a peccato, sed non ab iis quae sunt de necessitate medii in re vel in voto.

Dico II. In eo stricto dubio quod deponi non potest per probabile ad alteram partem judicium, varii possunt casus distingui.

211. 1.° Si ejusmodi dubium seu sollicitudo procedat ex gravitate rationum quae pro utraque parte militant, propter quas decernere non audet unum prae alio; tunc indirecte et reflexe poterit judicare se non teneri ad confitendum. Quia rationes graves suadent non existere peccatum, vel peccatum jam esse confessum, et quivis potest gravibus duci rationibus, cum rationes graves seu probabiles sint regulae prudentiae ad honeste agendum. Si autem neque reflexe potest sic quietare conscientiam, et persistat dubium an debeat confiteri... ad id tenebitur.

---

(1) Quodlib. 3, a. 26.—(2) Quest. Disput. q. 17, a. 2, ad 2.m

Pars 1.ª patet ex Dico I. Pars 2.ª ex Nota III. n. 205.

212. 2.° Si istud dubium, proveniat ex subjecti tantum sollicitudine, quin ullae occurrant rationes graves quod peccaverit, vel non peccaverit, quod fuerit confessus peccatum, vel non, sicuti dicimus dubitare, utrum stellae sint numero pares, vel impares, quod vere non est dubium, sed potius ignorantia;

a) Si ita quis dubitet, an peccaverit, non tenetur quidquam confiteri. Nam ait Tridentinum (1): «Oportere a poenitentibus confiteri omnia mortalia, quorum... cons»cientiam habent:» seu «Quibus se Deum offendisse meminerint.» Atqui iste, ut supponitur, nullius peccati, nec quidem objective, meminit, seu conscientiam habet. Quid ergo absque ratione ulla confitebitur? Dicere tantum poterit, se ignorare, an peccaverit, quod confirmare ex Ecclesiaste poterit (2): *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Verum hisce dubiis optimum remedium existit, frequens exercitatio in actibus amoris Dei et contritionis perfectae, quibus plurimum fiducia roboratur: non enim facile putamus graviter offendere, quem multum diligimus.

b) Si autem certus de peccato commisso, dubium, seu ignorantiam habeat, an confessus illud fuerit; sane obligatur ad confessionem. Nam ex peccato commisso et Dei lege oritur vinculum certum ac positivum obligationis confitendi peccatum. Atqui vinculum certum et positivum nequit solvi per meram negationem, seu ignorantiam. Alias debita omnia possent facile sic extingui, discurrendo, quod forsan illud solvi et oblitus sum solutionis; vel cogitando, quod potuit amicus benefactor pro me solvere et id ego ignoro.

ARTICULUS II.

De aliis confessionis proprietatibus.

THESIS XXVI.

Confessio debet esse accusativa, dolorosa et humilis.

213. **Nota.** Plures enumerari solent confessionis perfectae conditiones: nempe:

---

(1) Sess. XIV, c. 5.—(2) IX, v. 1.

«Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens; nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, quae sit parere parata.»

Tria ex his. ad substantiam confessionis spectantia, ostendenda seligimus: nam cetera vel in his comprehenduntur implicite; vel extrinsecus tantum confessionem commendant et communia sunt aliis virtutum actibus, uti quod sit *discreta*, *libens*, *frequens*. *fortis;* vel superius explicata fuere, ut quod sit *fidelis*, *integra*, *parere parata;* vel inferius trademus ut quod sit *secreta*.

214. I.ª pars prob. 1.º Esse accusativam confessionem patet ex natura hujus sacramenti a Christo in forma judiciali instituti. Oportet enim in omni judicio esse aliquem qui delictum accuset et ostendat; atqui hoc munus in Poenitentia ad solum pertinet poenitentem peccata confitentem et accusantem.

2.º Accusatio nihil est aliud quam delicti imputatio et ostensio; non enim accusari dicitur is, cui bona, sed cui mala imputatur actio. Atqui confessio, quatenus est Poenitentiae actio, ordinatur ad Deum placandum debita satisfactione pro culpa, et ad remissionem assequendam: ergo debet esse confessio poenitentis declarativa et imputativa proprii delicti, seu sui accusativa.

215. 3.º Augustinus ait (1): «Avertit Deus faciem suam a »peccatis confitentis et se ipsum accusantis.» Et Chrysostomus (2): «Cujusmodi est medicamentum Poenitentiae et quomo»do conficitur? Primum ex suorum peccatorum condemnatione et »confessione.» Origenes (3): «Si ergo in vita praevenimus »eum, et ipsi nostri et accusatores simus, nequitiam diaboli accu»satoris effugiemus.»

216. II.ª pars. **Nota.** Ad secundam hanc theseos partem intelligendam, quid proprie sit confessio recordari oportet. Physice, seu materialiter, est quaedam expositio seu enarratio peccatorum quae homo fecit: formaliter autem, id est, quatenus est sacramentalis, est confessio sui ipsius accusatio in tribunali Poenitentiae, ut remissionis sententia proferatur. Unde ait Tridentinum (4): Christus D. «Ante hoc tribunal tamquam reos (fideles peccantes) »sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam... possent liberari.» Et rursum: «Ecclesia semper intellexit, institutam esse a Domino con»fessionem quia Dominus Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, »tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina

(1) Serm. 22, apud Migne.—(2) Hom. 9, ad Hebr.—(3) Hom. 3 in Levit. —(4) Sess. XIV, c. 2 et 5.

»deferantur, qui pro potestate clavium, remissionis aut retentionis »sententiam pronuntient... Cum universa mortalia peccata... ho»mines irae filios, et Dei inimicos reddant; necessum est omnium »veniam, cum aperta et verecunda confessione, a Deo quaerere. »Itaque dum omnia peccata Christi fideles confiteri student, procul »dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt.» Unde debere dolorosam esse confessionem.

Prob. 1.° Confessio est sui ipsius accusatio ad criminis remissionem a Deo obtinendam. Atqui sui accusatio non potest ordinari ad remissionem sine detestatione et dolore accusati criminis: ergo confessio debet informari dolore, seu debet esse dolorosa. *Major* ex praemissa nota patet. *Minor* supra probata fuit (1).

217. 2.° Augustinus ait (2): «Nec aliter pia est confessio »peccatorum nisi non desperans, et poscens misericordiam Dei.» Jam vero nemo sperat liberari et misericordiam postulat, nisi de malo de quo dolet et quod detestatur. Alibi (3) explicat Augustinus quare populus, audito confessionis nomine, pectus tundebat: «Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in »pectore, et evidenti pulsu occultum castigare peccatum?... Confi»temur sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est »utraque confessio, sive cum te reprehendis, quia non es sine »peccato; sive cum illum laudas qui non potest habere pecca»tum.» Hieronymus quoque ait, confessionem Poenitentiam significare (4). Ambrosius (5) etiam: «Si vis justificari, fate»re delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda con»fessio peccatorum.» Sed qui fatetur delictum ut de eo justificetur, quique de peccato suo cum verecundia confitetur, illud sane detestatur: ergo. S. Gregorius M. (6): «Nonnulli apertis vocibus »culpas fatentur, sed tamen in confessione gemere nesciunt, et lu»genda gaudentes dicunt. Unde apte subjungitur: *Loquar in ama»ritudine animae meae*. Qui culpas suas detestans loquitur, restat »necesse est ut has in amaritudine animae loquatur: ut haec ipsa »amaritudo puniat, quidquid lingua per mentis judicium accusat.»

218. III. pars clare patet. 1.° Ait Tridentinum supra: «Ne»cessum est omnium veniam cum aperta et verecunda confessione »a Deo quaerere.»

2.° Quid est humilitas nisi propriae vilitatis recognitio, et suae debitae abjectionis voluntas? Atqui vere se objicit et vilem recognoscit qui se verecunde peccati reum accusat, et Deo ejusque sub-

---

(1) Thes. XII.—(2) *Enarr.* in Psal. CV, n. 2.—(3) Serm. 67, Migne.—(4) In Matth. c. XI, v. 25.—(5) De *Poenit.* l. 2, c. 6.—(6) *Moral.* l. 9, c. 10, n. 66, 67.

jicitur ministris, ut secundum divinum beneplacitum satisfaciat: ergo.

219. 3.° Hieronymus (1): «Secunda post naufragium ta»bula est culpam humiliter confiteri.» S. Chrysostomus confirmat et explicat (2): «Medicamentum Poenitentiae sufficit ad de»lenda omnia peccata... Quomodo conficitur? Primum ex suorum »peccatorum condemnatione et confessione. Secundo ex multa hu»militate. Est enim veluti quaedam catena aurea, et si initium ac»ceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatum fueris confessus, ut »oportet confiteri, fit humilis anima: ea enim versans et agitans »conscientia, efficit ut sit contracta.» Vide supra Ambrosium. Gregorius M. (3) iterum: «Haec sunt verae humilitatis testi»monia, et iniquitatem suam quemque cognoscere, et cognitam »voce confessionis nuntiare, et nuntiatam Poenitentiae satisfactio»ne delere.»

220. Obj. Potest poenitens confiteri primum peccata sua, et deinde detestationem et dolorem illorum concipere: et quidem solent confessarii, audita confessione, ad dolorem poenitentes excitare. Sed, his positis, nihil desideratur ad validum et fructuosum sacramentum, quamvis confessio non fuerit dolorosa: ergo confessio non debet esse dolorosa.

Resp. Dist. *min.*, concessa *majori:* si poenitens ita confiteatur, seu peccata sua referat, ut nullatenus confessionem ordinet ad clavium exercitium, nihil desideratur ad validum sacramentum; nego *min.* Si intendat poenitens subjicere peccata sua clavibus, id est, ad absolutionem se disponere, nihil deerit ad sacramentum suscipiendum concepto jam dolore; transeat; vel concedo.

Scilicet, qui confitetur peccata in ordine ad eorum absolutionem per Christi ministrum, vult etiam implicite debitum dolorem de illis concipere. Unde confessio ponitur tamquam medium remotum ad finem absolutionis assequendum; dolor concipitur estque medium proximum complens illud remotum; consequenter ejusmodi actus, nempe, confessio, dolor, et absolutio, unum actum moralem completum perficiunt et se invicem informant. Cum enim ordinaverit poenitens confessionem ad potestatem clavium, permanet moraliter confessio donec proferatur sententia; nam, peracta confessione, et dum absolutionem expectat, continuo, licet tacite, persistit in eo quod confessus est, quasi dicendo: haec, utique, feci; ignoscas. Sicut ille qui prius ad contractum verbis se obstrinxit, dum alterius expectat responsum, perseverat moraliter in sua declaratione.

---

(1) Epis. 84, ad *Pammac.*—(2) Ad Hebr. hom. 9.—(3) In *septem. psal. Explan.* Ps. III, n. 21.

Si ergo in tali statu dolor accedat, informatur confessio et fit dolorosa. Si autem confessio non foret ad absolutionem ordinata, sed ficte peracta, vel fuisset mera, per modum historiae, narratio peccatorum; tunc dolor subsequens nullo modo talem confessionem informaret, ideoque non esset accusativa, dolorosa et humilis, neque sacramentalis.

221. Instabis 1.° Ad validum judicium sufficit causae distincta notitia, et justa judicis sententia. Atqui etiamsi poenitens meram suorum peccatorum exhibuerit narrationem, potest inde confessarius distinctam secundum numerum et species haurire peccatorum notitiam: ergo et validum poterit proferre sacramentale judicium, accedente dolore.

Resp. Dist. *Maj.* Ad civile judicium sufficit, transeat, vel melius nego. Non enim sufficit privata scientia, sed debet esse legitima, seu juridica. Ad sacramentale judicium; nego *maj.* Nam Tridentinum (1) docet, non quidem distinctam confessarii notitiam, sed integram confessionem apertam et verecundam esse partem hujus sacramenti, et necessariam jure divino. Et quidem, cum confessio instituta fuerit a Christo tamquam partialis ac sacramentalis peccatorum Poenitentia ac satisfactio, opus est, ut ex animo procedat poenitenti. Pura autem simplexque peccatorum suorum enarratio nihil animi prae se fert poenitentis, sed potius vanitatem hominis, inverecundam et criminosam jactantiam, et ad peccandum provocationem exhibet. Ejusmodi ergo peccatorum expositio nequit esse supernaturalis ad justificationem dispositio, salutaris Poenitentia, et pars sacramentalis.

Inst. 2.° Inde oportet colligere, quod si vellet peccator, facta tali peccatorum narratione, seriam peragere confessionem; deberet a capite integram ac distinctam confessario expositionem suae vitae iterare: nam prior non fuit accusativa, dolorosa et verecunda. Atqui id videtur plane otiosum, ideoque moraliter absurdum: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Deberet iterare confessionem materialem, seu totidem ac distinctis verbis: nego. Aequivalenter; conc. *maj.* Nam si sacerdos peccata narrata retineat mente ea distinctione qua, e jure divino, confessioni subjicienda sunt, juxta dicta in Thes. XXV sufficiet poenitenti dicere; accuso ea omnia quae tu noscis me fecisse: si autem solum generice, seu confuse, ea memoretur confessarius, debebit poenitens illa distincte repetere, ut fiat sacramentalis confessio juxta jus divinum.

Inst. 3.° Actualis notitia quae in confessario remanet, licet confusa nunc existat, procedit tamen a distincta notitia quam prius

---

(1) Sess. XIV, cap. 5, can. 4.

historice habuit: ergo absolutio, seu sententia, vere procedit a distincta notitia peccatorum, prout requirit Tridentinum.

Resp. Dist. *Conseq.* Procedit a distincta notitia, quae sit a verecunda, accusativa et dolorosa confesione habita; nego: jam vero id requiritur a Tridentino ex jure divino. Procedit a distincta notitia, quae sacramentalis non fuit; conc. Nam, ut supponitur, prior illa enarratio peccatorum vana fuit, vel sine intentione, vel criminosa; ideoque non fuit actus virtutis, neque supernaturalis et sacramentalis esse potuit. Deinde autem cum accedit dolor, et vult poenitens confiteri, nihil aliud confessioni subjicit, nisi quod in actuali notitia confessarii remanet; scilicet notitiam confusam peccatorum: ergo non fit confessio jure divino necessaria. (Vid. infr. n. 223).

SCHOLION.

De dolorosa confessione.

§ I

Quomodo dolorosa fiat confessio.

222. Ad explicandum quomodo dolorosa fiat Confessio, duplex datur sententia. Prima cum *Catechismo* Conc. Trident. docet dolorem praecedere, confessionem subsequi debere. Secunda autem cum Suarez, Vazquez, etc. ait sufficere quod dolor accedat et adjungatur confessioni. Utraque videtur conciliari posse opinio ex dictis in solutione difficultatum. Cum enim dolor certe praecedere debeat absolutionem, confessio autem moraliter perseveret donec poenitens absolvatur; licet prius materialiter fiat confessio, quatenus tamen deinde est dolore jam informata, est formaliter posterius. Hinc videmus confessarios, auditis peccatis, poenitentes ad dolorem excitare: at recte consulunt nonnulli AA. quod deinde adjiciatur: «De omnibus tuis peccatis te accusas, et veniam petis?» Nam sic dolorem vere sequitur confessio, juxta primam sententiam, quae sane probabilis existit. Praeterea elucet, ita esse instituendos fideles, ut cum parantur ad confessionem, prius de peccatis suis doleant. Praeter illam enim, de qua agimus, causam, scilicet, ut vere dolorosam et humilem peragant confessionem; est alia ingens utilitas, nempe, quod dolore et detestatione peccati roborati, longe facilius ac fortius Deo gratum sacrificium confessionis exhibebunt.

§ II

De iteratione confessionis non dolorosae.

223. Ex dictis facile intelligitur. quam gravi causa non assentiretur Suarezius (1) auctoribus dicentibus. posse confessarium absolvere poenitentem ad illum redeuntem post factam confessionem doloris defectu invalidam, etiamsi nullatenus recordetur de auditis in ea confessione; dummodo poenitens aliquam praebeat confusam de peccatis notitiam. Nam illa prior non fuit confessio, utpote invalida: neque est confessio ista nunc tradita confusa notitia: quia confessio debet jure divino esse integra modo supra explicato, in Th. XXV. Sententia nihilominus contraria est juxta S. Ligorium (2) non minus probabilis, dummodo invalida confessio in ordine ad sacramentum recipiendum fuerit facta. Ita etiam Croix (3) qui si confessarius esset status poenitentis omnino oblitus. scite advertit cum Lugone (4) poenitentem teneri: «in tantum saltem distincte »repetere peccata antehac confessa, quantum necesse esset ad hoc »ut ex vi confessionis partim praeteritae partim praesentis, confes»sarius iterum posset formare judicium saltem confusum de statu »conscientiae poenitentis et injungere poenitentiam congruam.»

ARTICULUS III.

De Secreto confessionis.

THESIS XXVII.

Confessio sacramentalis potest per se, id est, valide fieri publice: communiter tamen secreto fieri debet.

224. **Nota.** Confessionis dotes ad eam spectare possunt vel quoad naturam ejus physicam, scilicet, quatenus praecise confessio est; vel quatenus est sacramentalis: hic de prioribus agemus.

---

(1) De Poen. D. XXII, sec. VI, n. 8.—(2) De Poen. n. 502 dub. 1.—(3) De confess. nn. 1216-1218.—(4) De Poenit. D. XVI, n. 642.

I.ª et II.ª pars a Tridentino traditur (1): «Ceterum, quoad »modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus »non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui »humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae of- »fensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est »hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana ali- »qua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica »essent confessione aperienda.»

225. Pars I.ª confir. 1.° Christus D. clavium potestatem Eccle- siae tradidit ad modum judicii exercendam, nulla adjecta limita- tione. Sed etiamsi publice subjiciantur peccata judicio Ecclesiae, eodem prorsus judiciali modo potest ipsa suam exercere potesta- tem: ergo potest valide confessio publice fieri.

2.° S. Basilius (2) ait: «Adulterio pollutas mulieres, et »confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare »quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam »praebeamus: eas autem stare sine communione jusserunt, donec »impleretur tempus Poenitentiae.» Unde in peculiaribus crimini- bus, et ob speciales causas, vetitum erat publicam fieri confessio- nem: per se ergo, seu valide, naturae confessionis non obstabat. S. Leo M. (3) prohibens singulorum peccatorum publicam fieri confessionem ait: «Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse »laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non »veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea »qui Poenitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur tam »improbabilis consuetudo; ne multi a Poenitentiae remediis ar- »ceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta »reserari; quibus possint legum constitutione percelli.» Per se ergo, id est, ex Poenitentiae natura non improbat, imo, laudat Pontifex publicam Poenitentiam, sed solum perpensis particularibus incom- modis, qui sane aliquando abesse possunt. Denique nihil per se adversari naturae Poenitentiae confessionem publicam praeclare ostendit S. Ambrosius (4): «Hoc ergo in Ecclesia facere »fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad obsecrandum »sanctae plebis requiras; ubi nihil est quod pudori esse debeat nisi »non fateri, cum omnes simus peccatores: ubi ille laudabilior, qui »humilior; ille justior, qui sibi abjectior.» Et rursum (5): «Si quis »ergo occulta crimina habens propter Christum tamen studiose »Poenitentiam egerit... Volo veniam reus speret, petat eam lacry- »mis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus.»

---

(1) Sess. XIV, c. 5.—(2) Epist. can. ad *Amphil.* c. 34.—(3) Epist. 86. (80).—(4) De *Poenit.* l. 2, c. 10, n. 91.—(5) Ibid. l. 1, c. 16.

226. II.ª pars confir. S. Leo (ibid.) fieri communiter publicam confessionem reprobat: «Modis omnibus, ait, constituo sub»moveri.» Rationes autem tradit: a) quod induxissent illam singulorum peccatorum professionem publicam contra *Apostolicam Regulam*. b) Quod reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari. c) Quod tam improbabili consuetudine multi a Poenitentiae remediis arcerentur. d) Quod plures ad Poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. S. Chrysostomi vidimus supra (1) explicita testimonia. S. Basilius quaerit (2): «An oporteat vetitas actio»nes citra verecundiam omnibus detegere, an aliquibus dumtaxat, »et quinam hi sint?» Et respondet: «Quemadmodum corporis mor»bos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis »qui horum curandorum periti sunt; ita quoque fieri debet pecca»torum confessio iis qui curare haec possint.»

227. His consonant quae historiator Sozomenus notat (3): «Grave ac molestum ab initio jure merito visum est Sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt: ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur.» Paulinus S. Ambrosii comes ac notarius, nec non ejusdem vitae, ex mandato S. Augustini, scriptor, refert: «Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam Poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret... Causas autem criminum quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines.» Vide reliqua (4) quibus confessionis meritum commendat Paulinus.

228. S. Augustinus (5) docet, ad claves quidem Ecclesiae pro quovis mortali peccato veniendum esse; de Poenitentia autem publica ait: «Id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Poenitentiam, non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem.»

---

(1) Th. XVI, n. 111.—(2) *Reg. brev. Interrog.* 229.—(3) Hist. Eccles. l. 7, cap. 16.—(4) Migne, Opera S. Ambr. tom. 14, p. 43, n. 39.—(5) L. de *Poenit.* seu Serm. 351, n. 9.—(6) *De Poenit.* c. 9, 10.

229. Obj. 1.° Tertullianus (6) describens necessariam post Baptismum exomologesim, publicam illam esse exhibet: «De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cinere incubare... Plerumque vero jejuniis preces alere... presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere. Haec omnia exomologesis, ut Poenitententiam commendet.... et temporali afflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat... Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, praesumo, pudoris magis memores, quam salutis.»

Resp. Dist. seu explico Tertulliani mentem. Ejusmodi refert, ut significet spectare ad exomologesim pro quibuslibet peccatis peragendam; nego. Quatenus juxta varia peccatorum genera, et occurrentes circumstantias, illi actus praescribebantur; conc. lta intelligendum Tertullianum patet non tantum ex aliorum Patrum dictis, et Ecclesiae disciplina sacris expressa canonibus; sed ex ipsius Tertulliani contextu, quo indicat, non semper Poenitentiam iis actibus perfici debuisse. Primum id proponit quod est essentiale: «Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione Poenitentia nascitur. Poenitentia Deus mitigatur.» Deinde variam disciplinam ad id exterius perficiendum describit; quam tamen non semper adhibendam fuisse indicat: «Plerumque vero jejuniis... etc.»

Similes S. Ambrosii aliorumque Patrum sententias pari ratione facile explicabis.

Obj. 2.° Primis saeculis tenebantur fideles publice peccata confiteri: ergo haud vere Tridentinum dicere videtur, quod id «Nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur.»

Resp. Dist. *ant.* Peccata publica confiteri tenebantur; permitto, vel conc. Occulta peccata; nego, vel subd. Si libenter ejusmodi confitendi ac satisfaciendi modum acceptabant; conc. Tenebantur necessario; nego *ant.*, tametsi aliqui AA. id concedunt. Ad *conseq.* respondeo negando quod illud non vere dixerit Tridentinum. Verum AA. qui concedunt, primitus illam existitisse legem peccata etiam occulta palam confitendi, respondent: loqui Tridentinum de praesentibus circumstantiis et Ecclesiae disciplina, quae prioribus saeculis aliae prorsus erant.

Inst. Sozomenus (1) ait: «Cum in petenda venia peccatorum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante

(1) L. 7, c. 16 (In Ps. XXXVII, hom. 2).

totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praestiterunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur.» Atqui non nisi tempore Decii, vel paulo post, haec fuit constituta disciplina; ergo prius debebant evulgari crimina, nempe occulta.

Resp. Dist. *conseq.* Prius erant evulganda crimina ad perficiendam confessionem sacramentalem; nego *conseq.* Cum debebant pro peccatis publicis, vel volebant pro occultis sponte subire Poenitentiam publicam; conc. Poenitentia enim ista ab Episcopo cum consilio Presbyterorum imponenda erat. Hujusce disciplinae duo sufficiant argumenta; alterum Origenis qui ante Decium floruit, aliud vero recentius ex S. Augustino. Origenes quidem ait (1): «Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina; quia oportet peccatum non celare intrinsecus... Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam. Ut ita demum si quid ille dixerit... si quid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio, procurandum est.» Ex his elucet quid ad peccati remedium per se requirebatur, scilicet, confiteri peccatum ei qui posset illud delere: «Si autem ipse sui accusator fiat, ait Origenes (ibid.), dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam.» Talis ergo occulta accusatio erat et sacramentalis et sufficiens. Expositio autem peccati in conventu totius Ecclesiae, ex consilio confessarii et multa ad hoc deliberatione aliquando accedebat.

Vide quoque in probationibus Thes. S. Augustini mentem.

230. Obj. 3.° Nectarius, Constantinop. Patriarcha, Praesbyterum Poenitentiae praepositum abolevit ut placaret populi indignationem, inde ortam, quod matrona nobilis prodidisset, se fuisse a quodam Diacono stupratam. Sed neque fuisset tanta in Presbyterum Poenitentiarium indignatio, neque eum Nectarius expunxisset, nisi coacta mulier illa fuisset a ministro Poenitentiae ad publicam stupri admissi confessionem: ergo.

Resp. Nego *min.* et deinde *consequens* et *consequentiam*. Nam nullus historiator narrat, mulierem illam per confessionem peccatorum

(1) Homil. 2 in Ps. XXXVII.

suorum stuprum populo revelasse: quo pacto autem venerit factum in notitiam multitudinis non liquet. Potuit quidem ipsa id prodere, vel quod in Diaconum irata fuisset, vel imprudenti affectu humilis confusionis, vel alia simili de causa. Item populi in Poenitentiarium commotio potest optime explicari, ex eo quod fuerit mulier stuprata in Ecclesia, dum publicam jejuniorum et supplicationum Poenitentiam expleret a Presbytero sibi impositam: et quidem ista totius scandali extitit occasio.

THESIS XXVIII.

Ex confessione Sacramentali stricta exurgit secreti a ministro servandi obligatio, quae tum in jure ecclesiastico, tum in naturali, tum in divino positivo fundatur.

231. **Nota** 1. Ejusmodi arcanum confessionis vocatur a theologis, *Sigillum Sacramentale;* eo quod per sacramenti sanctitatem ita manent ea quae in confessione revelantur obsignata, ut in nullo casu, nulli personae, nulla necessitate, possint, invito poenitente, aperiri, neque post ejusdèm mortem, etiamsi totius reipublicae salus in discrimen veniret.

II. Objectum sacramentalis arcani sunt omnia illa, quae in confessione dicuntur ad absolutionem ordinata, quorum revelatio difficile vel odiosum posset exhibere sacramentum. Ita DD. communiter.

III. Cum autem ministro confessionis possint, pluribus ex causis, homines secreta sua revelare, illa tantum intelligitur confessio sacramentalis, quae est; *suorum peccatorum legitima et voluntaria accusatio facta Sacerdoti* (saltem existimato) *ad impetrandam remissionem virtute clavium.*

232. I.ª pars prob. Concil. Later. IV, c. 21, mandavit: «Caveat autem (confessarius) omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat: quoniam qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali judicio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuo poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.»

233. II.ª pars prob. 1.° Secretum revelare in iis, quae ad famam proximi laedendam pertinent, juri naturali adversatur. Sed talis est revelatio sacramentalis secreti: ergo.

2.° Qui ex pacto depositi servandi rem pretiosam suscipit, tenetur eam ex justitia custodire: atqui confessionis secretum ex con-

tractu inter ministrum et poenitentem servari debet, atque uti res summi pretii tale secretum jure aestimatur: ergo ex obligatione justitiae tenetur sacramenti minister ad secretum servandum. *Min.* patet. Fideles enim non revelarent peccata, si scirent non accipi sub arcano secreti: et theologi communiter fatentur non obligari poenitentes nisi hac conditione.

234. III.ª pars prob. Vult Christus D. sacramenta sancte tractari; vult quoque et mandat, ut homines illis ad salutem suam et totius Ecclesiae utilitatem utantur. Atqui nisi confessionis arcanum firmissime servaretur, injuria sacramento fieret et ab eodem fideles averterentur: ergo ex jure divino secretum stricte servandum est. *Min.* evidens est; nam sublato secreto fieret hoc sacramentum hominibus odiosum, intolerabile, et paci Ecclesiae adversum, ejusdemque ruinae causa. Videas thesim praec. in II.ª Parte.

235. Obj. Ex sacramenti Poenitentiae institutione non deducitur sigilli obligatio, si Christus nihil ea de re nobis declaravit, et aliunde poterat constringere ad peccata publice confitenda. Atqui neque quidquam de ea obligatione Dominus explicavit, neque repugnat quod publicam praescriberet confessionem. Ergo.

Resp. Permissa majori, vel concessa quoad sensum brevi explicandum, dist. *minorem*. Dominus nihil ea de re declaravit per consensum et traditionem Ecclesiae; nego. Immediate per se ipsum; transeat. Item: non repugnat quod confessionem publicam statuerit; dist. Quatenus absolute non repugnat quod reprobet et aeternae tradat damnationi innumeros peccatores postquam peccatis inquinantur; conc. Quatenus neque repugnet suavi ejus providentiae pro salute animarum, et suavi Evangelii jugo, sub quo sincerissime voluit tum justos, tum peccatores omnes salvos fieri; nego. Hoc sacramentum est medium cum salute necessario connexum, et exigit omnium peccatorum etiam occultorum, et cujuscumque sint malitiae ac turpitudinis, confessionem; aliunde est Novi Foederis, id est, Legis Gratiae ac misericordiae sacramentum; quam legem ipsa Christus *jugum suave ac leve* appellavit, dicens: se, uti bonum venisse Pastorem, ut *quaereret et salvum faceret quod perierat*. Tale ergo sacramentum dicimus natura sua postulare, ut Christus illud sub obligatione stricti sigilli instituerit.

SCHOLIA.

236. I. Duplex in revelatione sigilli est principalis malitia. 1.° Sacrilegii, quia injuria ac irreverentia fit sacramento, ut dictum est. 2.° Injustitiae, et quidem duplici ratione: nempe; quia solvitur pactum virtuale inter ministrum et poenitentem initum; et quia

hujus laeditur fama. In hoc peccato, quatenus sacrilegium est, non dari parvitatem materiae, communiter cum Suarez docent AA.

237. II. Materia sigilli sunt omnia illa quorum revelatio cedere potest in onus poenitentis, seu confessionem onerosam, odiosam et molestam reddere poenitentibus potest.

III. Si quae dicat poenitens, neque proxime, neque remote ad clavium potestatem ab eo ordinata sint, non veniunt sub sigillo. Puta si diceret poenitens confessario se habere centum millia aureorum; non esset materia sigilli, etiamsi secretum peteret dicens: sub sigillo confessionis hoc tibi revelo.

238. IV. Ad sigilli obligationem solus tenetur, per se loquendo, legitimus minister cui fit sacramentalis confessio. Verum quia aliquando possunt alii Sacerdoti, ex licentia poenitentis, associari ad defectum aliquem vitandum, puta, interpres sermonis, qui poenitentis exponat confessionem, vel consiliarius, qui scientiae defectum in ministro suppleat; isti tenentur quoque ad sigillum, quia unam personam moralem cum ministro constituunt, et cooperantur ad rectam sacramenti administrationem. Cum enim id exigat sanctitas sacramenti, ut digne, quantum fieri possit, administretur; sane si quis mediis ad id proxime ordinatis abutatur in detrimentum ipsius sacramenti, injuriam illi irrogat, ideoque non tantum secretum violat commissum, et poenitentem diffamat, sed etiam sacrilege agit.

CAPUT V.

De natura Poenitentiae quatenus est absolutio.

ARTICULUS I.

De sensu formae absolutionis ejusque ministro.

THESIS XXIX.

Sensus formae sacramenti Poenitentiae, scil., «Ego te absolvo etc.,» est Ego, quantum ad me spectat, confero tibi gratiam remissivam peccatorum.

239. **Nota.** I. AA. de hisce formae (1) verbis quaestiones plures instituunt, tum ad singulorum verborum necessitatem definiendam, tum ad sensum declarandum. In primis in eo fere conveniunt omnes: ad liceitatem quod spectat, debere formam proferri juxta Ecclesiae usum et praescriptionem; nempe: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Aliae, quae solent adjungi preces, non sunt necessariae; imo, sine peccato posse omitti, docent plures cum Navarro; quod videtur innuere Tridentinum (2) dicendo: quod «laudabiliter ex more »Ecclesiae adjunguntur... nec ad administrationem hujus sacra»menti sunt necessariae.»

II. Sufficere ad validum sacramentum diversa verba, dummodo retineatur sensus, puta: *Remitto tibi*, vel, *condono peccata*, vel alio modo aequivalenter, docent Cajetanus, Suarez, Valentia, etc. Verum jure observant, non sufficere formam deprecativam, sed requiri absolutam et indicativam temporis praesentis: nam institutum est sacramentum ad modum judicii, et ideo minister indicare absolute debet, utrum absolvat, non vero an absolvere desideret.

III. Pronomen *Ego* non est necessarium, quia sufficienter significatur in verbo absolvo: tamen quidam sentiunt non posse sine levi culpa omitti; alii nullam in eo esse culpam judicant. Similiter docent aliqui cum Valentia, Soto, etc., non esse veniale peccatum, secluso scandalo vel contemptu, invocationem omittere SSmae. Trinitatis; et sane, non esse essentialem tenent communiter theologi cum D. Thoma.

IV. Praecipua dissensio est, utrum sufficiat dicere, *Absolvo te*, omissis sequentibus, nempe; *a peccatis tuis*. Nonnulli putarunt, necessaria esse verba: «Absolvo te ab *omnibus* peccatis tuis:» nam ita docuit Conc. Moguntinum c. 24. Verum id dici nequit, cum in *rituali Rom.* illud omnibus non adhibeatur; imo venialia peccata saepe non remittit sacerdos. Non pauci cum Soto Petr. dicunt necessario dicendum «a peccatis tuis:» quia alias indifferens et ambiguus sensus est vocis *Absolvo*. Valde communis sententia tenet cum D. Thoma, compleri essentiam formae in iis solis verbis: *Absolvo te*. Quia, auditis peccatis in sacramentali confessione, id est, in ordine ad claves, sola illa verba, cum subjecta materia, sat clare significant absolutionem intelligendam de peccatis. Sicuti si petas ab alio rem quam tu ostendis, si tantum dixerit, dono tibi; perspicue condonatio talis rei significabitur.

---

(1) Vide, supra, Thes. XIX, n. 126.—(2) Sess. XIV, c. 3.

240. Prob. Thesis. Forma debet esse significativa effectus sacramenti. Atqui Poenitentiae effectus est gratia ad remissionem peccatorum ordinata; ergo. Confir. Ea debet esse formae sacramentalis significatio, ut, posito quod sit valida, seu vere sacramentalis, numquam sit falsa. Atqui juxta dictam in thesi significationem, forma Poenitentiae est semper vera, si fuerit valida; e contra, falsa inveniretur juxta alias significationes: ergo. *Minor* difficultatum solutione erit manifesta.

241. Obj. 1.° Non repugnat ut sacramentum sit validum, et simul sine effectu, seu informe, ut dictum est supra (1). Sed tunc non confertur gratia: ergo forma est simul sacramentalis et falsa.

Resp. Dist. *min.* Non confertur gratia quantum est ex vi sacramenti, ac proinde sublato obice; nego. Non confertur propter obicem suscipientis; conc. Ita, non falso loquitur qui sincere et sufficienter, quantum ab eo pendet, dicit; dono tibi hanc rem; etiamsi alter non accipiat.

242. Obj. 2.° Qui confitetur sola venialia, non accipit gratiam remissivam illorum; gratia enim venialibus non opponitur: ergo falsa tunc invenitur formalis significatio.

Resp. 1.° Nego *conseq.* Nam per se hoc sacramentum est ad delenda mortalia institutum; gratia autem ex se vere est deletiva mortalium: judicium de re aliqua, vel dicto, juxta id ferri debet, quod ei convenit per se.

Resp. 2.° Dist. *ant.* Gratia formaliter non est opposita venialibus; conc. Quatenus est sacramentalis et connexa cum applicatione meritorum Christi, quorum applicatione fit remissio venialium; nego. Deinde secum fert illa gratia jus ad auxilia quibus, bene agendo, venialia etiam condonantur, ideoque est effective remissiva illorum.

243. Obj. 3.° Sacramentum hoc etiam iis ministratur, qui nulla habent peccatorum vincula. Sed de eo qui nullis ligatur vinculis, falso quis diceret; *Ego te solvo;* etiamsi, quantum ex se penderet, vere intenderet et conaretur illum solvere: ergo et falso dicitur de iis, quorum remissa sunt peccata; *Ego te absolvo.*

Resp. Dist. *maj.* Ministratur iis, qui nulla habent, neque habuere peccata: nego. Qui actu non habent peccatorum vincula; conc. Item: dist. *min.*, vel potius nego paritatem. Nam ei, qui vinculis liber existit materialibus, nihil confertur quod valeat vincula prius habita dissolvere: e contra, in Poenitentiae sacramento id confert Sacerdos, quod per se priora excludit vincula, et reapse dissolveret si adhuc existerent.

(1) Thes. XXIV. Schol. III. n. 172.

SCHOLION.

Opiniones de sensu absolutionis rejiciendae.

244. I.ª Aliqui theologi dixerunt, formam *Ego te absolvo*, significare absolutionem a poena aeterna, cum Deus solus prius remittat culpam. Verum hoc recte non dicitur; nam in primis veritati formae et potestati sacerdotali minime consonat: deinde, ipsa gratia, qua peccatum remittitur, et condonat poenam aeternam, quum illa per se ordinet etiam ad gloriam.

II.ª Alii putarunt, per sacerdotis absolutionem voto susceptam in praecedenti contritione, remitti peccata; deinde autem, cum absolvit Sacerdos, remitti tantum confitendi obligationem.

Rejicitur quoque communiter haec opinio; tum quia non congruit veritati verborum, quia nomine peccati intelligi nequit obligatio confessionis; tum quia supponit, contritionem esse dispositionem necessariam, quod supra rejectum est.

III.ª Cum S. Bonaventura censuerunt nonnulli, poenas solum temporales remittere sacerdotem ex opere operato: de congruo tamen et ex opere operantis posse impetrare aliquando poenitenti primam gratiam, per illas preces nomine Ecclesiae adjunctas.

Haec tamen falsa esse, et jure communiter improbari, ex antea dictis patet. Non videtur posse ullo modo conciliari cum doctrina Ecclesiae de potestate remittendi peccata eidem a Christo concessa.

IV.ª Idem censendum de Magistri Sent. opinione juxta quam, sensus formae, *Ego te absolvo*, esset: «Ego te declaro absolutum per contritionem praecedentem.» De hac opinatione ait Suarezius (1): «Verumtamen haec sententia Magistri falsa est, et jam hoc tempore erronea, de qua recte dixit Richardus Vic. l. de Potest. ligandi et solvendi, c. 21: Extat quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda potius, quam refellenda videatur: putant enim sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos: sed numquid Dominus dixit: quod solutum ostenderitis, erit solutum? etc.»

---

(1) Disp. 19. Sec. 2, n. 4.

THESIS XXX.

Peccatorum absolutio in sacramento Poenitentiae ad Sacerdotes, et quidem ad eos solos pertinet.

245. **Nota**. Sacerdotis nomine, tum Episcopos, tum Presbyteros intelligere oportet. Nam utrique Sacrificium offerunt vi proprii ordinis, quod quidem characterem exhibet dignitatis sacerdotalis, testante Apostolo (1). Jam vero Presbyteros omnibus semper functos esse muneribus, praeter ordinum collationem, testatur perpetua Ecclesiae praxis. Hinc Hieronymus (2) dicit: «omnia »facere Presbyterum, quae facit Episcopus, praeter Ordinationem.» S. Cyprianus (3) vocat simpliciter nomine Sacerdotum Presbyteros: «Neque hoc in Episcoporum tantum et Sacerdotum, sed et »in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadver»timus.»

246. I.ª pars prob. 1.° Trident (4): «Si quis dixerit Sacer»dotes potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sa»cerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis »Christi fidelibus esse dictum: *Quaecumque ligaveritis super ter»ram... et quorum remiseritis peccata... anathema sit.*»

2.° Origenes (5): «Est autem, ait, septima peccatorum remis»sio, cum peccator non erubescit Sacerdoti Domini indicare pecca»tum suum.» Cyprianus etiam (6): «Confiteantur singuli de»lictum suum... dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotem »apud Deum grata est.» Vide hic supra, in nota, S. Hieronymi testimonium. Innocentius I (7) ait: «De pondere delicto»rum aestimando, Sacerdotis est judicare.» S. Ambrosius (8): «Impossibile videbatur per Poenitentiam peccata dimitti: concessit »hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum offi»cia transmissum est.»

247. II.ª pars prob. 1.° Patet ex laudato Tridentini canone. Martinus V, jussit suspectos errorum Wicleff et Huss interrogandos: «Utrum credat, quod christianus, ultra contritio»nem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de ne»cessitate salutis confiteri teneatur; et non laico seu laicis, quan»tumcumque bonis et devotis.» Damnatus quoque a Leone X

---

(1) Hebr. V, VIII.—(2) Ep. ad *Evang.* 146.—(3) Ep. 68.—(4) Sess. XIV, can. 10.—(5) Hom. 2, in Levit.—(6) L. de *Laps.* n. 29.—(7) Ep. 1, ad *Decent.*—(8) De *Poenit.* l. 2, c. 2, n. 12.

Lutheri error 13: «In sacramento Poenitentiae ac remissione cul-»pae non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: »imo, ubi non est Sacerdos, aeque tantum quilibet christianus, »etiamsi mulier aut puer esset.»

2.° Ambrosius (1): «Ecclesiae utrumque licet (alligare et relaxare peccatum), haeresi utrumque non licet; jus enim hoc solis »permissum Sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, »quae veros habet Sacerdotes: haeresis vindicare non potest, quae »Sacerdotes Dei non habet.» Hieronymus adnexam esse docet officio Sacerdotum potestatem remittendi peccata: ait enim (2): Quod sicut ad antiquos Sacerdotes pertinebat de lepra judicare; «Sic et hic alligat Episcopus et Presbyter... pro officio suo, quum »peccatorum audierit varietates.» Similiter loquitur Chrysostomus (3): imo dicit, quod Sacerdotes «potestatem acceperunt, »quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus.» Tantam autem commendat Chrysostomus potestatem, ut ostendat, non ex contemptu vel superbia recussasse sacerdotium: «Is qui a »Deo tanto majorem potestatem accepit, quanto coelum terra pre-»tiosius est, et quanto animae corporibus, ita exiguum nonnullis »videtur honorem accepisse, ut cogitari possit, quemquam hoc sibi »concreditum donum despicere. Apage insaniam. Insania namque »manifesta est, tantum principatum despicere, sine quo neque sa-»lutem, neque promissa bona assequi possumus.» Patet igitur, potestatem clavium non esse fidelibus omnibus concessam, sed propriam omnino potestatis sacerdotalis. S. Cyprianus (4) ait: »Ad Sacerdotes spectare lapsis tribuere pacem et spei salutaris au-»xilium.» S. Basilius (5): «Consilium benignitatis Dei in »peccantibus manifestum est, juxta id quod scriptum est: *nolo mor-»tem peccatoris*... Quoniam igitur conversionis modus debet pecca-»to congruere, ac etiam opus est fructibus dignis poenitentiae... »peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concre-»dita est dispensatio.»

248. 3.° Ex dictis facile erit S. Scripturae intelligere verba, et ex his thesim confirmare. a) Apostolus ait (6): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Atqui peccatorum remissio est quoddam sacramentum, seu mysterium Dei: ergo ad Apostolos et successores in eorum ministerio solum pertinet haec potestas. b) Dedit Apostolis hanc potestatem Dominus, uti ministris ab eo missis ad mundi salutem: atqui ejusmodi missio non est omnibus communis, sed Apostolorum propria et succeden-

---

(1) De *Poenit.* l. 1, c. 2.—(2) Supra, Thes. XVIII, n. 123.—(3) De *sacerd.* l. 3, c. 5.—(4) Epist. ad *Cornel.*—(5) *Reg. Brev.* 288.—(6) I Cor. IV, 1.

tium in officio: ergo. *Major* ex contextu (1) patet. *Pax vobis: sicut misit me pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata... etc.*

249. Obj. 1.° S. Jacobus (2) dicit: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo et absolutio a quolibet impertiri potest.

Resp. Dist. *ant.* seu explico. Confitemini, fideles, peccata vestra aliis fidelibus ministerium habentibus ad peccata remittenda; conc. Confitemini peccata fidelibus quibuscumque; nego. Hunc esse Apostoli sensum elucet ex contextu: nam prius dixerat: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae... et si in peccatis sit, remittentur ei.* Etenim sciebant fideles omnes, quibus fieri debebat confessio, et ut indicaret Apostolus Spiritus Sancti dona ad mutuam fidelium utilitatem, tamquam unius corporis membra, esse concessa, dicit: *Confitemini alterutrum.* Pari modo hortabatur Paulus (3): *Subjecti invicem in timore Christi:* id est, mulieres viris, filii parentibus, etc., juxta cujusque gradum, non vero indiscriminatim; uti universim Petrus edocebat (4): *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.*

250. Obj. 2.° In prioribus saeculis facultas dabatur Diaconis peccatores, absentibus Praesbyteris, reconciliandi; ut patet ex can. 32. Illiber. Concilii, et S. Cypriano, etc. Ergo.

Resp. Dist. *ant.* Reconciliabant Diaconi poenas canonicas remittentes, et suscipiendo lapsos in Ecclesiae communionem; conc. Remittendo peccata: nego. Nam quemadmodum existebat, praeter sacramentalem, Poenitentia canonica; ita duplex erat reconciliatio, seu absolutio: uti juxta praesentem disciplinam, datur quoque a censuris absolutio, quae non exigit ordinem sacerdotalem.

Inst. Cyprianus eam permisit Diaconis exomologesim accipere ab infirmis, et manuum impositionem, seu absolutionem illis impertiri, eo scopo, ut morientes «*Veniant ad Dominum cum pace;*» ergo erat sacramentalis absolutio.

Resp. Dist. et explico Cypriani verba. Cum pace Ecclesiae et poenarum indulgentia; conc. Cum pace Dei, seu remissione culpae; nego. Id patet etiam ex sequentibus: concedit enim illam pacem ex meritis martyrum, ideoque de indulgentia poenarum est intelligenda.

251. Obj. 3.° Sicut solis Apostolis commisit Christus potestatem remittendi peccata; ita iisdem tantum dixit: *Docete omnes gentes.*

---

(1) Joan. XX, 21-23. — (2) V. 16. — (3) Eph. V, 21. — (4) I.ª Epist. IV, 10.

baptizantes eos in nomine Patris, etc. Atqui Baptismus valide confertur etiam a laicis: ergo et remissio peccatorum.

Resp. Dist. *maj.* Solis commisit Apostolis potestatem absolvendi et baptizandi, et eodem modo, seu restrictione; nego *maj.* Dispari modo; conc. Unde, quod munus praedicandi et baptizandi ex officio per mundum universum exercerent Apostoli nomine Christi, id solis illis concessit Christus; et talis potestas cum plena potestate remittendi peccata potest comparari. Quod autem potestatem remittendi peccata possent eodem modo per alios exercere, sicut facultatem praedicandi et baptizandi; hoc non concessit Christus, neque eadem est utriusque potestatis ratio. Nam, 1.° potestas remittendi peccata collata est per specialem consecrationem: *Accipite Spiritum Sanctum....* Quapropter ostendit Dominus eam potestatem debere speciali sacramento esse adnexam. 2.° Haec potestas est judicialis: atqui tale munus nequit omnibus esse commune, sed gradum aliquem hierarchicum exigit. 3.° Baptismus est spiritualis regeneratio etiam infantibus necessaria, qui nequeunt proprio voto, seu merito, eam sibi comparare: unde oportebat facultatem baptizandi etiam laicis posse committi. 4.° Denique, accedente traditione Ecclesiae, manifeste patet nullam dari paritatem inter baptizandi et absolvendi peccata potestatem.

Inst. Etiam per Baptismum remittuntur peccata: ergo si haec remissio non exigit ordinem sacerdotalem, neque poenitentialis absolutio eum postulat.

Resp. Dist. *ant.* Baptismo remittuntur peccata, necessario seu essentialiter; nego. Si adsint peccata; subdist. Remittuntur per modum regenerationis, seu creationis (1); conc. *ant.* Proferendo in reum sententiam; nego. Baptismo renascimur in Christo ut simus in eo nova creatura, et ideo et pueri, qui judicio subjici nequeunt, et justi omnes baptizandi sunt. E contra, clavibus Ecclesiae, ad modum judicialis potestatis collatis, soli adulti, peccatis post Baptismum infecti, subjici possunt. Unde, sicut hujusmodi Baptismi conditiones innuunt, et traditio confirmat, posse ab omnibus valide ministrari, ita, e contra, supra dictae, quae comitantur potestatem clavium, notae ostendunt, non esse ad omnes protrahendum.

252. **Scholion.** Nonnulli ex antiquis theologis censuerunt, adeo urgere confessionis necessitatem, ut si, periculo imminenti, non praesto esset Sacerdos, deberet aliis, etiam laicis, peccator confiteri. Verum non putabant isti ejusmodi confessione perfici sacramentum, sed impetrari, humilitatis merito, divinae misericordiae subsidium aliquod ad Dei placandam justitiam. Sic Magister

---

(1) Galat. VI, 15.

Sent. (1) ait: «Si defuerit Sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio... Tanta itaque est confessionis vis, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo... Et si ille cui confitebitur potestatem non habeat solvendi, fit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio.» Unde juxta hanc opinionem putant nonnulli interpretandum illud Juris (2): «Fures, si furando comprehensi, vel vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.» Verum alii censent, mendum in textum irrepsisse: nam in Conc. Tribur., unde sumptus hic can. 31, habetur: «Si comprehensi et vulnerati, Deoque et Sacerdoti confessi.»

ARTICULUS II.

De jurisdictione requisita in ministro absolutionis.

THESIS XXXI.

Debet Sacerdos jurisdictionem ordinariam vel delegatam habere, ut validam proferat peccatorum absolutionem.

253. **Nota.** I. *Ordinaria* Sacerdotis *jurisdictio* est illa, quam habet ratione officii cui jure divino, vel ecclesiastico est adnexa: *delegata* autem illa dicitur, quae habetur ab alio ordinariam jurisdictionem habente.

II. Jurisdictio est potestas ad directe imponendam obligationem aliquam moralem, vel ad solvendum directe ab illa. Dicitur jurisdictio *fori externi*, cum directe ad externam respicit Ecclesiae gubernationem: et vocatur *fori interni*, si directe versetur in regimine interno animarum. Jurisdictio Ecclesiastica et civilis differunt ratione finis ad quem tendunt: illa, scilicet, ad supernaturalem animarum salutem (3); haec ad finem societatis, nempe, convivere secundum rectam rationem.

254. Thesis habenda uti doctrina catholica certa. Prob. 1.° Tridentinum docet (4): «Nullius momenti absolutionem eam esse »debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut »subdelegatam non habet jurisdictionem.» Similia tradidit Later. Concilium gener. IV, c. 21; et Florent. in Decreto pro *Armenis*.

---

(1) 4, Dist. 17, a. 3.—(2) C. *Fures*, Extra: de *furtis*.- (3) Marc. XVI, 15, 16. Ps. LXXXVIII, 4.—(4) Sess. XIV, c. 7.

255. 2.° Sacerdos absolvens a peccatis remittit debitum culpae et poenae aeternae, et injungit poenam aliquam ad satisfactionem divinae justitiae. Sed id fieri non potest, nisi poenitentis obligatio pendeat ab eo, qui illam aufert, vel injungit; seu, nisi subdatur poenitens jurisdictioni absolventis: ergo debet Sacerdos... etc.

256. Obj. Jurisdictio potest separari ab ordine sacerdotali: sed potestas absolvendi a peccatis est necessario adnexa sacerdotio: ergo non opus est jurisdictione, ut Sacerdos valide absolvat a peccatis. *Maj.* patet ex Tridentini et aliorum conciliorum doctrina. *Minor* constat ex eodem Trid. (1): «Dominus Sacramentum Poenitentiae instituit... dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata...* Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata... Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.» Atqui haec profert Ecclesia verba in consecratione omnium Sacerdotum: ergo.

Resp. Dist. *min.* Potestas absolvendi inadaequata, id est, quatenus est potestas Ordinis, est necessario adnexa... conc. Potestas adaequata, seu in actu primo proximo, id est, quatenus est potestas legitimae jurisdictionis, est necessario nexa Sacerdotio; nego. Haec difficultas pleniorem postulat explanationem, quam exhibere tentabimus, qua possimus brevitate.

SCHOLION.

De necessaria ad potestatem clavium jurisdictione.

§ I.

Nodus difficultatis.

257. Doctrina Ecclesiae in thesi praecedenti tradita, propter difficultatem nuper propositam, in varias traxit theologos sententias; quia primo aspectu haec duo conciliari non posse videntur: vera, nempe, potestas Sacerdotibus tradita ad remittenda peccata, cum necessitate jurisdictionis ad eam potestatem exercendam. Inde accidit, quod AA., dum pro una tuenda laborant, aliam negare videantur, et ad vitandum ejusmodi periculum, diversas tentarunt vias. Sed in primis nodus difficultatis ante oculos objiciendus. Potestas peccati remissiva et vindicativa est potestas in alium, nec concipi potest nisi solvere valeat vinculum peccati, seu obligatio-

(1) Sess. XIV, cap. I; sess XXIII, c. 15.

nem sustinendi divinam aversionem et poenas aeternas, et simul inducere debitum alicujus compensationis: atqui in his comprehenditur vera jurisdictio in eum, qui eo modo solvitur vel ligatur; ergo si non habetur jurisdictio, nulla existit potestas remissiva: et vice versa, si datur potestas remittendi peccata, eo ipso conceditur jurisdictio in ipsa potestate implicata.

§ II.

Duae opiniones oppositae.

258. Prima opinio, quam probabilem putavit Durandus, fuit; quemlibet Sacerdotem valide peccata absolvere, cum absolute dixerit Dominus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* unde necessaria jurisdictio suscipitur cum ipso sacerdotio. Cum autem id Ecclesia prohibeat, quod aliis, quam proprio Sacerdoti, confiteantur fideles; inde fit ut nequeant absolvi qui id tentaverint, non defectu potestatis in Sacerdote, sed propter dispositionis privationem in poenitente.

Verum sententiam hanc opponi Tridentini doctrinae, apertum est ex verbis in thesi laudatis. Imo agens de reservatis docet, *nihil posse* Sacerdotes in illis, et ideo mittendos poenitentes ad suos legitimos judices.

259. Alia, huic opposita, sententia est; non dari vi ordinis sacerdotalis jurisdictionem, sed per superiorem aliquem conferri ecclesiasticum, qui illam potest communicare, et fideles legitimis praepositis subjicere. Haec sane est communior sententia, verum in ea explicanda, et superius posita difficultate solvenda, non consentiunt: scilicet, quomodo potest in ordinatione sacerdotali dari potestas peccata remittendi, quin detur etiam id quod essentialiter requiritur ad exercitium talis potestatis?

§ III.

Sententia media proponitur.

260. Solutionem hujusce difficultatis tradere existimant alii mediam viam et tertiam opinionem sequentes. Putant ergo aliqui AA., tum potestatem ordinis, tum jurisdictionis ad absolvendum dari omnibus sacerdotibus, sed necessarium esse aliquod complementum ab extrinseco proveniens; at in hoc explicando externo complemento non conveniunt.

1.° Cajetanus asserit quidem, posse jurisdictionem comple-

ri per Ecclesiae praelatos conferentes beneficium cui ordinaria nexa est jurisdictio, vel per simplicem jurisdictionis delegationem; verum adjicit, sufficere per se ad perficiendam jurisdictionem, quod fideles voluntarie se subjiciant Sacerdoti. Id exemplis confirmat, nam peccata venialia a quovis Sacerdote, ex sola subjectione poenitentis, possunt absolvi; idem evenit pro mortalibus in articulo mortis et alio extremae necessitatis casu; et pariter cum Summus Pontifex confitetur; nam cum nullus habeat, nisi Deus, jurisdictionem in Papam, neque ab ullo praelato delegari potest.

Haec explicatio subsistere non potest. a) Quia laudata in thesi concilia aperte docent, necessariam esse jurisdictionem vel ordinariam, ratione officii, vel a legitimo superiore delegatam. Illa ergo voluntaria poenitentis subjectio non sufficit. b) Quia poenitens debet quidem voluntarie subjici Dei ministro, ut accepta Deo sit satisfactio et poenitentia: verum, cum non de jure aliquo suo causam cum Deo habeat, sed de remissione et satisfactione sui debiti tantum, nihil sane ipse potest jurisdictionis delegare ad eam complendam, sed solum culpas exponere et sententiam subire.

261. 2.° Navarrus, cum Abulensi et aliis AA., ajunt; jurisdictionem posse *in habitu* vel *in actu* considerari: *in habitu* quidem nihil est aliud quam potestas ordinis, et plena cum sacerdotio confertur: *in actu* autem tunc completur, cum Sacerdoti legitime designantur subditi, vel, per se loquendo, cum fideles sponte illi subjiciuntur. Verumtamen cum voluerit Christus D. in Ecclesia ordinem servari hierarchicum, et absolutio sacramentalis sit actus jurisdictionis, eatenus tradidit Sacerdotibus actualem jurisdictionem ad absolvendum, quatenus fideles iisdem legitime subjicerentur. Nam tradens Petro claves regni coelorum, statuit Dominus, omnem jurisdictionem debere illi esse subordinatam. Hinc explicatur, quare omnes Sacerdotes valide absolvere possint venialia et mortalia in extrema necessitate, vel ipsum Romanum Pontificem; quia cum id non prohibuerit Ecclesia, legitime Sacerdotibus subjiciuntur fideles pro illis circumstantiis.

Potest, ut videtur, haec opinio exemplo illustrari. Statuit Dominus ut possent fideles sacramentum Matrimonii suscipere, et invicem conjuges illud ministrare. Cum autem consistat sacramentum istud in quodam contractu, voluit hunc celebrari legitime, ut conjuges possint actu tale sacramentum valide suscipere et ministrare. Jam vero, sicut sacramentum Matrimonii est contractus, ita Poenitentia est actus jurisdictionis, cui proinde, natura sua, congruit esse supremo Ecclesiae Rectori subordinatus, seu legitimus. Unde, quemadmodum potest Ecclesia invalidare celebrationem Matrimonii reddendo illegitimum contractum; ita et Poenitentiam, illegitimam faciendo subjectionem fidelium ad aliquos Sacerdotes.

262. Dices 1.° Potestas ordinis non potest ab Ecclesia auferri: datur enim vi ordinationis et per impressionem characteris. Ergo, si jurisdictionis potestas datur Presbyteris sicut potestas ordinis, seu per ipsam ordinationem, nequit auferri ab Ecclesia.

Resp. Dist. *consequens*. Si potestas jurisdictionis datur absolute, nequit auferri ab Ecclesia; conc. Tunc enim esset paritas inter jurisdictionem et potestatem consecrandi. Si detur potestas jurisdictionis legitima, seu subordinata ad Ecclesiam, nequit auferri ab Ecclesia; subdist. Dum manet legitima; conc. Si evadat, vel supponatur illegitima; nego conseq., vel melius nego suppositum. Nam si existat illegitima, desinit esse jurisdictio sacramentalis, seu a Christo concessa, cum noluerit Dominus aliam concedere jurisdictionem, nisi subordinatam, seu legitimam. Neque hoc gratis dicimus: nam cum Christus per verba illa: *Quorum remiseritis*... constituerit Sacerdotes tamquam judices potentes judicare, id est, absolvere et retinere; dedit etiam jurisdictionem: non quidem qualemcumque et absolute, quia potest auferri ab Ecclesia, sed legitimam.

263. Dices 2.° Concilia supra laudata dicunt, jurisdictionem committi, delegari a superiore ecclesiastico: ergo non datur per ipsam ordinationem.

Resp. Dist. seu explico, *ant*. Jurisdictio committitur, seu delegatur a superiore, quatenus per auctoritatem hujus evadit jurisdictio legitima: conc. Quia posito quod sit legitima, non procedat a potestate ordinis; nego. Pari modo dicitur Ecclesia concedere facultatem celebrandi Matrimonium iis, qui ab aliquo dispensantur impedimento; tamen Ecclesia solum praestat, ut possit fieri legitimus contractus; potestas autem hunc contractum celebrandi est a natura, et a Christo est potestas hoc conjugale Sacramentum ministrandi et suscipiendi.

264. 3.° Denique hanc difficultatem putant solvere alii cum S. Antonino dicentes: potestatem jurisdictionis dari quidem per ipsam ordinationem, uti postulant verba Domini Nostri, qui Apostolos et eorum successores judices constituit; verum esse *incompletam* jurisdictionem, donec applicetur subditis ab Ecclesia designandis. Sed respondent ceteri AA. id esse contradictorium, quod habeat quis jurisdictionem, et sit judex, quin subditos habeat: relationes enim sine termino sunt chimaerae.

§ IV.

Quid verius sentiendum.

265. Navarri sententia melius conciliare videtur difficultatem in thesi breviter solutam. Pauca adjiciemus de illa opinione

secunda in § II proposita. Juxta hanc sententiam, sic rem Suarezius exponit (1); perpendit, scilicet, actum absolutionis et duplicem potestatem ordinis et jurisdictionis, quibus illa perficitur, dicens: «Unde possumus considerare, talem esse actum harum po»testatum, ut simul sit et sententia et remissio, seu effectio illius re»missionis, qua Sacerdos judicat dignum eum, in quem sententiam »profert; et ideo jurisdictionem requirit ad moralitatem sententiae, »ut sic dicam, et potestatem sanctificativam, seu remissivam pecca»ti, ad efficacitatem sententiae. Est necessaria ad hanc executionem »supernaturalis efficientia conferendi gratiam, ad quam accipiunt »vim supernaturalem ministri, qui ad hoc officium consecrantur, ex »vi suae ordinationis, ubi hanc tantum recipiunt potestatem; quam »ut exerceant, jurisdictione indigent, quae est potestas moralis ad »dicendum jus. Optime ergo hae potestates his nominibus discer»nuntur, et potestas, quae ex vi characteris datur, dicitur potestas »ordinis, non jurisdictionis.»

Fateri oportet nihil posse ingeniosius afferri ad ostendendum, duas potestates ordinis et jurisdictionis inter se distingui posse, et, consequenter, diversam quoque habere posse originem; scilicet, alteram a sacra ordinatione, et alteram ab ecclesiastica auctoritate. Verum, uti prius notavimus, potissima difficultas non stat in eo, quod id sit secundum se possibile, sed quod res ita facta fuerit; nempe, quod absolutio, quatenus est *sententia*, ab una procedat origine, quatenus autem est *remissio*, ab alia. Numquid hujusmodi conceptus consonat Tridentini doctrinae?... Ecce quid doceat (2): «Dominus sacramentum Poenitentiae tunc praecipue ins»tituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos di»cens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*... Quo tam »insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem *remittendi* et *re»tinendi* peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, »Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, »universorum Patrum consensus semper intellexit.»

His ergo Christi verbis non solum potestas remissiva, ut possit efficax esse sententia, sed etiam potestas sententiam ferendi collata fuit. Nam tunc institutum fuit sacramentum, cujus pars formalis est *sententia*, id est, actus judicis, pars materialis *confessio*, id est, actus subjectionis rei. Et sane, quid est potestas remittendi vel retinendi, nisi potestas sententiam ferendi? Jam vero illa data fuit tam insigni facto et verbis tam perspicuis. Haec clara videntur, sed clariora, si fieri potest, quae sequuntur (3): «Ex institutione sa»cramenti Poenitentiae jam explicata, universa Ecclesia semper in-

(1) Disp. 16, Sec. 3, n. 27.—(2) Sess. XIV, c. 1.—(3) Ibid. c. 5.

»tellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum con»fessionem, et omnibus jure divino necessariam existere.» Unde confessionis, id est, acusationis necessitas, supponit jurisdictionem: atqui ex institutionis verbis intellexit Ecclesia necessitatem confessionis; ergo in illis verbis collata fuit jurisdictio.

266. Dices: remote tantum deducitur necessitas confessionis et jurisdictionis. Nam licet in verbis illis solum concedatur facultas remittendi peccata; tamen, cum remissio nequeat fieri sine judicio, et judicium sine confessione, ideo ad confessionem et judicium faciendum cognovit etiam Ecclesia necessitatem concedendi jurisdictionem.

Resp. Nego assertum, et rationem adjunctam. Assertum quidem falsum est: non enim remote, sed proxime et immediate, datam fuisse jurisdictionem intellexit Ecclesia, et inde sequi necessitatem confessionis; nam, ait Concilium: ideo est necessaria «Quia Domi»nus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad coelos, Sacerdotes »sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam praesides et judices... qui pro »potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum senten»tiam pronuntient.» Ipse ergo Christus constituit et reliquit Sacerdotes tamquam praesides et judices, non vero tantum reliquit mandatum aliquod, ut Ecclesia eos judices faceret. Nec tale mandatum in verbis innuitur, nec Ecclesiam intellexisse illud docet Tridentinum; sed, e contra, ait: Christum eos judices constituisse, et inde intellexisse Ecclesiam confessionis necessitatem: «Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse.» ait Concilium. Neque minus nutat ratio adjuncta. Nam ex sola facultate remittendi peccata, seu potestate sanctificativa, non fluit necessitas confessionis, si non sit facienda remissio ad modum judicii. Quod patet ex modo argumentandi Tridentini, et exemplo Baptismi et Extremae Unctionis, in quibus remittuntur etiam peccata absque ulla judicii forma et confessionis necessitate. Quid de aliis sententiis censendum sit, eas supra exponendo diximus (1).

THESIS XXXII.

Legitima jurisdictio in sacramento Poenitentiae necessaria duplici modo haberi tantum potest in praesenti Ecclesiae disciplina; nempe

---

(1) Vide Laynez, (apud Pallavic. Hist. Conc. Trid. l. 18, c. 15) qui tenet nostram doctrinam.

ordinaria, aut subdelegata: restringi etiam potest ita ut aliqua peccata a praelatis reserventur.

267. **Nota.** Quae dicitur ordinaria jurisdictio, quae autem delegata, vide supra in Thes. praec. n. 253. Manifestum est quod Parochi, Praelati regulares, Episcopi in proprios subditos, et Papa in Ecclesiam, jurisdictionem habent ordinariam: ab iis autem possunt alii Sacerdotes legitimam jurisdictionem habere. In hac utriusque jurisdictionis definitione non complectimur illam, quam habent Sacerdotes omnes, vel in extrema necessitate, vel in venialia, vel in Rom. Pontificem ipsis confitentem; quae tamen jurisdictioni potius ordinariae quam delegatae similatur. Etenim numquam pro articulo mortis impedita fuit jurisdictio: «Verumtamen pie admodum, »ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custo»ditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque »ideo (nota illationem) omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a »quibusvis peccatis et censuris absolvere possint.» Pariter quoad venialia peccata, idem accidisse, communiter sentiunt theologi. Nam cum obligatio non urgeat venialia subjiciendi confessioni, incassum sibi hanc potestatem reservarent praelati. Deinde, teste Augustino, supra (1), et Trident. (ibid.), voluit misericors Deus remedia multiplicare propter quotidianas et frequentissimas ejusmodi culpas: non ergo credendum, Ecclesiam unquam reservaturam venialia, ita ut nequeant a quovis etiam Sacerdote valide absolvi, uti exponit Suarez (2). Dixi valide, nam ad liceitatem quod attinet, Innocentius XI approbavit decret. congr. concil. Trident. (12 Februar. 1679) in quo Episcopis injungitur: «ne permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut ordinario.»

268. I. pars prob. 1.° Tridentinum docet (ibid.): «Nullius momenti absolutionem... etc. (3).» Item Concilium Later. IV. c. 21: «Si quis alieno Sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confi»teri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio Sacer»dote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare.»

2.° Cui officium committitur, omnia etiam necessaria ad illud obeundum committi debent. Sed ad aliqua ecclesiastica officia est necessaria jurisdictio interni fori: ergo legitima jurisdictio ordinaria esse potest, seu ex officio haberi. *Min.* patet. Nam Parochiae in Ecclesia sunt constitutae, ut in eis fideles sacramenta suscipiant: ergo officio parochiali adnexa est jurisdictio. Item ad Episcopos pertinet parochias distinguere, et in eis parochos constituere; ergo

---

(1) Thes. XI, nn. 58, 59.—(2) Dist. 26. Sec. 5.—(3) V. Th. praec.

etiam episcopatui nexa est jurisdictio. Deinde, ecclesiastico jure constitutum est, ordinarios judices posse delegatos constituere (1): ergo jurisdictio potest legitime per subdelegationem haberi.

269. II.ª pars Prob. 1.º Tridentinum (ibid.) ait: «Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina »non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur: unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in »Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo »potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, »quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Epi»scopis omnibus in sua cuique Dioecesi... liceat. Hanc autem delic»torum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tan»tum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.» Vide quoque supra (2) damnatum Lutheri errorem.

270. 2.º Jurisdictio respicit, natura sua, non solum personas, sed causas etiam, seu vincula solvenda, vel obligationes imponendas, ut definitione supra (Th. XXXI) tradita elucet: ergo si potest Ecclesia jurisdictionem restringere circa personas, ut patet ex I.ª theseos parte, id quoque valet circa peccata.

3.º Potestas Ecclesiae ad jurisdictionem restringendam ex eo procedit, quod statuit Dominus hierarchicum ordinem, sub plenitudine potestatis in Romano Pontifice, Petri successore: *Tibi dabo claves regni coelorum... Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis* (3). Atqui ejusmodi potestas hierarchica non aliter personas respicit, nisi quatenus causas judicandas, seu vincula et obligationes attingit: ergo reservatio, seu jurisdictionis restrictio, potest circa ipsa peccatorum vincula constitui.

271. Obj. Ab Ecclesia non pendent sacramentorum effectus; operantur enim necessario et ex opere operato. Sed potestas remissiva peccatorum est ordinis effectus; ergo nequit limitari ab Ecclesia.

Resp. Dist. *maj.* Non pendent directe; conc. Indirecte non pendent ab Ecclesia; nego. Deinde, dist. *min.* Potestas remissiva habitualis est effectus ordinis; conc. *min.* Actualis; subd. Dummodo sit potestas legitima; conc. Absoluta potestas actualis est effectus ordinis; nego. Quemadmodum aptitudo ad accipiendum Matrimonii sacramentum est Baptismi effectus, et nequit ab Ecclesia impediri, potest tamen actualem aptitudem ad tale Matrimonium invalidare et indirecte impedire, reddendo contractum illegitimum; ita potest actualem impedire potestatem ordinis ad tale peccatum absolven-

---

(1) *C. cum Episcopus,* De offic. ordin. in 6, et alibi.—(2) Thes. XXX, n. 247.—(3) Matth. XVI, 19.

dum. faciendo illegitimam subjectionem poenitentis, seu jurisdictionem confessarii. Voluit enim Christus ut non aliam nisi legitimam conferret ordo jurisdictionem.

SCHOLION.

De Jurisdictione excommunicati vitandi.

272. Inquirunt AA. utrum retineant actualem, seu legitimam jurisdictionem excommunicati vitandi. De qua re duplicem invenies sententiam: communis, quam certam dicunt Suarez (1) et S. Ligorius (2), docet, jurisdictione privari excommunicatum vitandum; toleratos autem certum est eam retinere: alia autem sententia tenet jurisdictionem fori interni non fieri invalidam in excommunicatis vitandis. Paucis fundamenta utriusque exponemus opinionis.

I.° Quod vitandus invalide conferat sacramentum Poenitentiae, desumunt omnes hujusce sententiae AA. ex Cap. *Ad probandum;* de sententia et jud. et Cap. *Romana;* de Offic. Vicar. in 6: et Cap. *Si is cui,* de Offic. Deleg. in 6: et Cap. *Audivimus.* 24. q. 1: «Audivimus, quod Henricus, Ravennas dictus Archiepiscopus, visus sit te excommunicare. Verum, quia excommunicatus te excommunicare non potuit, apostolica auctoritate te, tuosque absolvendo, mandamus exinde numquam curare.» Jam vero Cap. *Ad Probandum* ita se habet: «Vos autem interim agnoscitis de confirmationis sententia, quae lata est a judicibus delegatis, de electione Custodis, ut sicut de jure fuerit faciendum, confirmare vel infirmare curetis: ita ut, si pro eo quod unus ex delegatis judicibus, qui eamdem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset publico innodatus, quando sententia lata fuit, aut ex alia justa causa eamdem sententiam constiterit infirmandam, ipsa cassata, de ipsius electione Custodis, iterum cognoscatis.» Cap. *Romana* ita: «Ea autem quae officiales, gerendo vices excommunicati Episcopi, agunt, eo taliter excommunicato manente, si jurisdictionem tantum excipiant ab eodem, non possunt obtinere vigorem.» Cap. *Si is cui* sic habet: «Si delegatum ipsum excommunicari, aut de medio tolli contingat, impedimento tali durante, ad sedem ipsam, ne absolutionem, vel successorem expectando illius, praejudicari litigantibus, vel causa plus debito prorogari valeat, volumus appellari.»

---

(1) De censur. D. XI, se II, n. 12.—(2) De censur. num. 167.

Vides igitur his in locis negari quidem jurisdictionem simpliciter excommunicatis, sed non agi nisi de causis et litibus externi fori, ut fatentur Salmanticenses, hujus primae opinionis defensores.

273. II.° Opinionis secundae fundamenta sequentibus elucebunt.

1.° Laudatae, pro prima opinione, juris sententiae non possunt extendi ad forum internum, seu Poenitentiae. a) Quia odiosa, ex communi consensu, non sunt extendenda, sed stricte sumenda, imo restringenda potius: sed agitur, in re praesenti, de dispositione odiosa, seu poenali: ergo. Putant sane, AA. aliqui, ut refert Sanchez (1), eas dispositiones, quae partim sunt odiosae quoad unum, partim favorabiles quoad alium, debeant quidem restringi qua odiosae, et extendi qua favorabiles; verum ejusmodi privatio jurisdictionis est ex omni parte odiosa, uti ex hac 2.ª ratione patebit. b) Nulla datur paritas, ut possit ad forum internum extendi poena ista. Nam privatio jurisdictionis pro foro interno numquam cederet nisi in detrimentum alicujus innocentis; nempe illius qui bona fide Sacerdoti excommunicato confiteretur: qui enim scienter cum illo vellet communicare, extra necessitatis casum, peccaret, ideoque non posset absolvi, nemo enim habet facultatem ad absolvendos indispositos. E contra; privatio jurisdictionis externae est in favorem omnium, maxime innocentium.

2.° Si extendantur dicta capita ad forum internum, nihil conficiunt. a) Quia non dicunt nullas extitisse eas sententias et irritas: ergo non probant intentum. b) Quia supponunt potius validas fuisse illas ab excommunicato latas sententias: nam dicunt esse cassandas, infirmandas a novis judicibus. Imo Alexander II. in cap. *Audivimus*, absolvit Auctoritate Apostolica eum, qui fuerat tali sententia a vitando excommunicatus. Ergo si velis transferre violenter eas sententias ad forum internum, nihil conficies, imo oppositum probabis; scilicet, validam in hoc foro manere apud vitandum jurisdictionem.

3.° Si ea testimonia quicquam probarent, nimis probarent. Nam sermo est de sententiis latis a legatis et subdelegatis ab excommunicato. Ergo si haec intelligas de foro interno, et aliquid evincunt, sequetur omnes sacerdotes privari jurisdictione sacramentali, si fuerit is excommunicatus, a quo eam acceperunt. Atqui hoc saltem pro omni casu est absurdissimum et inauditum. Ergo.

274. III.° Igitur intrinseca rationum vi perpensa, videtur posse cum Cajetano (2) doceri: «non esse irritum Sacramentum »Poenitentiae ab excommunicato susceptum.»

---

(1) De Matrim. P. 1, disp. 1, n. 5.—(2) Summ. (Verb. Absolutio).

THESIS XXXIII.

Sacerdotes ut possint ministrare secularibus Poenitentiae sacramentum, et idonei ad id reputari, debent parochiale beneficium, vel approbationem ab Episcopis obtinere.

275. **Nota.** Approbatio, de qua agitur, est Episcopi testificatio, seu manifestatio idoneitatis Sacerdotum ad audiendas confessiones secularium. Unde fit, ut actu ipso, quo Sacerdotes Episcopus approbat, eosdem ad audiendas suorum subditorum confessiones deputet, et legitimam illis faciat in eos jurisdictionem.

Prob. thesis ex Tridentino (1): «Quamvis Presbyteri in »sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decer»nit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse »confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id ido»neum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis »per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus »judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.»

SCHOLIA.

De varia Ecclesiae disciplina circa approbationem Sacerdotum.

276. I. Ante Tridentinum, ut haberet Sacerdos actualem, seu legitimam jurisdictionem ad quosvis ad peccatis absolvendos, non aliud requirebatur, nisi licentia a proprio poenitentium Sacerdote, habente, scilicet, ordinariam jurisdictionem; ut patet ex Later. Conc. IV, c. 21.

277. II. Quoad *regularium confessiones*, ipsa viget antiqua disciplina: sufficit, nempe, Superiorum licentia ad eas legitime ac valide audiendas: nam explicite agit Tridentinum de solis secularibus. Item, qui habent parochiale beneficium, necessitati non subjiciuntur hujusce approbationis, cum nominatim excipiantur; ideoque sub priori tantum constringuntur disciplina; ita ut, suos tantum audire valeant confitentes subditos; vel si alienos, nonnisi cum licentia proprii eorum Sacerdotis.

278. III. Aliqui AA. censuerunt, decretum hoc Tridentini illicitam quidem facere Poenitentiae susceptionem, vel ministratio-

(1) Sess. XXIII, c. 15, de Refor.

nem per Sacerdotem non approbatum ab Episcopo, non vero invalidam: tamen communis fere est et tenenda opposita sententia. Dicit enim Concilium, non posse talem Sacerdotem audire confessiones, neque posse reputari idoneum.

279. IV. In articulo mortis sunt omnes Sacerdotes aequalis potestatis ad absolvendum a peccatis. Ratio, quam tradit Tridentinum (1), est: quia Ecclesia nullam unquam fecit reservationem pro eo articulo; ideoque vigorem habent verba illa Christi D. sacerdotibus dicta: *Quorum remiseritis peccata...* in tota sua latitudine. Si tamen aliquis Sacerdos, vel defectu scientiae, vel aliunde, esset indispositus, deberet ad liceitatem actus alii Sacerdoti adstanti munus absolvendi permittere. Verum, per se, etiamsi praesens foret proprius aegroti Sacerdos, omnibus facultatibus, etiam ad reservata, munitus; non oporteret eum praeferre ceteris sacerdotibus, cum omnes eadem donentur facultate: «Omnes sacerdotes »quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere »possunt.» (ibid.)

Ratio, propter quam nulla unquam facta ab Ecclesia fuit reservatio in periculo mortis, est, uti dicit Concilium (ibid): «Ne hac »ipsa occasione aliquis pereat.» Nam, certe, cura salutis animarum est de jure divino: ad hunc finem mortuus Christus, electi Apostoli, fundata Ecclesia, constituta Petri Cathedra, fundata hierarchia, instituta sacramenta omnia. Quapropter de potestate sua ajebat Paulus (2), quod omnes boni sentiunt Praelati: *Quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram.* Quae commentans Estius ait: «Ad hoc, inquit, potestatem mihi de»dit, ut vos et alios homines aedificem spiritualiter, id est, ut sa»lutem promoveam; non autem, ut destruam, id est, a salute aut »profectu salutis impediam. Significatur finis et legitimus usus »potestatis. Unde intelligitur, quemadmodum Cajetanus an»notavit, ecclesiasticam potestatem nihil posse adversus bonos mo»res; imo nec adversus meliora bona, qualia sunt consilia Christi; »quoniam hoc non esset posse in aedificationem, sed in destructio»nem spiritualem.»

280. V. Ex his quaestionem solvere licebit, de qua Vazquezius (3). Docet enim non posse valide absolvi, neque indirecte, poenitentem reservata habentem peccata, a Sacerdote, qui pro iis non habeat potestatem. Ratio est: quia integritas confessionis et absolutionis est de jure divino, juxta Tridentinum; ideoque nequit dispensari ab ecclesiastica ulla auctoritate.

Quid igitur? Si nequeat poenitens ad Superiorem praesentari;

---

(1) Sess. XIV, c. 7.—(2) II Cor. X, 8.—(3) In 3.m p. q. 91, d. 9, n. 11.

numquid debebit manere inconfessus cum periculo animae, dicente Domino (1): *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam?* Vel communicare et celebrare poterit, necessitate urgente, mandante Paulo (2): *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat;* id est, confiteatur, ut Tridentinum cum tota Ecclesia interpretatur?

Dicendum est, jus quidem divinum de integritate confessionis non posse dispensari; necessitati autem fidelium pro hisce casibus providere Ecclesiam, juxta ea quae diximus in praec. Schol. IV, concedendo, seu non auferendo necessariam ac legitimam confessario facultatem. Nec dicas: docet Tridentinum, nihil posse in reservata, extra mortis articulum, simplicem confessarium. Nam respondetur; ita quidem nihil posse, si possint accedere poenitentes *ad Superiores et legitimos judices* (3), ut explicite declarat Concilium: in mortis autem articulo non opus est mittere poenitentes ad suos superiores, ut supra diximus. Potestate enim a Christo suscepta utitur semper Ecclesia ad aedificationem, non ad destructionem. (Vide AA. Theol. mor. S. Ligor. De Poenit. nn. 584. 585).

CAPUT VI.

De satisfactione Poenitentiam complente.

ARTICULUS I.

De satisfactione secundum se.

THESIS XXXIV.

Poenae temporales, quae pro peccatis debentur, possunt per se, hac vita durante, bonis operibus redimi.

281. **Nota.** Diximus in I.° Cap. hujus disquisitionis, posse per Poenitentiam peccata deleri, necnon poenas aeternas iis debitas; manere tamen aliquando solvendas in praesenti vel futura vita aliquas poenas temporales. Igitur asserimus, quod per se possint etiam ejusmodi poenarum debita dilui et compensari per alia pia opera, ac satisfactiones sponte susceptas. Dicimus per se; quia ali-

(1) Matth. XXV, 13.—(2) I Cor. XI, 28.—(3) Sess. XIV, c. 7.

quando firmiter statuit Deus quod aliqua poena, quin commutari possit, perferatur; etiamsi posset per se aliis congruis satisfactionibus compensari: sic noluit Deus remittere Mariae sorori Moysi poenam impositam, Moyse ipso pro ea deprecante: item cum exoraret Moyses, ut posset terram promissam ingredi, non fuit exauditus et dixit Deus (1): *Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me:* unde necessum fuit poenam illam, pro quadam diffidentia *ad aquas contraditionis*, subire.

282. Doctrina haec est fide catholica tenenda. Prob. 1.° Tridentinum (2): «Si quis dixerit pro peccatis, quoad poenam tem»poralem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo »inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed ne»que sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel »aliis etiam pietatis operibus... anath. sit.» Item: «Neque vero se»curior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amo»vendum imminentem a Domino poenam, quam ut haec poeniten»tiae opera homines cum vero animi dolore frequentent.»

2.° Christus D. Episcopo Ephesi, ut poenam evaderet quam meruerat, dixit: *Age poenitentiam et prima opera fac.* Et de poena quadam temporali dixit etiam (Luc. XIII, 5): *Si Poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* David placavit Dei justitiam ut poenas pro peccatis remitteret (3): *Aedificavit David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica: et propitiatus est Dominus terrae et cohibita est plaga ab Israel.* Sciebat, nempe, David Deum posse his placari, ideo dicit (4): *Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi ac flevi: dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans?* Vide etiam, l. II, Paral. XXXIII, 12, 13; Dan. IV, 24. Joel. II.

283. 3.° Tertullianus ait (5): «In quantum non peperce»ris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.» Origenes etiam (6): «Poenitendo, flendo, satisfaciendo, deleat quod admissum est.» Ambrosius (7): «Compensatione charitatis, actuumque reli»quorum, vel satisfactione quacumque peccati poena dissolvitur.» Item: «Vide docentem Deum, qua moderatione ejus indignatio »leniatur, si non penitus verbera recusemus; sed qualitatem levan»di, non evitandi supplicii postulemus... Dominus etsi vult ig»noscere (poenam), vult rogari, et ut rogetur, operatur.» Augustinus (8): «Impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non »reliquisti... Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum:

---

(1) Deut. III, 26.—(2) Sess. XIV, can. 13, et cap. 7.—(3) II Reg. XXIV, 25.—(4) Ibid. XII, 22.—(5) De *Poenit.* c. VIII.—(6) Hom. 6, in Exod.—(7) L. 7, in Luc. et in Ps. XXXVII, n. 14.—(8) In Ps. L.

»novi justitiam, cujus quaero misericordiam: non impunitum erit, »sed ideo nolo ut me punias, quia ego peccatum meum punio.» S. Gregorius docet (1): Oportere «quotidianis fletibus lavare »culpas... Certe Paulus Ap. jam ad tertium coelum ascende»rat... et tamen adhuc trepidans dicebat: castigo corpus meum...»

284. Obj. Si Deo pro peccatis satisfacimus, illum nobis propitium operibus nostris reddimus. Sed solus Christus potest Deum propitium hominibus facere; ergo. Min. patet ex Joanne (2): *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris...*

Resp. Dist. *Maj.* Operibus nostris gratia Christi perfectis Deum propitium reddimus; conc. Operibus pure naturalibus; nego.

THESIS XXXV.

Justi: a) simpliciter satisfaciunt pro debitis poenis, et quidem: b) *de condigno*. Peccatores autem: c) cum sacramento possunt de congruo satisfacere: d) non autem extra sacramentum.

285. **Nota.** Satisfactio, late intellecta, est actio per quam debitum impletur; significat enim quamdam aequalitatem, seu proportionem inter actionem et debitum agentis. Inde sumpta est ad quemdam actum significandum justitiae, cujus proprium est aequalitatem constituere; et quamvis interdum sumatur pro restitutione rei ablatae, tamen proprie significat actionem qua injuria compensatur. Unde manifestum est, satisfactionem esse actum justitiae, quod confirmat Tridentinum (3): «Sane et divinae justitiae »ratio exigere videtur,» scilicet satisfactionem: «Habeant ergo prae »oculis (Sacerdotes), ut satisfactio, quam imponunt... sit etiam ad »praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem;» quod sane ad justitiam spectat.

286. a) I.ª pars prob.; quae est contra Bajum, et communis theologorum, et fere aeque certa ac praecedens, et saltem ut doctrina chatolica reputanda.

1.° Tridentinum vocat saepe (ibid.) ejusmodi justorum opera pro peccatis, satisfactiones: «Dum satisfaciendo patimur pro »peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit... con»formes efficimur.» Ecce in eadem sententia, de eadem re agendo, eamdem adhibet Concilium vocem: atqui non est credendum ita loqui confuse, ut duplicem, diversumque intenderet sensum: ergo. Eodem modo loquitur Florentinum, vocans opera poenitentibus adjuncta, Satisfactionem pro peccatis.

---

(1) Ep. l. 7, ep. 25.—(2) I Joan. II, 2.—(3) Sess. XIV, c. 8.

2.° Ejusmodi satisfactiones exiguntur a justitia, ut docet Trid. hic supra (in Nota): ergo proprie et vere hoc nomine appellantur. Item: sunt actus virtutis Poenitentiae: jam vero haec virtus ad justitiam spectat, ut supra diximus (1).

287. b) II.ª pars prob. 1.° Si non esset justorum satisfactio pro peccatis condigna, neque esset simpliciter satisfactio: atqui, ex dictis in I.ª parte, est proprie et vere talis; ergo.

2.° Ideo non esset condigna satisfactio, quia deficit aequalitas inter obsequium exhibitum et poenas pro peccatis debitas: atqui datur proportio ejusmodi; ergo. *Min.* prob. Justus per gratiam est Dei filius et meritorum ac satisfactionum Christi particeps, uti membrum ipsius; atqui satisfactiones ita dignificatae quamdam habent eminentem proportionem super omnes poenas temporales pro peccatis subeundas: ergo.

3.° Justus potest augmentum gratiae et gloriae de condigno mereri: ergo potiori ratione poenarum condonationem. Confir. Pius V et Gregor. XIII damnarunt prop. Baji 77. nempe: «Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de con»digno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.»

Nota. Quo pacto haec condigna satisfactio strictae justitiae dici possit, vide supra, ubi de virtute Poenitentiae egimus (2); et in Tract. de Deo O. M., Disq. VII; De Deo Incarnato, Thes. LXXI, n. 281.

288. c) pars. III prob. 1.° Actus poenitentis sunt in sacramento dispositio ad effectum sacramenti, ita ut pro majori dispositione etiam uberior fructus obtineatur: atqui non ita fieret, nisi aliquam haberent proportionem opera peccatoris cum remissione culpae et poenae; ergo congruam constituunt satisfactionem. *Major* patet ex superius probatis.

2.° Tertullianus ait (3): «Confessio satisfactionis consilium est... Confessione satisfactio disponitur... Exomologesim esse illicem misericordiae... pro Dei indignatione fungi.» S. Cyprianus etiam (4): «Poenitentem suis satisfactionibus Deum movere... Qui sic Deo satisfecerit, veniam merebitur.»

289. d) IV. pars prob. Peccator est dignus Dei aversione et odio et vere ipsius inimicus: item meretur Dei aeternam maledictionem cum poenis aeternis. Sed non est congruum ut sic dispositis beneficium remissionis fiat: ergo.

---

(1) Thes. XIV, Schol. § III, n. 94.—(2) Thes. XIV, n. 94; Thes. XX, n. 127. —(3) *De Poenit.* c. 9.—(4) *De Lapsis* ad finem.

SCHOLION

De requisitis ad condignam satisfactionem.

290. **Dico I.°** Ut opera sint de condigno satisfactoria in actu secundo, debent ad hunc effectum a Deo acceptari.

Ita Suarezius, cui adversatur Vazquez. 1.° Constat ex Tridentino. (1) Exponens enim unde virtutem habeant satisfactiones justorum, inde repetit, «quod in Christo satisfacimus.» Jam vero, quo pacto perficitur in Christo satisfactio? Quia «Ex illo vim »habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.» Igitur acceptatio est de natura verae satisfactionis, et praeterea est gratuita et innixa meritis Christi.

2.° Poterat Deus nostra opera satisfactoria aliis titulis exigere, et insuper poenas etiam quas justi debent pro culpis: ergo ex libera Dei acceptatione oritur quod per illa poenae redimantur.

Vide quae supra diximus in Nota Th. XXXIV, n. 281.

291. **Dico II.°** Ad condignam satisfactionem pro remissione poenarum, requiritur status viatoris.

1.° Paulus (2) dicit, vitam praesentem esse tempus fructuosi laboris, futuram autem metendi: *Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Ita Dominus (3): *Venit nox, quando nemo potest operari.*

2.° S. Hilarius (4): «Decedentes de vita, simul de jure de»cedimus voluntatis. Tunc enim ex merito praeteritae voluntatis, »lex jam constituta, aut quietis aut poenae, excedentium ex corpore »suscipit voluntatem.»

292. Dices: animae in Purgatorio pro poenis debitis satisfaciunt: ergo non requiritur ad satisfaciendum status viatoris.

Resp. Dist. *ant.* Satisfaciunt passive; conc. Active; nego *ant.* Et pariter *consequens* distingui poterit. Igitur aliud est satisfacere, aliud autem satispati. Cum futura vita non ad agonem, sed ad coronam sit a Deo destinata, nam statutum est mori, et post hoc judicium, ibi non perpenditur in operibus et poenis ratio meriti, ut actionum vel passionum compensatio aliqua fiat. Ratione ergo meriti cessante, superest tantum ut justi, pro poenis debitis, satispatiantur usque ad ultimum quadrantem: e contra in hac vita satisfaciendo, condonationem aliquam poenarum promerentur.

---

(1) Sess. XIV, c. 8. — (2) Galat. VI, 9, 10. — (3) Joan. IX, 4. — (4) In Psl. LI, n. 23.

Inst. Merita justorum ad aequalitatem compensantur per gratiae et gloriae augmentum: ergo nullus illis superest valor ad remissionem poenae.

Resp. Dist. *Ant.* Compensantur ad aequalitatem, quatenus sunt obsequia honesta, seu, qua ratione postulant praemium; conc. Quatenus opera meritoria sunt poenalia, seu ea ratione qua solvere valent poenam; nego. Juxta communissimam theologorum sententiam, merita omnia efficiuntur cum difficultate, seu poena aliqua, quae quidem major vel minor esse potest independenter a meriti perfectione: sic in actu obedientiae poterit aliquando major esse poenalitas, quam in actu charitatis, qui altioris est meriti. Sicut in igne est virtus calefaciendi et illuminandi, et concurrente Deo ut producat ignis totum sibi debitum calorem, non imminuitur virtus ejusdem ad illuminandum; ita, dato praemio condigno, imo et supra condignum, cuilibet merito, non inde evacuatur virtus ejusdem satisfactoria, seu capacitas ut a Deo acceptetur poenalitas illius pro poenis temporalibus, si aliunde debeantur.

293. **Dico III.°** Alia operis satisfactorii conditio est quod sit poenale.

Sequitur ex dictis. Inde enim habet aptitudinem ut acceptetur a Deo pro aliis poenis debitis. Illa enim poena, ut libere et obsequiose a filio Dei et membro Christi suscepta, a Deo acceptatur pro illa formali satisfactione, seu satispassione, majoris quidem poenalitatis, sed a ratione liberi obsequii sejuncta.

294. **Nota.** I. Meritis omnibus inesse virtutem hanc satisfactoriam a ratione poenae exortam, innuit Trident. (1) dicens: quod merces, quae datur justis bene operantibus, «Est illa corona »justitiae, quam post suum certamen et cursum, repositam sibi, »ajebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam: non solum »autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus.» Deinde in sacris litteris aperte dicitur: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (2). *Non coronabitur nisi legitime certaverit* (3).

II. Opera satisfactoria debere esse supernaturalia, seu in Christo esse facta, ex alibi dictis (4), et ex Trident. (5) supponimus.

---

(1) Sess. VI, c. 16.—(2) Matth. XI, 12.—(3) II Tim. II, 5.—(4) Thes. XIV, n. 79.—(5) Sess. XIV, c. 8.

ARTICULUS II.

De necessitate satisfactionis in sacramento Poenitentiae.

THESIS XXXVI.

Minister confessionis tenetur, per se loquendo, imponere poenitentibus, quos absolvit, poenam peccatis proportionatam.

295. Thesis certa est, et ad doctrinam catholicam pertinet.

Prob. 1.° Tridentinum ait (ibid.): «Debent ergo Sacerdotes Domini, quatenus Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis criminibus injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.»

2.° Concil. Carthaginense III, Can. 31, mandavit: «Ut »poenitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbi»trio, Poenitentiae tempora decernantur.» Idem Conc. Laodicen. c. 2, aliaque antiqua concilia et SS. Patres passim docuerunt, quorum nonnulla testimonia videbis supra (1).

296. 3.° Ratio optima fluit ex natura hujus sacramenti. Satisfactio est pars intrinseca sacramenti, licet integralis tantum. Sed ad ministrum pertinet integrum ac perfectum ministrare sacramentum: ergo.

4.° Sacerdotes in hoc sacramento locum tenent Christi ut judicent de peccatis; et ad hoc exercendum judicium, non solum solvendi, sed et ligandi potestatem acceperunt, uti notat Trident. (ibid.) Sed Christus ita peccata remittit, ut aliquam poenalem exigat satisfactionem: ergo pari modo judicare debet Sacerdos. *Min.* patet ex antea dictis (2).

297. Obj. 1.° Satisfactio non minoris est virtutis si sponte fiat, ac si a Sacerdote praecipiatur: ergo poterit poenitens aeque utiliter satisfacere, licet nihil injungat Sacerdos.

Resp. 1.° Nego *ant.* Nam Poenitentia imposita a Sacerdote est pars sacramenti et habet etiam effectum ex *opere operato*.

---

(1) Thes. XVII, nn. 115, 116.—(2) Th. VII, n. 31.

2.° Nego *conseq.* Nam et poenitens obligatur per se ad integrum suscipiendum sacramentum, ut infra videbitur.

298. Obj. 2.° Antiquitus Ecclesia longe majores imponebat poenitentias pro peccatis gravioribus; ergo si debent culpis poenae imponi convenientes, hodierni Sacerdotes graviter delinquunt, vel poenae proportionatae peccatis esse non debent.

Resp. Dist. *conseq.* Non debent solis peccatis proportionari: conc. Peccatis simul et poenitentium facultati; nego; uti docet Triden. supra in thesi. Sacramentum hoc rationem habet spiritualis medicinae; quantitas autem et efficacitas medicinae statui infirmorum aptari debet, ne plus noceat quam prosit, uti exponit D. Thomas (1). Verum, cum poenae, in presenti vita, pro peccatis a Deo immissae non in puram vindictam sed praecipue in bonum ipsius peccatoris ordinatae sint, sicut superius notatum fuit (2); et inde hisce satisfactionibus, non solum venia redditur, sed etiam corona, ut dicit Cyprianus (3): patet, tum ex affectu ad divinam justitiam, tum ex charitate erga poenitentes, utique coaptandas esse poenas gravitati criminum, quantum permittat facultas poenitentium. Non tamen inde sequitur eas seligendas juxta antiquas praescriptiones canonicas, quae variae fuerunt secundum temporum circumstantias et ecclesiasticam vigentem disciplinam; praesertim, cum poenae istae ad fori externi usum fuerint institutae, non autem fori interni.

THESIS XXXVII.

Poenitentes impositam a Sacerdote satisfactionem tenentur perficere.

299. **Nota.** Putarunt aliqui AA. cum Scoto, posse pro libito poenitentes poenam subire, vel libere omittere, quia in favorem illorum sunt ejusmodi satisfactiones institutae a Deo. Si ergo velint potius satispati in futura vita, quam privilegio uti praesentis satisfactionis, id eis licebit. Verum ea opinio, post Tridentinum, non est ferenda. Vazquez dicit thesim nostram esse de fide. Suarez ait, oppositam sententiam saltem esse temerariam ac improbabilem, et alii diversis eamdem notant censuris.

300. Prob. 1.° Satisfactionis poena imponitur poenitentibus vi potestatis clavium. Atqui haec potestas non minus efficax est ad ligandum, quam ad solvendum; ergo sicut efficaciter absolvuntur poenitentes a vinculis peccatorum, ita obligantur ad poenas pro

---

(1) Suppl. q. 18, a, 4.—(2) Th. VII, obj, 1.° n. 35.—(3) De *Laps.* ad finem.

peccatis impositas. Maj. ex Tridentino constat (1): «Habeant »prae oculis (Sacerdotes), ut satisfactio, quam imponunt, non sit »tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, »sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigatio»nem; nam claves Sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed et »ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent.»

2.° Non minus tenetur poenitens quam Sacerdos ad perficiendum sacramentum; ex actibus enim utriusque conficitur: atqui obligatur Sacerdos (ex Th. praec.) ad imponendam poenam ut integretur sacramentum; ergo et poenitens ad illam explendam.

301. Obj. Poenae in alia vita subeundae remissio, propter sacramentalem satisfactionem, est gratia et privilegium: sed nemo uti privilegio tenetur; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Est gratia et privilegium, ratione acceptationis, quatenus non tenebatur Deus illam sacramentalem acceptare satisfactionem pro majori poena; conc. Quasi gratis fiat remissio, posita acceptatione satisfactionis; nego: nam est satisfactio partim de condigno ex opere operantis, et partim ex opere operato, id est, ex satisfactionibus Christi. Item: dist. *min.* Uti privilegio nemo tenetur directe et per se; conc. Si nitatur privilegium in expletione alicujus mandati; nego.

SCHOLIA.

De gravi obligatione tum imponendi tum suscipiendi poenitentiam.

302. Quaeri solet, utrum sit gravis praedicta tum Sacerdotis, tum poenitentis obligatio circa sacramentalem satisfactionem. Aliqui, praesertim ex antiquis theologis, dixerunt esse levem obligationem. Communis est cum D. Thoma sententia, obligari graviter per se; et illam opinionem esse improbabilem censet Lugo, temerariam Suarez vocat, et Vazquez contra fidem.

303. I. Quoad Sacerdotis obligationem ait Tridentinum (ibid.): «Debent Sacerdotes... pro qualitate criminum... convenien»tes poenas injungere, etc.» Vide supra in Th. XXXVI. n. 295. Jam vero peccatis gravibus connivere, in gravissimis delictis participem fieri, significat grave esse illud debitum imponendi convenientes satisfactiones pro qualitate criminum: quid ergo censendum, si ita conniveat, ut nullam prorsus imponat satisfactionem? Insuper; grave damnum poenitentibus irrogat Sacerdos, si ne-

(1) Sess. XIV, c. 8.

gligat satisfactionem praescribere. Nam propter hanc remittuntur ex opere operato gravissimae in alia vita subeundae poenae: tanto ergo bono defraudantur poenitentes. ex confessarii incuria. cum ad illud jus acquisiverint per sacramentalem confessionem.

304. II. Quod ad poenitentes spectat, gravem quoque esse obligationem fluit ex dictis. Nam legitimae potestati. in re gravi imperanti. sub gravi est obsequendum: ergo cum poenitentia imposita est gravis. nequit obligatio eam explendi levis existere.

305. III. In thesi diximus. per se urgere obligationem imponendi, et acceptandi poenitentiam. Verum accidere potest, ut tum Sacerdos tum poenitens. per accidens. liberentur ab ea obligatione: primo. ex impotentia physica vel morali; secundo. si prudenter existimaret sacerdos. sufficientem satisfactionem peractam a poenitente fuisse: quomodo enim satisfacere valet qui nihil debet?; tertio. ratione alicujus jubilaei a poenitente lucrandi; quarto si poena foret nimis dura ac irrationalis, posset poenitens commutationem ab alio quaerere judice. In his. ut patet. nihil fit juri divino contrarium.

306. IV. Si ratio solum perpendatur satisfactionis. posset quidem poenitens aliam aequalem. et forte majorem. substituere illi. quam mandavit confessarius; verum quatenus satisfactio virtute clavium a Sacerdote imponitur. est pars sacramenti. et habet effectum ex *opere operato*. proinde numquam potest per se ipsum satisfactionem commutare. Huc spectat Propositio illa 15.ª ab Alexandro VII damnata: «Poenitens propria auctoritate substi»tuere sibi alium potest. qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.»

ARTICULUS III.

De satisfactione per suffragia et indulgentias.

THESIS XXXVIII.

Possunt fideles mutuo se adjuvare, ita ut opus unius alteri prosit ad remissionem alicujus poenae.

307. **Nota** I. Apud canonistas (1), et apud theologos, duce D. Thoma (2), suffragium est auxilium quoddam, quod unus fidelis praestat alteri ad obtinendum a Deo remissionem poenae temporalis, vel aliquod commodum spirituale.

---

(1) Ad cap. *Cum Creatura*, Celebr. Miss. Glos.—(2) In 4, dist. 45.

II. Tribus modis, ait Suarez (1), potest opus unius fidelis suffragari alteri. 1.° Ex opere operato per sacrificium Missae: 2.° per indulgentias, quae etiam juvant per modum operis operati: 3.° ex opere operantis.

308. Thesis certa est, et communis DD. doctrina, adversus lutheranos et wicleffitas. Prob. 1.° Tridentinum (2) docet: «Cum »Catholica Ecclesia, Spiritu Santo edocta, ex SS. Litteris, et antiqua »Patrum traditione, in SS. Conciliis et novissime in hac Oecumeni»ca Synodo docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fide»lium suffragiis... juvari; praecipit S. Synodus...»

2.° Omnes fideles *unum corpus* sunt in Christo (3), et *unus Spiritus* (4). Sed membra unius corporis pro invicem sollicita sunt, omnia compatiuntur, omnia *congaudent* (5): ergo, sicut voluit Deus ut omnes unum essent, voluit quoque ut omnes se mutuo adjuvarent, tum in tolerantia malorum, tum in bonorum incremento.

309. 3.° Tertullianus ait (6): «Inter fratres atque conser»vos, communis spes, metus, gaudium, dolor, passio; quia commu»nis spiritus de communi Domino et Patre. Non potest corpus de »unius membri vexatione laetum agere: condolet universum, et ad »remedium conlaboret necesse est. In uno et altero Ecclesia est, »Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, »Christum contrectas, Christum exoras. Aeque illi cum supra te »lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Fa»cile impetratur semper, quod Filius postulat.» S. Cyprianus (7): «Poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignosce»re, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint »martyres et fecerint Sacerdotes.» Augustinus (8): «Si in »membris Christi es, quidquid pateris, deerat passionibus Christi; »qui passus est in capite nostro, et patitur in membris suis, id est »in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram, »quisque pro modulo nostro exolvimus quod debemus, et quasi ca»nonem passionum inferimus. Pariatoria plenaria (satisfactio plena) »passionum non erit, nisi cum seculum finitum erit.» Ex quibus patet, imminui, singulorum satisfactionibus, canonem passionum totius christianae reipublicae, et pariatoriam debitam a toto exsolvi corpore. S. Chrysostomus (9) etiam: «Ne nos pigeat »opem ferre iis qui excesserunt, et pro eis offerre preces... Etenim «unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splen-

---

(1) Disp. 48 de Poenit. in exord.—(2) Sess. XXV, Decr. de *Purgator.*—(3) Rom. XII, 5.—(4) Ephes. IV, 4.—(5) I Cor. XII, 25, 26.—(6) De *Poenit.* c. 10.—(7) De *Laps.* ad finem.—(8) In Ps. CLXI.—(9) In Ep. ad Cor. hom. 41, n. 5.

»didiora; et fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus, a »precibus ac donis quae pro eis offeruntur... Ne Deum irrites, sed »places et reddas propitium. Nam si forti animo tuleris, erit hinc »et defuncto et tibi quaedam consolatio.» Id confirmat *Catech.* Concilii Trid. (1): «In eo vero summa Dei bonitas et clementia ma»ximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui hu»manae imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero sa»tisfacere.»

310. 4.° Rationem assignat D. Thomas (2): mediante charitate, unum sumus in Christo; ideoque actus unius fit actus alterius, et satisfactio unius ab alio expleri potest.

SCHOLION.

De modo quo suffragia perficiuntur.

311. Licet conveniant theologi omnes in exposita doctrina, dissentiunt tamen quoad modum, quo suffragia perficiuntur. Quidam sentiunt, fideles invicem in poenarum solutione auxilium praebere, ad modum meriti vel impetrationis. Nam, ajunt, debitum poenae est personale; ideoque, si solvatur, debet ab ipso debitore solvi.

Verum haec sententia, quatenus veram excludit satisfactionem unius pro alio, (illam quippe quaestionem, utrum possit simpliciter demereri vel impetrari condonatio poenae, praetermittimus), falsa, valde nova, et omnino vitanda a D. Eximio dijudicatur. Et quidem rationes theseos ostendunt, posse unum alteri subvenire, satisfaciendo, seu subeundo poenam pro illo. Ita enim explicitis verbis asserit *Catechismus* Tridentini. Pariter dicit Augustinus: «Ad communem hanc quasi rempublicam cano»nem passionum inferimus.» Chrysostomus autem: «Si forti »animo tuleris (ecce poenam et satisfactionem), erit hinc et defuncto »et tibi consolatio.» Tandem ex indulgentiarum dogmate res patet, nam Ecclesia de thesauro satisfactionum Christi et Sanctorum, poenas remittit: non ergo repugnat unum pro altero satisfacere.

Deinde, ratio illa ex unione omnium fidelium desumpta a D. Thoma et SS. Patribus, non plus suadet meritorum et orationum communicationem, quam poenarum et satisfactionum.

312. Ad argumentum oppositae sententiae respondetur; personale quidem esse satisfactionis debitum, quatenus ex personae ortum est culpa, et quatenus peccator ipse solvere debeat per se vel

(1) De *Poenit.* n. 109. (2) Suppl. q. 13, a. 2, ad 1.m

per alium; non autem quatenus ei prodesse nequeat alterius satisfactio: alias neque Christus potuisset *dolores nostros portare* satisfaciendo pro nobis.

Nota. His consonant ea quae in plurimorum sanctorum vita narrantur; nempe, saepe gravissimas eos subiisse poenas pro aliis ad Dei placandam justitiam et pro illis satisfaciendum.

THESIS XXXIX.

Habet Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, seu remittendi fidelibus poenas pro peccatis remissis debitas.

313. **Nota.** I. Indulgentia a verbo *indulgeo* derivata multiplicem habet sensum, tum apud theologos, tum apud canonistas. Aliis praetermissis sensibus, apud theologos simul et canonistas accomodatur haec vox, juxta usum Ecclesiae ad significandam specialem remissionem poenae debitae pro peccatis. In hac acceptione definitur a Suarezio (1): Quidam actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu poenae temporalis extra sacramentum. Dicitur a reatu poenae, quia culpa supponitur remissa: extra sacramentum, quia remissio quae fit in sacramento est diversae rationis actus: in foro Dei, nam non liberat a poenis in foro humano, vel civili, vel ecclesiastico debitis.

II. Remissio poenae ex voluntate concedentis extendi potest ad totum debitum vel ad partem; si primum, indulgentia dicitur *plenaria*, si secundum, *partialis*. In formulis concessionis limitari solet indulgentia partialis ad certum numerum dierum aut annorum, puta ad *quadraginta dies, septem annos*... etc.; sensus est, juxta communem theologorum sententiam, tantam poenam remitti purgatorii, quanta remitteretur ei, qui illo dierum aut annorum spatio secundum antiquos canones poenitentiam ageret. (Vide Suarez. De Poenit. D. L. sec. V, n. 12).

III. Ex negatione et impugnatione indulgentiarum initium duxit, Luthero parente, protestantismus; quia indulgentiae cujusdam a Sum. Pontifice concessae promulgatio non fuit ambitioso haeresiarchae commissa. Ante Lutherum, Huss et Wicleffus ab ea fidei doctrina errantes, damnati quoque ab Ecclesia fuere.

314. Propositio, quae est fidei catholicae prob. 1.° Trident.

---

(1) Disp. 49, de Poenit. init.

definivit (1): «Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ec-»clesiae concessa sit... Sacrosanta Synodus... eos anathemate dam-»nat, qui aut inutiles esse asserunt, aut eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.»

2.° Ex potestate clavium fluit doctrina haec. Dixit Dominus (2): *Tibi dabo claves regni coelorum*... Dedit Christus Petro, tamquam capiti et fundamento Ecclesiae, potestatem solvendi quodvis vinculum spirituale. Atqui poenae remanentes post remissa peccata sunt quaedam spiritualia vincula; ergo. Confir. Data est Petro potestas quodcumque auferendi impedimentum ad ingressum regni coelorum. Atqui obligatio solvendi poenas peccatis debitas impedit ingredi regnum coelorum; ergo. Eadem educuntur argumenta ex cap. XVIII, v. 18, ejusdem Evangelii.

315. 3.° Argumentatur D. Thomas (3), ex praxi Ecclesiae. Nam impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret. Et praeterea, ait S. Doctor, Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores poenas, scilicet, purgatorii, absolvendo a poenis injunctis, nempe si non haberet indulgentia effectum ad forum Dei, sed tantum ad forum canonicum.

316. 4.° Sixtus IV, damnavit Prop. 6 Petri Oxomensis: «Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.» Martinus V jussit, suspectos de erroribus Wicleff et Huss interrogandos; 26: «Utrum credat, quod Papa omnibus christianis vere »contritis et confessis, ex causa pia et justa, possit concedere indul-»gentias in remissionem peccatorum.» 27: «Item, utrum credat, »quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem SS. »Canonum, hujusmodi indulgentias concedere valeant.»

317. **Corollarium**. Ex dictis rejiciuntur nonnulli antiqui catholici sentientes, poenas tantum canonicas, seu in foro externo debitas, per indulgentias remitti. Id jure reprobatum est a Pio VI, in Bulla *Auctorem fidei*, prop. 40, adversus synodum Pistor., nec non a Leone X, in prop. 19 Lutheri: «Indulgentiae his, qui vera-»citer eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro pec-»catis actualibus debitae apud divinam justitiam.»

Id deducitur quoque ex verbis Christi laudatis, quia generalia sunt: nam quo jure vel ratione haec poenarum vincula excludi possunt?

---

(1) Sess. XXV, decr. de *Indulg.*—(2) Matth. XVI, 19.—(3) P. 3, Suppl. q. 25, a. 1.

THESIS XL.

Est in Ecclesia thesaurus ex meritis et satisfactionibus Christi constans, nec non Sanctorum, unde indulgentiae dispensantur.

318. Prob. 1.° Tridentinum (1) docet ex coelestibus thesauris procedere indulgentias. Leo X damnavit (2) art. 17 Lutheri: «Thesauri Ecclesiae, unde Ecclesia dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.» Similiter Pius VI damnat (3) prop. 41 Syn. Pist.: «Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invenisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum.» Adjicit autem Papa: «quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum; falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa.»

2.° Clemens VI (4) docuit: Jesum Christum effusione totius sanguinis, «thesaurum militanti Ecclesiae aequisivit... Quem »quidem thesaurum non in sudario positum, non in agro abscondi»tum, sed per B. Petrum ejusque successores commisit fide»libus salubriter administrandum.» Quae quidem refert Pontifex ad dispensationem indulgentiarum. Deinde ait: «Ad cujus quidem the»sauri cumulum B. Dei Genitricis et omnium electorum merita, a »primo justo usque ad ultimum, adminiculum praestare nos»cuntur.»

319. 3.° Ex dictis supra (5), et ex D. Thoma (6), sunt bona communia Ecclesiae infinita Christi merita et satisfactiones, et omnium justorum abundantes satisfactiones: ergo ad publicam et legitimam Ecclesiae auctoritatem spectat horum bonorum usus et administratio. Atqui opera satisfactoria unius fidelis possunt aliis in remissionem poenarum prodesse: ergo est in Ecclesia thesaurus... etc.

320. Obj. 1.° Omnia opera Sanctorum plene et cumulate illis compensantur: ergo nihil superest quod ab Ecclesia possit ceteris communicari.

Resp. Dist. *ant.* Quatenus meritoria sunt, plene compensantur; concedo. Qua satisfactoria sunt, subd. Si tantum debeant, quantum satisfaciant; conc. Aliter; nego *ant.* et *conseq.*

Obj. 2.° Opus unius non potest alteri prodesse, nisi huic ab illo liberaliter offeratur: vel ergo Sancti id faciunt, et tunc nihil supe-

---

(1) Sess. XXI, de Refor. c. 9.—(2) Bull. *Exurge Domine.*—(3) Bull. *Auctorem fidei.*—(4) Extrav. *Unigenitus.*—(5) Th. XXXVIII.—(6) Q. 25, a. 1, Suppl.

rest Ecclesiae de Sanctorum satisfactionibus ministrandum; vel non faciunt, et tunc nequeunt aliis valide concedi satisfactiones illae, non intercedente voluntate domini.

Resp. Saltem virtualiter, ex affectu charitatis, velle omnes justos, ut omnes sibi non necessariae satisfactiones ad communem cedant utilitatem. Deinde, omnium satisfactiones ad caput Christum, a quo etiam condignitatem desumunt, praecipue pertinent: jam vero Christus Ecclesiae, in B. Petro et successoribus, omnium plenam administrationem tribuit, dicens: *Tibi dabo claves... Pasce agnos meos...*

SCHOLION.

De concessione indulgentiarum.

§ I.

Utrum per modum absolutionis concedatur indulgentia.

321. Putarunt nonnulli theologi, concedi aliquando indulgentias virtute solius potestatis clavium, condonando poenas debitas, quin ex thesauro praedicto, satisfactionis Christi et Sanctorum, reddatur Deo aequalis solutio. Verum non est haec probanda sententia.

1.° Poenae pro peccatis exiguntur a Deo, titulo ac ratione justitiae: ergo cum habeat Ecclesia e divina misericordia thesaurum, unde ad aequalitatem possit divinae satisfacere justitiae, hoc modo indulgentias concedere existimanda est.

2.° Ipse Christus, cum posset, infinito suo merito, remissionem peccati et condonationem poenae omnino gratuitam et ex misericordia impetrare; tamen id noluit, sed plenissimam et infinitam satisfactionem, dolores nostros portando, obtulit divinae justitiae: ergo multo minus putandum est, poenas ab Ecclesia remitti, quin aequalem applicet satisfactionem; sic enim thesaurum suum veluti otiosum et sterilem ac absconditum servaret.

322. Obj. Conceditur indulgentia per modum absolutionis, vel per modum suffragii; sed hoc fit per applicationem alienae satisfactionis; ergo illa prior fit sola condonatione.

Resp. Dist. *maj.* Dicitur ad modum absolutionis, ut innuatur jurisdictio concedentis indulgentiam in eos ad quos refertur, vel ejusdem indulgentiae magnitudo ac excellentia; conc. Ut excludatur usus et applicatio thesauri; negatur.

§ II.

De jurisdictionis necessitate ut concedatur indulgentia.

323. Ex dictis intelligitur, qua de causa non possint absque jurisdictione concedi indulgentiae, licet possint fideles omnes suffragiis suis ceteros juvare. Etenim si ad modum absolutionis dentur indulgentiae, supponunt potestatem judicialem in eo qui absolvit, et subjectionem in eo qui absolvitur: si vero ad modum suffragii concedantur, cum procedat indulgentia ex Ecclesiae thesauro, ad eos spectat hujus administratio, quibus Ecclesiae regimen fuit commissum.

324. Dices: indulgentias non vivis solum, sed et defunctis Ecclesia concedit; atqui erga istos non habet jurisdictionem; ergo non est haec necessaria ad concedendas indulgentias.

Resp. Dist. *maj.* Concedit defunctis ad modum suffragii; conc. Per modum absolutionis; nego. Proinde ad concedendas pro defunctis indulgentias, illa sufficit jurisdictio, quae in thesaurum Ecclesiae habetur.

§ III.

De indulgentiae ad modum absolutionis et suffragii discrimine.

325. Ex praemissis facile deducitur. Cum ad modum *absolutionis* indulgentia datur, ille, qui concedit eam, absolvit subditum a poena debita, applicando simul de Ecclesiae thesauro convenientem satisfactionem. Cum vero ad modum conceditur *suffragii*, qui indulgentiam tribuit, non absolvit subditum, sed pro illo solvit Deo satisfactionem debitam, qua acceptata, absolvit Deus facto ipso tale debitum; quemadmodum et nos minime eos absolvimus, pro quibus Deo nostras satisfactiones offerimus.

§ IV.

De potestate Episcoporum ad concedendas indulgentias.

326. In aliquibus regionibus solent Episcopi non solum suis, sed etiam alienis subditis erogare indulgentias. Qua de re, proposita quaestione S. Congreg. Indulgentiarum, responsum est: id fieri non posse. Quod quidem ex dictis intelligi potest; non enim potest aliquis alienum absolvere subditum. Verumtamen, jurisdictio Epis-

coporum in proprios subditos. etiamsi a Sum. Pontifice sit limitata. tamen est ordinaria: quapropter docet Suarez (1), et res obvia et clara videtur. posse Episcopos potestatem, qua fruuntur. concedendi indulgentias delegare. Cum ergo ex consensu aliorum Episcoporum, aliquis alienis subditis indulgentias concedit; non quidem per se. sed propter delegatam potestatem. validae esse poterunt, dummodo eidem rei vel loco non plus cumulentur indulgentiae, quam possit Episcopus proprius seu delegans concedere.

Sub alia quidem ratione posset quaestio haec proponi; nam. ut dictum est. possunt indulgentiae non tantum ad modum *Absolutionis*. quae proprium respicit subditum, sed etiam per modum *suffragii* adplicari. Jam vero haec indulgentiarum concessio postulat tantum jurisdictionem (totalem vel partialem) in thesaurum Ecclesiae.

THESIS XLI.

Ad valorem indulgentiae necessaria est causa finalis; et quidem proportionata talis indulgentiae magnitudini.

327. Est communis sententia, et deducitur ex Tridentino (2): «In his tantum concedendis moderationem. juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem. adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.»

328. I.ª pars prob. 1.° Potestas haec concessa Ecclesiae fuit in aedificationem. non vero in destructionem. Sed si indiscrete ac sine causa remitteret Ecclesia poenas peccatis debitas. in fidelium perniciem id redundaret: ergo. *Min.* patet: nam exinde poenarum timor evanesceret. et facilius fideles in culpas ruerent, et ab operibus satisfactoriis abstinerent; quo tum eorum merita plurima, tum christiani populi exemplum et aedificatio. tum Dei obsequium et gloria ex parte deficerent.

2.° Deus summe misericors justitiae ordinem servat, nec remittit poenas temporales solius indulgentiae ac misericordiae causa: ergo et Ecclesia debet Dei providentiae. cujus gerit ministerium. conformari. et dispensationem hanc divinae justitiae non sine causa exercere.

329. II.ª pars prob. 1.° Pontifices non solum causam piam exigunt, sed justam et rationabilem: sic Clemens VI, in Extrav. *Unigenitus*. et Martinus V, in Conc. Constant., sess. ult..

---

(1) De Poenit. Disp. 55. Sec. 3.—(2) Sess. XXV, decret. de *Indulg.*

ajunt: «Ex causa pia et justa.» Atqui non est justa et rationabilis, nisi et proportionata existat: ergo.

2.° Si causa non est proportionata indulgentiarum magnitudini, in quo deficit proportio, cessat ratio causae: ergo si debet dari causa ad indulgentiam concedendam, et debet esse proportionata.

330. III.ª pars prob., nempe, dictam causam requiri ad valorem. Indulgentia est quaedam in jure divino dispensatio. Sed inferioris dispensatio in lege superioris non valet sine causa: ergo. *Major* prob. Tota ejusmodi Ecclesiae potestas respicit satisfactiones Christi et Sanctorum, et poenas debitas divinae justitiae. Sed haec spectant ad ordinem divinum, et ad solum Christum proprio jure pertinent: ergo in his nihil potest Ecclesia nisi ex potestate delegata Christi, ideoque dispensando jus divinum. Confir. ex absurdo. Si non esset requisita ad valorem indulgentiae causa proportionata, posset Pontifex, sua voluntate, spoliare purgatorium, et omnes fidelium remittere simul poenas. Sed hoc est aperte absurdum: ergo.

APPENDIX ET SUMMA

Disquisitionis de Poenitentia.

331. Paucis in hac Appendice deducemus, quae existant diferentiae inter forum internum Poenitentiae et forum externum.

Potestatem clavium esse judicialem potestatem supra diximus (Th. XVII): nomine enim Christi, Regis summi, debet Sacerdos reum judicare, solvendo vel ligando, remittendo peccata vel retinendo, et poenam imponendo juxta culpam. Quae autem existat inter hoc, nomine Christi, latum judicium, et nomine societatis prolatas sententias differentia, haud difficile est videre.

1.° Judicatoria societatis humanae potestas tum pro innocentibus, tum pro reis est instituta: clavium autem potestas, prout est facultas remittendi vel retinendi peccata, non exercet judicium nisi circa peccatores. Ratio est quia in terrena societate nonnunquam damnatio imminet insontibus; unde indigent justo judice, qui eorum jus tueatur ac dicat. In regni autem coelorum interno foro nullus potest nisi ab infallibili judice damnari; ideoque non opus est innocentibus judice, qui eos defendat.

2.° In foro externo constituitur judicialis potestas in societatis tutelam et vindictam criminum; non quidem pro reis salvandis,

sed puniendis: clavium potestas, quatenus est fori interni, e contra, ad reconciliandos Deo peccatores, divina placata justitia, est instituta. Nam Rex coelestis (1) *venit quaerere et salvum facere quod perierat:* hoc autem fit praecipue per criminis remissionem; secundo per aliqualem peccati vindictam, quae non in malum, sed in bonum, imo, et in meritum ac coronam ipsius rei ordinatur; e contra, tuetur judex societatem vindicando crimina, non remittendo.

3.° Civilis judex supponit esse reum illum, quem damnat, et insontem eum quem absolvit; nequit autem reum facere innocentem. At per potestatem clavium minister fori interni reos justos facit, si recte judicet juxta jus divinum.

4.° Judex civilis necessario damnat quod nequit absolvere, quia ut vindicet crimina est constitutus. E contra, potestas clavium, quos absolvere non potest, non damnando judicat, sed in sua damnatione relinquit ac judicio (2); nam *Secundum duritiam tuam*, dicit peccatori cum Paulo, *et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.*

5.° Externi fori potestas judicialis in subditos quoque renitentes profert sententias effectum habentes. At potestatis sacramentalis, cum sit reconciliativa peccatoris cum Deo, tunc sententia habet effectum, cum reus voluntarie ei subjicitur. Unde recte appellatur: tribunal *Pacis et Misericordiae.*

332. Summam bonorum, quae Dei eximia largitate, nobis in sacramento Poenitentiae tradita sunt, exhibet nobis insignis ille Doctor Chrysostomus, christianae et aureae eloquentiae exemplum (3): «Poenitentia gravis et tremenda peccatori pharma»cum est delictorum, expensa lacrymarum, absumptio iniquita»tum, fiducia ad Deum, telum contra diabolum, gladius ejus caput »abscindens, spes salutis, desperationis amolitio. Haec coelum ape»rit, haec in paradisum inducit, haec diabolum vincit... Justus es? »Ne cadas. Peccator es? Ne desperes. Non cesso frequenter vos his »inungere pharmacis. Novi enim quantum hoc sit contra diabo»lum, non desperare. Si peccata habeas, ne desperes. Etiamsi quo»tidie pecces, quotidie Poenitentiam age. Quod facimus in veteri»bus aedibus, cum in ruinam vergunt; quae ruinam minantur, »auferimus, et nova apparamus, et numquam ab assidua cura de»sistimus. Si hodie ob peccata vetustate labaris, renova te ipsum »hodie per Poenitentiam. Licetne, inquies, per Poenitentiam salu»tem consequi? Licet, et omnino licet. Totam vitam in peccato con»sumpsi, et si Poenitentiam ago, salvus ero? Maxime. Unde hoc

(1) Luc. XIX, 10.—(2) Rom. II, 5.—(3) Hom. 35, de *Poenit.*

»palam est? Ex Domini clementia. Num poenitentiae tuae confido? »Num poenitentia tua potest tot mala abstergere? Si sola Poeniten- »tia esset, jure timeres. Quia vero Poenitentiae admiscetur Dei cle- »mentia, confide. Dei namque clementiae mensura non est, neque »ejus bonitas potest sermone explicari... Nequitia tua, qualiscum- »que fuerit, nequitia est humana; Dei vero clementia ineffabilis »est. Confide, quia nequitiam tuam superat. Cogita scintillam in »pelagus incidentem; num potest consistere aut apparere? Quan- »tum est scintilla mari comparata, tantum est nequitia, si cum Dei »clementia conferatur; imo non tantum, sed multo magis. Pelagus »enim licet magnum sit, mensuram habet; Dei vero clementia in- »terminata est. Haec dico, non ut vos negligentiores reddam, sed »ut studiosiores efficiam... Te pudeat cum peccas, ne te pudeat cum »Poenitentiam agis et peccare cessas. Attende quid tibi fecerit dia- »bolus. Duo haec sunt; peccatum et poenitentia. Peccatum vulnus »est. Poenitentia pharmacum. In peccato opprobrium, in peccato »irrisio; in Poenitentia fiducia, in Poenitentia libertas, in Poeniten- »tia purgatio peccati. Attende diligenter. Peccatum sequitur pudor; »*Poenitentiam* sequitur fiducia. Verum Satan invertit ordinem, ac »fiduciam peccato dedit, et pudorem Poenitentiae... Capitur quis »gravi concupiscentia... peccatum facit... Illum pudet; dic: qua de »causa? Quia fornicatus est, et erubescit. Rem peragit, et non eru- »bescit, et de rei nomine erubescit? Diaboli est haec vafrities. In »peccato non sinit illum erubescere, sed publice facere: scit enim »quod si erubescat, peccatum non aget. Duo mala facit; Poeniten- »tiam impedit, et ad peccatum trahit... Tunc te pudere debebat, »tunc erubescere oportebat, cum peccares. Cum peccator fiebas, »non te pudebat, et cum justus efficeris, erubescis? *Dic tu iniquitates »tuas prior, ut justificeris* (1). Oh benignitatem Domini! Non dixit »ut non puniaris, sed ut justificeris. Non sufficiebat quod non puni- »retur, sed etiam justum efficis? Et maxime. Sed attende diligenter »sermoni. Justum illum efficit. Et ubinam hoc fecit? In latrone... »*Hodie mecum eris in paradiso* (2). Non dixit; absolvo te a suppli- »cio et punitione, sed in paradisum justum inducit. Vidistine a con- »fessione justum effectum? Admodum clemens est Deus. Filio non »pepercit, ut servo parceret; tradidit Unigenitum, ut ingratos ser- »vos redimeret: Sanguinem Filii sui in pretium deposuit. Oh be- »nignitatem Domini!»

(1) Isai. XLIII, 26.—(2) Luc. XXIII, 43.

DISQUISITIO VI.

De Extremae Unctionis Sacramento.

PROOEMIUM.

Dum in hac mortali versamur vita, bellum, pro aeternae salutis assequenda corona, continuo instat. Pugnare, scilicet, necessum est adversus intestinam membrorum legem (1), et mundi malignitatem (2), nec non *principes et potestates tenebrarum harum* (3), qui semper circuunt quaerentes quem devorent (4). Inde quotidiana animorum vulnera; et spiritualis medicinae, scilicet, poenitentiae perennis necessitas; et coelestis roboris indigentia ad animae lassitudinem curandam. Morte autem adventante, et hostium acrior fit pugna, et praeteritorum omnium vulnerum delendi reliquias major urget necessitas. Ideo sacramentum Dux noster Jesus Christus instituit, vitae seu militiae christianae, necnon poenitentiae consummans perfectionem. Hac de causa, doctrinae de sacramento Poenitentiae doctrinam quoque de Extrema Unctione Tridentinum subjunxit (5): «Visum est, ait, sanctae Synodo, praecedenti doctrinae de Poenitentia adjungere ea, quae sequuntur de »Sacramento Extremae Unctionis: quod non modo Poenitentiae, sed »et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, »consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa »illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Re»demptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutari»bus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospec»tum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praepa»ravit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab »omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremae Unctio»nis sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesi»dio, munivit.»

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De existentia, natura et effectibus Extremae Unctionis.
» II. De materia, forma et ministro Extremae Unctionis.
» III. De subjecto, de necessitate Extremae Unctionis et de dispositione ad illam requisita.

---

(1) Rom. VII, 23. — (2) I Joan V, 19. — (3) Eph. VI, 12. — (4) I Petr. V, 8. — (5) Sess. XIV.

CAPUT I.

De existentia, natura et effectibus Extremae Unctionis.

Diversis nominibus appellatur hoc Sacramentum a Conciliis et ecclesiasticis scriptoribus: «Oleum Sanctum:» «Oleum Benedictionis:» «Sacra Unctio:» «Unctio sacramenti Olei:» «Sanctificatio Unctionis:» «Unctio Infirmorum:» «Unctio extrema:» «Sacramentum Exeuntium:» «Medicina Sancta:» Graeci dicunt: τὸ ἅγιον ἔλαιον, vel εὐχέλαιον.

ARTICULUS I.

De existentia et natura Extremae Unctionis.

THESIS I.

Datur in Ecclesia Christi pro infirmis quidam sacrae Unctionis ritus, qui Extrema Unctio dicitur.

1. Prob. 1.° Apostolus Jacobus (1) dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum.* Ex his aperte patet: extitisse ritum cujusdam Unctionis pro fidelibus infirmis; *Infirmatur quis in vobis?* Item, ejusmodi ritum esse sacrum: nam fieri debebat cum oratione, et in nomine Domini; scilicet, tamquam ministri Christi, id perficiebant Presbyteri.

2. 2.° Origenes (2) inter alias sacras actiones in peccati remedium efficaces, puta, martyrium, Baptismum, Confessionem peccatorum, etc. adnumerat hanc infirmorum Unctionem, quam vocat *medicinam*, et ait: «In quo impletur illud, quod Apostolus »dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae...* etc.» Innocentius P. P. I (3) ait: dicta S. Jacobi verba «De »fidelibus aegrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrisma-

(1) V, 14, 15.—(2) Hom. 2, in Levit.—(3) Ep. ad *Decent.*

»tis perungi possunt.» Deinde docet, illud non posse fundi poenitentibus; nempe qui poenitentia publica funguntur. Jam vero admodum doctus ac eruditus Innocentius fuit, ita ut mirifice laudetur ab Augustino, Hieronymo et Chrysostomo. Victor Antioch. (in Marc. 6): «Oleum quod in S. Unctione »adhibetur, et Dei misericordiam, et morbi sanationem, et cordis »illuminationem denotat.» S. Chrysostomus (1) ad eximia munera sacrae potestatis Sacerdotum spectare docet, illud quod tradidit S. Jacobus; nempe: *Orent super eo, ungentes eum oleo...* etc. Proinde Unctionem illam in usu habebat Ecclesia. Item, S. Augustinus (2), (vel potius S. Caesarius Arelat.) ait: in quacumque infirmitate, post sumptum Corpus et Sanguinem Domini, «Corpusculum suum ungat, ut illud in eo im»pleatur: *Infirmatur aliquis; inducat Presbyteros...* etc.» Ipse Augustinus in libello, quod Speculum vocavit, collegit illa S. Scripturae testimonia, «quae etiam nunc, ait, ad vitam piam exer»cendam, moresque pertinent.» Jam vero ibi refert documentum istud S. Jacobi: *Infirmatur quis...* etc. Ergo id servabatur in usu Ecclesiae, et censebat Augustinus, Unctionem illam sacram fuisse in perpetuum institutam. S. Petrus Damianus (3) docet, quod per istam Unctionem, «Spiritus pietatis as»sistit... Ait enim S. Jacobus: *infirmatur quis in vobis...* etc. »Solemnis unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum »dimittitur.» Concilium Regiaticinum (4) mandavit: «Si is qui »infirmatur, publicae poenitentiae mancipatus est, non potest hu»jus mysterii consequi medicinam.» Simili modo loquuntur plura alia concilia passim ab AA. laudata, quae rem esse sacram, et ab Ecclesia exerceri, Unctionem hanc infirmorum tradunt.

3. 3.° Non pauca antiquorum SS. exempla confirmant doctrinam Ecclesiae. S. Abelardus abbas petiit ante obitum inungi a S. Hildemanno ep. benedictionis oleo, sicut a B. Apostolo sancitum est, uti in ejus vita narratur. Refertur apud Bollandos (11 Feb.) de Tresano sanctissimo presbytero (in Sec. VI), quod sacra accepta Unctione, et Viaticum petierit. Idem refert Surius de S. Kunegunda in Sec. VII.

4. Obj. Patres priorum seculorum fere universim tacent de ejusmodi sacra unctione: ergo non videtur ab Apostolo commendata nisi pro circumstantiis illis, ut modus gratiam curationum exercendi; sic enim ipsi Apostoli, ut refert Marcus (5), ungebant oleo aegros et sanabant.

---

(1) *De Sacrd.* 6.—(2) Serm. 265, in App.—(3) Serm. 1, in Dedic. Eccle.—(4) Can. 8. Ann. 850 celeb.—(5) VI, 13.

Resp. Permitto *ant.* et nego *conseq.* Tacebant, quia non urgebat universim de ea re scribere. Id patet exemplo Innocentii I, qui nonnisi data et urgente occasione illa, prorsus casuali, quod Decentius quasdam illi fecit interrogationes, insigne illud nobis reliquit testimonium; qua occasione sublata, nec verbum de hac S. Unctione tradidisset. Verum est adhibuisse Apostolos ad curandos aegros olei unctionem; at. quidquid de illa sentiamus unctione, negatur paritas: nam Ap. Jacobus explicite declarat, ad alium scopum, non ad solam corporis sanitatem, vocandos esse Ecclesiae Presbyteros.

THESIS II.

Extrema Unctio est verum Novae Legis Sacramentum.

5. **Nota.** I. Unctio, a verbo ungere, idem valet ac ungendi actio. Dicitur ungo quasi unum ago; quia talis actio non perficitur nisi per aliquam unionem.

II. Triplici utitur Ecclesia personarum unctione. Prima neque sacramentum, neque aliquid est sacramentale: quia neque gratiam per se causat, neque ad aliquod sacramentum perficiendum vel suscipiendum ordinatur; talis est unctio regum. Secunda est sacramentalis, non autem sacramentum: quia ad sacramentum ordinatur, vel suscipiendum, ut catechumenorum, vel perficiendum, ut unctio baptizati in vertice. Tertia denique est sacramentum per se: et duplex existit; scilicet, Chrismatis, quae fit in fronte per Episcopos, de qua egimus Disq. III. De sacr. Confirmationis, et Olei sancti per Sacerdotes, quae fit in extremis. Dicitur haec Unctio Extrema, quia extremum est omnium sacramentorum, et fit in extremo vitae periculo.

III. Lutherani et calvinistae hoc negarunt sacramentum. Utrum id alii priores quoque rejecerint haeretici, dubitatur: nam videtur potius non ipsum negavisse sacramentum, sed adversus circumstantias aliquas vel abusus insurrexisse, ut waldenses et wicleffitae: tamen verisimilius est illud negasse albigenses.

6. Thesis est certa et fidei catholicae. Prob. 1.° Constat ex Thesi de septenario numero Sacramentorum, quam in Disquis. I.ª de *Sacram. in Genere* Thes. I.ª tradidimus. Deinde Conc. Tridentinum (1) definit: «Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum... anath.

(1) Sess. XIV, can. 1.

sit.» Item ex Florentino, in Decreto pro *Armen.*; Innocentius PP. I. in I.ª Thesi laudatus, explicite dixit: «Penitentibus istud (oleum Chrismatis) fundi non potest, quia genus est sacramenti: nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?» Quibus verbis Innocentius non tantum appellat S. Unctionem sacramentum, sed etiam comparat et adaequat cum ceteris sacramentis.

7. 2.° S. Jacobus (1) ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui in his verbis ea omnia continentur quae sunt de essentia sacramenti Nov. Leg.: scilicet, ritus sensibilis constans *unctione* tamquam materia: *oratione* Sacerdotis tamquam forma; minister seu sacerdos; et tandem effectus cum promissione gratiae. Ergo.

8. 3.° S. Petrus Damian. (2) aperte adnumerat inter sacramenta: «Primum est Baptismatis sacramentum... Tertium est Unctio Infirmorum...» Conc. Regiatic. (3) ait: «Illud quoque salutare sacramentum, quod commendat Jacobus Ap... Hoc tamen sciendum, quia si is qui infirmatur, publicae poenitentiae mancipatus est, non potest hujus mysterii consequi medicinam, nisi prius... Cui enim reliqua sacramenta interdicta sunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur.» Chrysostomus confert etiam cum Baptismate (4): «Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent;» quod ostendit ex verbis Jacobi: *Infirmatur quis...*

9. 4.° Ratio theologica facile constat ex dictis, prout traditur a D. Thoma (5). Extrema Unctio ordinatur ad remissionem peccati, ut constat ex S. Jacobo: atqui non ordinatur per aliud sacramentum, quasi foret aliquod sacramentale, sed per se ipsam: ergo est verum sacramentum: justificatio enim a peccato non perficitur sine gratiae infusione. Tridentinum aliam exhibet congruam rationem. Christus alios vitae status diversis munivit sacramentis, quibus nos, dum viveremus, integros conservare possemus ab omni graviori spiritus incommodo. Atqui in fine vitae praecipue necessum erat spiritum nostrum munire; ergo.

10. Obj. 1.° S. Dionysius (6) de sacramentis agens, nihil de Extrema Unctione meminit.

Resp. cum D. Thoma (7). Dionysius non facit aliquam

---

(1) V, 14, 15.—(2) Supra, Th. I. — (3) Ibid.— (4) L. 3, de *Sacerdot.* c. 6.— (5) Summ. Supplem. q. 29, a. 1 et 2. — (6) De *Eccles. hierarch.*— (7) 4, dist. 23, Q. 1, a. 1, q. 1, ad 3.m

mentionem de Extr. Unctione, sicut nec de Poenitentia, nec de Matrimonio; quia ipse non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiasticae hierarchiae ordinata dispositio, quantum ad ministros et actiones ministrorum, et recipientes.

11. Obj. 2.° Si foret S. Unctio sacramentum, haberet effectum infallibilem. At saepe non causat infirmo salutem corporis; ergo.

Resp. 1.° Concessis praemissis; nego *conseq.* Sufficit enim, ut sit sacramentum, quod infallibiliter causat gratiam: hic enim est primarius effectus Extremae Unctionis.

2.° Dist. *maj.* Haberet effectum primarium infallibilem: conc. Secundarium et conditionatum; nego. Jam vero sanitas corporis est effectus secundarius S. Unctionis, et ad animae salutem ordinatus; ideoque non requiritur ut sit infallibilis. Unde ait Florentinum: «Effectus est mentis sanatio, et in quantum expedit, ipsius etiam corporis.»

12. Obj. 3.° Si fuerit Extr. Unctio sacramentum, suscipit infirmus quinque vel septem sacramenta cum totidem unctionis distinctis. Sed id omnino inane et absurdum videtur; ergo.

Resp. nego *maj.* Nam omnes unctiones externae ad unam actionem, seu unctionem internam uniuntur, qua hauritur morbus interior, ut observat (1) D. Thomas, cujus fusiorem explicationem videas.

13. Obj. 4.° S. Unctio, de qua Jacobus, illa ipsa est quam adhibebant Apostoli, et meminit Marcus (2). Sed haec non erat sacramentum, cum omnibus infirmis traderetur, etiam non baptizatis: ergo neque prior.

Resp. Nego *maj.* Illa enim, de qua S. Marcus, fuit obumbratio, seu insinuatio, ut loquitur Trident. (3), sacramentalis Unctionis. Haec est probabilior sententia, tametsi alii aliter sentiant.

14. Obj. 5.° S. Jacobus instituit S. Unctionem: ergo nequit esse verum sacramentum.

Resp. 1.° Aliqui AA. cum Magistro Sent. censuerunt Apostolum instituisse immediate hoc sacramentum, Christum autem mediate: negant autem ipsi *consequentiam.*

2.° Verum, juxta ea quae in Disquis. I.ª diximus (4), negamus *antecedens.* Quamvis enim non narrent Evangelistae, quando institutum a Christo fuerit hoc sacramentum; scimus Christum in illis quadraginta diebus, inter Resurrectionem et Ascensionem, ea quae ad Regnum Dei seu ad Ecclesiam pertinent, disposuisse (5). Prae-

---

(1) 4 dist. 23, Q. 1, a. 1, q. 2, ad 1.m et 2.m; et in Summ. Suppl. q. 29, ar. 2 ad 1m.—(2) VI, 13.—(3) Ses. XIV, cap. 1. Se Extr. Unct.—(4) Thes. XIII, n. 123. —(5) Act. Ap. I, 3.

terea de hoc sacramento expresse docet Tridentinum (ibid): «Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum, tamquam vere et proprie sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.»

ARTICULUS II.

De effectibus Extremae Unctionis.

THESIS III.

Sacra infirmorum Unctio ad duos spirituales effectus per se ordinatur: ad spiritus lassitudinem et ceteras peccatorum sanandas reliquias, primario; et ad culpas ipsas remittendas, secundario.

15. **Nota.** Pars prima est doctrinae catholicae: secunda vero, quod saltem venialia remittantur peccata, est de fide: remitti autem etiam mortalia, si quae sint, verius et communius docent AA.

16. I.ª pars, prob. 1.° Tridentinum (1) docet: quod Deus «Finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio, munivit,» per sacram Unctionem. Deinde ait: quod «peccati reliquias abster»git, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divi»nae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et »morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemo»nis facilius resistit.» Florentinum (2) ait: «Effectus est »(Extr. Unctionis) mentis sanatio.» Ita et Conc. Coloniense (3).

2.° S. Jacobus explicat efficaciam Unctionis et orationis sacerdotis: *Et alleviabit eum Dominus*, graece legitur: ἐγερεῖ; scilicet, vigorem praestabit et alacritatem.

17. 3.° Supra Patres appellant Sacram Unctionem medicinam; ergo ad animam sanandam et roborandam ordinatur. Ita D. Thomas (4): «Sicut Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, »et Poenitentia quaedam spiritualis suscitatio; ita Extrema Unctio »quaedam sanatio spiritualis vel medicatio.» Victor Ant. (Thes. I. n. 2) cor illuminari dicit; quod gratias actuales importat, ideoque robur mentis.

---

(1) In prooem. de *Extr. Unct.* et c. 2.—(2) In Decr. pro *Arm.*—(3) P. 4.ª, c. 40.—(4) 4, dist. 23, q. 1.

18. II.ª pars prob. 1.° S. Jacobus ait: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

2.° Trident. (ibid.) docet: «Cujus Unctio delicta, si quae sint »adhuc expianda, ac peccati reliquias, abstergit.» Concilium Regiaticin.. supra laudatum ait: «Magnum sane ac valde appe»tendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et peccata re»mittuntur.»

19. 3.° Origenes docet aperte (Thes. I, n. 2), fieri per hanc medicinam remissionem peccatorum. Victor Antioch. tres distinguit effectus mysticae Unctionis, et primum appellat *divinam misericordiam;* secundum, *morbi sanationem;* tertium autem, *cordis illuminationem;* idque deducit ex testimonio S. Jacobi, qui, praeter remissionem peccatorum, alios etiam duos enumerat effectus. Proinde, nomine divinae misericordiae, nihil aliud intelligit Victor nisi peccatorum remissionem. S. Chrysostomus etiam (ibid.), per hoc Jacobi de S. Unctione testimonium, ostendit Sacerdotis potestatem ad remittenda peccata. Et Augustinus (ibid): «Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Eccle»siam cucurrerit... et peccatorum indulgentiam merebitur obtine»re.» S. Petrus Dam. (1): «Liquor excelsus, quo peccatum »dimittitur.» S. Bernardus (2) ait: «Malachias gratias agens, »benedixit Dominum. Et unxit eam (aegrotam), sciens in hoc sa»cramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum.»

20. 4.° S. Extrema Unctio est instituta ut poenitentiae et totius christianae vitae sit consummatio. Sed ad id oportet ut, si in peccatis sit infirmus, ei per S. Unctionem remittantur: ergo. *Maj.* ex Trident. (3), et natura hujus sacri ritus, qui pro infirmis in periculo vitae constitutis est institutus. Confir. Ex verbis Ecclesiae ministrantis Unctionem: «Indulgeat tibi Deus quidquid... deli»quisti.»

21. Obj. 1.° Sacra Unctio non impertitur, nisi prius per confessionem sacramentalem expiaverit infirmus peccata: ergo illa non fuit instituta ad remissionem peccatorum.

Resp. Dist. *conseq.* Non fuit principaliter instituta pro peccatorum remissione; conc. Nam ad robur animi, et complementum vitae christianae, et poenitentiae, ideoque ad augmentum gratiae, et auxiliorum incrementum, est praecipue instituta S. Unctio. Secundario non fuit instituta ad peccatorum remissionem; nego. Etenim explicite id docuit S. Jacobus: *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

---

(1) Ser. 1, in *Dedicatione Ecclesiae.* (2) Vit. S. *Malach.*—(3) In prooem. de Sacr. Extr. Unc.

Inst. 1.° Verba Jacobi de venialibus peccatis intelligi possunt: ergo nonnisi gratiae augmentum potest per S. Unctionem conferri.

Resp. Dist. *ant.* Etiam pro venialibus; conc. Exclusive; nego *antecedens*. Nomine enim peccati et criminis, ut Trident. loquitur, per se mortalia significantur. Deinde, conditionalis illa Apostoli, *si in peccatis sit*, rem ostendit; venialia enim communiter insunt, dicente Joanne (1): *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus... veritas in nobis non est*. Vide etiam supra (2) Augustinum.

Inst. 2.° Sufficit quod per accidens peccata remittantur, ut verae existant laudatae SS. Scripturarum et Patrum sententiae: ergo non ordinatur S. Unctio per se ad remissionem peccatorum.

Resp. Nego *ant.* Etenim probationes allatae ostendunt, S. Unctionem ordinari speciali modo, et ex institutione ipsius, ad peccati remissionem; remissio autem, quae per accidens fit, communis est sacramentis omnibus.

22. Obj. 2.° In verbis quibus Extrema Unctio confertur, significatur sola peccatorum indulgentia: ergo principaliter propter peccata remittenda fuit instituta. *Ant.* patet; dicitur enim: «Indulgeat »tibi Deus quidquid deliquisti.»

Resp. Dist. *ant.* Indulgentia peccatorum perfecta, id est, quoad peccatorum reliquias; conc. Indulgentia inchoata, seu quoad culpam tantum; nego. Quid autem sint reliquiae istae, ad quas sanandas haec spiritualis medicina ordinatur, explicat D. Angelicus (3): «Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones »ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati; sed quae»dam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, »etiam eisdem habitibus, vel dispositionibus manentibus, non ita »potest inclinari mens ad peccata.»

THESIS IV.

Extrema Unctio instituta fuit ad sanitatem corpori reddendam, qua saluti animae expedierit.

23. Prob. 1.° ex Tridentino (4): «Sanitatem corporis inter»dum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.» Et Florentinum (5): «Effectus est mentis sanatio; et, in quantum autem ex»pedit, ipsius etiam corporis.

2.° S. Jacobus significavit ejusmodi S. Unctionis effectum:

---

(1) 1. Jo. I, 8.—(2) Disq. V. De Poenit. Thes. XI, n. 59.—(3) In 4, dist. 23 Q. I, a. 2, q. 1.—(4) Sess. XIV, de Extr. Unctione, c. 2.—(5) Decr. pro *Arm.*

Et oratio fidei salvabit infirmum, id est, ut Syriace legitur, sanitati restituet.

24. 3.° Victor Ant. (in Th. I, n. 2), antiquissimus ante Julianum Apostatam scriptor, hunc etiam tribuit S. Unctioni effectum. S. Augustinus (in Th. I), ait: «Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem... merebitur obtinere per S. Unctionem.» Et Petrus Damianus (1): »Solemnis Unctio, liquor excelsus, quo sanitas redditur..., etc.» Synod. Regiaticina, can. 8, dixit: «Magnum sane ac valde »appetendum mysterium, per quod si fideliter poscitur, et peccata »remittuntur, et consequenter corporalis salus restituitur.» Item. Conc. Cabilon. can. 48: «Non est itaque parvifacienda hu»jusmodi medicina, quae animae corporisque medetur languo»ribus.»

25. 4.° Ideo a Christo fuit Sacra Unctio instituta, ut consummationem afferret poenitentiae ac vitae christianae. Atqui ad hoc potest aliquando conferre ut sanitas recuperetur ac vita protrahatur; ergo.

26. Obj. Accidit nonnunquam, quod bene dispositi et ad mortem parati, post Unctionem, ad salutem restituantur, et exinde pravam ducant vitam, et pessimam subeant mortem. Ergo talibus minime expediebat sanari, sed potius morbo succumbere, ideoque non videtur sanitas corporis esse effectus S. Unctionis.

Resp. Quae in his eventibus accidunt conjecturalia sunt et incerta, ideoque negatur *Conseq.* Fateri oportet, aliquando morali quadam certitudine elucere, quod aegroti hac salutari medicina alleventur et convalescant. Quod autem aliquis certo ad moriendum dispositus, sanetur certo virtute Unctionis, et deinde tandem certo pereat, quis poterit dignoscere? Quod si casus iste daretur, nihil poteris adversus sacramenti efficaciam colligere, quia maximis etiam Dei donis homo abuti potest, et in propriam ruinam ea quae valde eidem per se expediebant, vertere.

SCHOLION.

De effectu remissionis venialium.

27. Venialia peccata remitti etiam per Extremam Unctionem, facile ex dictis intelligi potest, et docent cum Suarez plurimi AA., quorum aliqui etiam putarunt, principalem effectum esse venialium remissionem; quod tamen non est approbandum. Venialia quidem, ut diximus alibi (2), facilius remittuntur quam morta-

(1) Serm. 1, in *dedic. Eccl.*—(2) Disq. V, De *Poenit.* Thes. XI.

lia; si ergo ad horum remissionem praestat S. Unctio, potiore ratione valebit pro venialibus. Deinde, directe ista adversantur perfectioni vitae christianae ac poenitentiae: ergo venialium remissio proprius spectat ad effectum hujus Sacramenti.

Quo pacto autem id praestare valeat, intelligi potest ex dictis in Disq. de *Poenit.* Dummodo non perseveret in anima actualis in venialia affectus, Sacra Unctio devote suscepta, et praesertim meritorum Christi virtus, quae per sacramentum applicantur, movent divinam clementiam ut ejusmodi condonet offensas, juxta subjecti dispositionem.

THESIS V.

Poenae temporales, pro peccatis debitae, remittuntur etiam per Extremam Unctionem.

28. **Nota.** Hunc S. Unctionis effectum provenire intelligimus non tantum ex opere operantis, quia susceptio hujusce sacramenti est actus poenitentiae et satisfactorius; sed etiam ex opere operato.

29. Prob. 1.° Tridentinum docet (1): «Delicta, si quae sint »adhuc expianda, et peccati reliquias abstergit.» Jam vero, dum poenae debentur, non est peccatum plene expiatum; expiare enim peccatum, est Deum placare, seu propitium reddere: atqui cum exigit poenas, non est plene placatus; ergo abstergere delicta, quae sunt adhuc expianda, importat etiam remissionem poenarum. Patet quoque ex eo, quod istae poenae sunt peccatorum reliquiae; ergo et illae absterguntur, seu condonantur per S. Unctionem.

30. 2.° Ut supra dictum, pro consummatione vitae christianae et poenitentiae, instituta fuit Extrema Unctio. Sed neque vita christiana, neque poenitentia consummatae dici queunt, dum poenae debentur pro peccatis; ergo.

31. Dices. Inde sequi videtur, quod omnes decedentes sacra muniti Unctione, poenas alterius vitae evadant.

Resp. Nego *sequelam;* nam major vel minor poenarum remissio a subjecti pendet dispositione.

---

(1) Sess. XIV, de Extr. Unct. c. 2.

CAPUT II.

De materia, forma et ministro Extremae Unctionis.

ARTICULUS I.

De materia Extremae Unctionis.

THESIS VI.

Extremae Unctionis materia remota est oleum olivarum: proxima autem est Unctio a Sacerdote facta.

32. I.ª pars thesis est de fide et probatur 1.° Tridentinum: (1) «Intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.» Item Florent.: «Cujus materia est oleum olivae per Episcopum benedictum.»

2.° S. Jacobus dicit: *Orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini*. Jam vero nomine olei, venit, per se et simpliciter dicti, oleum olivarum.

33. 3.° Constans et perpetua traditio Ecclesiae argumentum praebet indubitatum; numquam enim Ecclesia, graeca vel latina, hoc sacramentum sine oleo olivarum ministravit, uti observat Tridentinum (ibid.). In L. Sacramentorum S. Gregor. Mag. oratio pro benedictione Olei, sic habet: «Emitte, Domine, »Spiritum S. tuum Paraclitum de coelis in hanc pinguedinem oli»vae, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem »corporis...» Victor Ant. manifeste supponit, oleum commune, scilicet olivarum, adhibitum et praescriptum fuisse ad S. »Unctionem (2): «Oleum inter alia et laborum molestias mitigat, et »lumen fovet, et hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in S. Unc»tione adhibetur, et Dei misericordiam, et... etc.»

34. II.ª pars prob. 1.° Oleum significat sacramenti effectum qua-

---

(1) Sess. XIV, de Extr. Unct. c. 1.– (2) In Marc. VI.

tenus Unctione applicatur: ergo Unctio est materia proxima. *Ant.* prob. Trident. ait: «Ecclesia intellexit... materiam esse oleum »ab Episcopo benedictum; nam Unctio aptissime Spiritus Sancti gra»tiam, qua invisibiliter aegrotantis anima inungitur, repraesentat.»

35. 2.° Ipsa verborum forma, qua Ecclesia perficit sacramentum, significat, per usum olei, seu Unctionem, causari effectum; ait enim: «Per istam Sanctam Unctionem... indulgeat tibi Deus...» Victor Antioch. (ibid.) non ad simplex oleum, sed ad ejus usum significationem adscribit, dicens: «Quod de mystica Unctio»ne, et olei usu hic subjungitur... solus Marcus commemo»rat...» S. Jacobus docet cum ipsa Unctione adhibendam precem: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.*

36. 3.° Aliorum sacramentorum, quae in actione, seu usu consistunt, non autem in re permanente, uti S. Eucharistia, materia proxima est elementi applicatio; uti in Baptismo, lotio, etc. Ergo idem censendum in Extrema Unctione.

4.° Denique ipsa nomina, quibus vocatur a Patribus hoc sacramentum, idem confirmant. Dicitur enim: Sacra Unctio, Unctionis Sanctificatio, Sacramentum Extremae Unctionis, etc.

37. Obj. Innocentius I dicit, Unctionem fieri sancto *Oleo Chrismatis;* ergo materia non est simplex olivae oleum, sed mixtum aliquod.

Resp. Ex graeca lingua vox Chrisma desumpta est, et quamlibet significat Unctionem, sive simplicis olei, sive compositi et mixti. Negatur ergo consequentia.

2.° Si forsan aliquid balsami miscebatur, id ad odorem aliquem fundendum, non necessitatis causa factum fuisse.

THESIS VII.

Oleum pro sacra Unctione debet ab Episcopo esse benedictum.

38. Prob. 1.° Ex verbis laudatis (Th. praec.) tum Tridentini, tum Florentini.

2.° Innocentius I (1) aperte docet, quod Episcopi est, «ip»sum Chrisma conficere.» Concil. Cabilon. (2) decrevit: «Oleo, »quod ab Episcopo benedicitur, a presbyteris infirmi inungi de»bent.»

3.° Paulus V damnavit (13 Jan. 1655) hanc prop. «Quod sa»cramentum Extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non

(1) Ep. I, ad *Decent.*—(2) Can. 48.

»consecrato ministrari valide possit: auditis DD. Cardinalium suf»fragiis, declaravit (Sanctissimus D. N. D. Paulus V), dictam »propositionem esse temerariam et errori proximam.»

SCHOLION.

Qua potestate Presbyteri graeci aliique orientales benedicant oleum infirmorum.

39. Expositae in thesi doctrinae obstare videtur, quod apud Graecos, Armenos, aliosque orientales, Presbyteri benedicant etiam oleum pro Unctione infirmorum, et numquam eis Ecclesia id prohibuerit. Imo, expresse declaravit Clemens VIII (1): «Quod »non sunt cogendi Presbyteri Graeci olea sancta, praeter Chrisma, »ab Episcopis Latinis dioecesanis accipere, cum hujusmodi olea ab »iis, in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu »conficiantur, seu benedicantur.»

Quo ergo sensu damnata est propositio illa: «Quod oleo episcopa»li benedictione non consecrato administrari valide possit sacra»mentum Extremae Unctionis?»

Resp. Quaedam in his documentis existere, primo aspectu, videtur contradictio. Supponimus, fuisse illud Pauli V decretum sufficienter promulgatum, uti normam et doctrinam ab universa Ecclesia tenendam; quo praesupposito, dicimus: ministrum validae consecrationis olei sancti *ordinarium* solum esse Episcopum; presbyteros autem, vi solius sui ordinis, non posse illud valide benedicere; sed posse accedente *legitima delegatione*. Quemadmodum pro jurisdictione necessaria in foro interno Poenitentiae, ut supra diximus (2), non aliam voluit Christus Sacerdotibus conferre nisi legitimam; ita disposuit ut non aliud foret hujus sacramenti oleum, nisi legitime benedictum. Jam vero, apud Graecos, presbyteri legitime, ex auctoritate Apostolica (tacita vel expressa), benedicunt olea Extremae Unctionis: e contra apud Latinos. Hinc, cum propositio illa damnata assereret absolute et confuse, non esse necessariam benedictionem Episcopi, etiam apud Latinos, et aliam posse sufficere, nulla etiam facta delegatione; jure damnanda erat.

---

(1) Constit. 34, pro *Graec ritib.*— (2) Disq. V. De Poenit Thes. XXXI. Schol. II. IV, nn. 261, 265.

ARTICULUS II.

De forma Extremae Unctionis.

THESIS VIII.

Forma Extremae Unctionis est oratio illa quam, juxta Ecclesiae praescriptionem, fundit Sacerdos inungens oleo sancto.

40. **Nota.** Diversae sunt in Ecclesiis orationes quibus ministratur sacra Unctio. Romana Ecclesia dicit: «Per istam sanctam Unc»tionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Domi»nus quidquid per visum deliquisti» et similiter inungens alios sensus. Ecclesia Graeca fusius deprecatur: «Pater sancte, medice »animarum et corporum, qui misisti unigenitum Filium tuum... »sana quoque hunc servum tuum a corporali, spiritualique infir»mitate, qua continetur, et vivifica eum per gratiam Christi tui.» Ita in aliis Ecclesiis, et aliis temporibus, aliae adhibitae sunt preces.

41. Prob. 1.° Tridentinum ait (1): «Intellexit Ecclesia for»mam esse illa verba: per istam Unctionem...» Florentinum pariter (2): «Forma hujus sacramenti est haec: Per istam sanctam »Unctionem.»

2.° S. Jacobus dicit, ministrandum esse hoc sacramentum, orando pro infirmo in ordine ad ejusdem alleviationem et salutem: *Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum...* etc. Ergo oratio illa, quam fundit Ecclesia cum Unctione ad effectum ipsius impetrandum, est vera hujus sacramenti forma.

SCHOLION I.

De forma deprecativa.

42. Solent AA. quaerere, utrum sit essentialis forma deprecativa ad hoc conficiendum sacramentum. Nonnulli, aliquibus innixi an-

---

(1) Sess. XIV, de *Extr. Unc.* c. 1.ª — (2) Decret. pro Arm.

tiquis ritualibus formam aliquam absolutam exhibentibus, putant ejusmodi formam, sine deprecatione, posse valide sufficere. Verum alii communiter asserunt, requiri omnino, ad valorem sacramenti Extremae Unctionis, deprecationis verba.

43. 1.° Quia Trident. docet: Jacobum illis suis verbis docuisse materiam et formam hujus sacramenti: jam vero, quoad formam, nihil aliud dixit Apostolus nisi, *Orent super eum: et oratio fidei salvabit*. Ergo forma debet esse oratio.

2.° Praxis universalis Ecclesiae id confirmat: nam semper adjunxit precem aliquam in ministranda Unctione. Illae autem formae absolutae, quae nonnunquam leguntur, ad ornatum vel complementum aliquod pertinebant; et solas fuisse adhibitas, negamus. Ita censent, et auctoritate sua confirmant, D. Thomas (1), S. Bonaventura (2), Albertus M. etc.

44. Obj. «Quae sunt de necessitate sacramenti, observantur »eodem modo apud omnes. Sed nihil est magis de necessitate sa»cramenti habentis formam, quam ipsa forma; ergo cum non sit »aliqua forma communiter observata ab omnibus in hoc sacramen»to, quia diversi diversis verbis utuntur, videtur quod hoc sacramen»tum non habet aliquam formam.» Ita D. Thomas ibidem.

Resp. cum eodem S. Doctore: «Dicendum quod illa verba, quae »sunt de essentia formae, scilicet, oratio deprecativa, ab omnibus »dicuntur: sed alia, quae sunt de bene esse, non observantur ab »omnibus.»

SCHOLION II.

De pluralitate Unctionum.

45. In partibus corporis Unctione sacra inungendis, non fuit, neque praesens existit una eademque in Ecclesia disciplina: quemadmodum et in Baptismo facta est aliquando ablutio per trinam immersionem, alias per unam vel trinam infusionem, vel etiam per aspersionem.

In Ecclesia Latina, quas Unctiones fieri oportebat, docuit Florentinum, nec non *Rituale Romanum*, et *Catechismus* Tridentini: «Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte time»tur, dari non debet. Qui in his locis ungendus est: in oculis prop»ter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odora-

(1) in 4, dist. 23, Q. 1, a. 4, q. 2.—(2) Ibid. a. 1, q. 4.

»tum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter »tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delecta- »tionem.»

46. Verum non id servatur semper; nam unctionem renum omittendam in mulieribus, monet *Rituale*, item et in viris, alicujus incommodi causa, praetermitti posse: quas etiam a pluribus suo tempore non servari. D. Thomas et Albertus M. testantur; alii autem, ut dicit Albertus, ungebant etiam scapulas et pectus.

47. In Ecclesia Graeca communiter Sacerdotes olim ungebant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus et pedes. Verum aliqui pedes omittunt, ut refert Simeon Thesalonicensis. Dixi olim; nam ut fert Denzinger, (1) pro praesenti. «Quae- »nam sint partes corporis, quae apud orientales unguntur, nullibi »indicatum invenimus, nisi quod Bernatus de Coptis tradit: »unicam Unctionem memorat, quae in fronte fiat. Sed et Vans- »lebius de unica Unctione loquitur, quae a Sacerdote seniore »peragatur. Ex *Rituali* autem Gabrielis patriarchae, apud »Renaudotium, et euchologio *Tukiano* et codice *Vaticano* 78, »omnes Sacerdotes ungunt; utrum in diversis partibus, non est ex- »pressum, et ideo neque videtur admittendum.»

48. In particularibus nonnullis Ecclesiis, Ecclesia Romana non improbante, mos existit, ut peste infectis una sola unctio, cum forma generali unica, ministretur.

49. **Corollaria.** I. Quinque primae Unctiones quinque sensuum ex praecepto, saltem, servandae sunt in Ecclesia Latina. Ita Benedictus XIV (2).

II. Ecclesia numquam docuit, vel determinatam alicujus partis unctionem, vel definitum aliquem unctionum numerum esse faciendum; ideoque id non pertinere ad sacramenti essentiam, censendum est. Ita Suarez.

III. Absolute loquendo, una tantum Unctio cum forma generali sufficere posset; ita ut in Ecclesiae judicio et manu esset, unam tantum, vel duas usurpare. Sic Serrarius, in opusculo de *Extr. Unctione*, cap. 7, ubi plures exponit rationes.

---

(1) Ritus Orient.—(2) De *Syn. Dioec.*

ARTICULUS III.

De ministro Extremae Unctionis.

THESIS IX.

Solus Sacerdos est Extremae Unctionis minister.

50. Thesis haec est de fide catholica et probatur. 1.° Concil. Tridentinum (1) definivit: «Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anath. sit.»

2.° S. Jacobus dicit; ad hoc ministrandum sacramentum vocandos Sacerdotes: *Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Jam vero, nomine *Presbyterorum* intelligi Sacerdotes supponimus ex tractatu de de Ordine. Verum etiam ex subjecta materia patet. Nam agit Apostolus de quodam mysterio, seu sacramento, de opere nomine Domini perficiendo, et de peccatorum remissione. Sed ejusmodi munera pertinent natura sua ad sacrum ministerium; ergo non seniores, sed Sacerdotes, qui eo nomine appellabantur, illi Presbyteri sunt intelligendi.

51. 3.° Concilium Florentinum (2) docet: «Minister hujus sacramenti est Sacerdos.» Tempore Innocentii I ita erat Sacerdotibus proprium sacrae Unctionis ministerium, ut Decentius interrogaverit Sum. Pontificem, utrum possent Episcopi hoc officium exercere: ille autem respondit: «Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopis ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est; nam idcirco de Presbyteris dictum est; *inducat Presbyteros*, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt.» S. Chrysostomus, ut supra vidimus, eximiam ostendit sacerdotum potestatem et excellentiam, illud eorum officium, de quo S. Jacobus, proponens: ergo existimabat proprium esse illorum ministerium.

---

(1) Sess. XIV, de Extr. Unct. can. 4.—(2) In Decr. pro *Arm.*

S. Gregorius (1) modum tradens ministrandi S. Unctionem, ait: «Ingrediens Sacerdos in domum infirmi...» Et de Sta. Kunegunda, in ejus vita refertur: «Illa conversa ad eos, qui illic assiste»bant Presbyteros, sacrae Unctionis oleum et Eucharistiam sibi »petiit ministrari.» V. Beda (2): «Hoc et Apostolos fecisse (Unctio»nem olei) in Evangelio legimus, et nunc Ecclesiae consuetudo te»net, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris.» Conc. Cabilon. (sec. IX), can. 48: «Secundum B. Apostoli Jacobi »documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi »oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent.»

52. Obj. Innocentius I (3) dixit: Oleum Chrismatis «ab »Episcopo confectum, quo non solum Sacerdotibus, sed et omnibus »uti licet, in sua aut in suorum necessitate inungendo.» Ergo omnes ministrare possunt hoc Sacramentum.

Resp. Dist. et explico. Omnibus uti licet ministrando sacramentaliter; nego. Quod quidem ex contextu evidens fit, nam tale ministerium ad Presbyteros pertinere, et, consequenter, etiam ad Episcopos, si velint, deinde subjungit; ut vidimus in thesi. Omnibus uti licet passive, seu subjective; conc. Vel, ut alii intelligunt, devotionis usu, uti fieri solet cum oleo lampadarum Ecclesiae, vel cum aqua sacrata fontis baptismalis; etiam concedo. Primo modo respondet Suarez cum Baronio, Bellarmino, Maldonato et aliis: secundo, AA., etiam plures, et quidem probabiliter. Nam ex *Ordine Romano* patet, quod Episcopo olea consecranti fideles olei ampullas offerebant, ut simul benedicerentur, ad eorum pium usum.

THESIS X.

Non sunt plures Sacerdotes necessarii, sed unus sufficit ad Extremae Unctionis ministrationem.

53. **Nota.** Graeci septem, si fieri possit, vel saltem tres adhibent Sacerdotes in sacra Unctione ministranda: certa tamen et catholica est doctrina quam in thesi asserimus.

Prob. 1.° Alexander III (4) decrevit: «Nos igitur tibi taliter »duximus respondendum, quod Sacerdos, uno praesente clerico, et »etiam solus potest infirmos ungere.» Confir. Tridentinum et Florentinum (in Th. praec.) docent, Sacerdotem in numero

(1) L. de *Sacram.* - (2) In Ep. Jac. — (3) Ep. ad *Decent.* — (4) Cap. *Quaesivit*, 14, extra. De verb. Significat.

singulari esse ministrum hujus sacramenti. Item Innocentius (ibid.) dixit. posse Episcopum adire infirmos, si non impediatur, et eos ungere: non ergo opus est. ut a pluribus ministretur Sacerdotibus.

54. 2.° Conc. Regiaticin. (1) praescribit: «Quia frequenter »accidit. ut aegrotus aliquis aut sacramenti vim nesciat, aut minus »periculosam reputans infirmitatem. salutem suam operari dissi»mulet... debet eum Presbyter loci admonere.» Potest ergo ministrari etiamsi unus tantum sit presbyter. Deinde ait: «Si infirmi »qualitas talis sit, ut per se ipsum visitandum et ungendum dig»num existimet Episcopus, ab ipso quam plurimum competenter »fieri valet.» Similiter ait S. Gregorius (2): «Ingrediens Sa»cerdos in domum infirmi. dicat hanc orationem... Postea faciat ei »signum Crucis de oleo benedicto...» Supponit ergo unum sufficere Sacerdotem.

55. 3.ª Antiquis historiarum exemplis posset id confirmari. Sic S. Gregorius Turon. (3) narrat. Artemium oleo sancto perunctum ab uno S. Nepotiano. S. Eugendus (sec. VII), uti in ejus fertur vita, rogavit unum e fratribus, cui munus commiserat ungendi infirmos, ut ipsum quoque de more ungeret.

56. Obj. 1.° Apostolus Jacobus ait: *Inducat presbyteros Ecclesiae. et orent super eum.* Ergo non sufficit unus Sacerdos.

Resp. Nego *conseq.* Alias posses deducere, omnes esse vocandos Presbyteros. Unde plurali numero significare voluit, non numerum personarum, sed genus hominum. seu fidelium. ad quos hoc officium pertinet. Sic solet commendari aegroto, quod consulat medicos. non ut plures vocet. sed aliquem ex illis. Pariter mandavit Dominus leprosis illis: *Ostendite vos Sacerdotibus:* tamen satis erat uni se exhibere, juxta legem (4): *Hic est ritus leprosi. quando mundandus est: adducetur ad Sacerdotem,* etc.

Obj. 2.° Olim etiam in Latina Ecclesia plures Sacerdotes hoc sacramentum ministrabant, et quidem necessario; sic refert Reinerus (5): «Sacramentum Unctionis etiam reprobant, quia tan»tum divitibus datur; et propter plures Sacerdotes ibi necessarios.»

Resp. Quod plures olim concurrerent Sacerdotes. si commode fieri poterat; conc. Id testatur Ledesma Bartho. (6). Quod fieret ex necessitate Sacramenti; nego: nam ex majori solemnitate et decentia plures vocabantur, ut ipse Ledesma testatur. Exinde abusus aliqui irrepere potuerunt. de quibus meminit Reinerus. vel consuetudo non necessaria.

---

(1) *De Extr. Unct.* can. 3. – (2) L. de *Sacram.* – (3) L. 1. Hist. c. 41. – (4) Levit. XIV, 2. – (5) L. contra Wald. c. 5. – (6) 2. p. q. 23, a. 1.

Obj. 3.° Graeci constanter plures adhibuerunt Sacerdotes pro S. Unctione; septem, quinque, vel tres saltem: unus ergo non sufficit.

Resp. Nego id fieri constanter et de sacramenti necessitate. Verum de eâ re in sequenti Scholio pauca.

SCHOLION

De numero ministrorum apud orientales pro Extrema Unctione.

57. De hac quaestione haec notavit Denzinger: «Orientales sep»tem Sacerdotes regulariter huic officio impendere solent, vel, si »non adsint, quinque, vel tres, vel si opus sit, etiam unum. Ex »Bernato, apud Coptitas vel septem esse possunt Presbyteri, vel »unus. Quod si Episcopus adsit, ipse solus septem ellychnia accen»dit, septemque orationes recitat. Presbyteri autem tunc lectiones »et evangelia legunt, quod secus Diaconi est officium, cum a Pres»byteris confertur sacramentum. Sed et tunc Sacerdotes omnes un»gunt, ut ex ordine nostro *Vaticano* sequitur; unus vero, si aegro»tus ad Ecclesiam deferri nequeat, post solemnitatem super alium »in Ecclesia peractam. Apud Syros septem, vel iis deficientibus, »saltem tres Sacerdotes adhibendos esse, praecipitur in codice *Flo»rentino*, a Stephano Evod. Assemano descripto. Denique, ut »Ecclesiae orientalis morem enuntiat Synodus Libanensis, »addens, tunc unum, vel omnes ungere, formamque enuntiare.»

Ex his patet, etiam apud orientales, potius ob solemnitatem, quam ad validitatem sacramenti, a pluribus Sacerdotibus ministrari sacram Unctionem.

CAPUT III.

De subjecto, de necessitate Extremae Unctionis et de dispositione ad illam requisita.

ARTICULUS I.

De subjecto Extremae Unctionis.

THESIS XI.

In Ecclesia Latina sacramentum Extremae Unctionis solis infirmis ministrandum est.

58. Prob. 1.° Tridentinum (1) ait: «Clementissimus Re»demptor Noster... Extremae Unctionis sacramento finem vitae, »tamquam firmissimo quodam praesidio, munivit.» Tradiderat etiam Florent. (2): «Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus »morte timetur, dari non debet.»

2.° Argumentamur cum Trident. (ibid. c. 3) ex verbis Jacobi, nempe: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros...* etc. «Jam vero quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere »et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud »etiam in verbis praedictis (Jacobi) traditum... Declaratur »etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam.» Pari modo confirmat *Catechismus Rom.*: «Docendi sunt fideles, quamvis hoc sa»cramentum ad omnes pertineat, quaedam hominum genera ex»cipi, quibus administrandum non est. At primum excipiuntur qui »sano et firmo corpore sunt: iis enim Extremam Unctionem tri»buendam non esse, et Apostolus docet, cum inquit: *Infir»matur quis in vobis...*»

59. 3.° Institutum fuit hoc sacramentum ad consummationem Poenitentiae et christianae vitae, ut supra in prooemio, juxta Tridentinum diximus. Postulat ergo ex natura sua ut ad finem vitae ministretur. Confir. Ex communi theologorum consensu cum

---

(1) Sess. XIV. *De Extr. Unc.* in proem.—(2) In Decr. pro *Arm.*

D. Thoma (1): «Hoc sacramentum est ultimum remedium. »quod Ecclesia potest conferre immediate quasi disponens ad glo»riam; et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in »statu exeuntium. propter hoc quod aegritudo nata est mortem »inducere, et de periculo timetur.»

SCHOLION.

De subjecto Extremae Unctionis apud orientales.

Diximus in thesi. solis infirmis ministrandam sacram Unctionem in Ecclesia Latina; ut, quae sint certiora prius tradentes. paulisper ab eo quod respicit orientales abstineremus.

60. **Dico I.** A remotissima antiquitate, apud orientales. ministratur etiam sanis Unctio sacra.

1.° Patet ex *Euchologio*. et multis AA.. id testantibus; uti Arcudius (2), Goarus (3). Denzinger (4) ait: «Coptitas, »Bernatus et post eum Sollerius testantur. morbos latio»ri sensu intelligentes. tria morborum genera distinguere: corpo»ris; animae. quae sunt peccata; spiritus, quae sunt afflictiones: in »his omnibus Unctionem prodesse sentientes. Cum vero Extremam »Unctionem tribuunt. ungunt etiam Diaconum et assistentium »quemlibet. ne. ut ajunt. spiritus malignus ad eorum quemdam »transeat.» Item Job Monacus (5) ait: «Tempus quo oporteat »suscipere *Euchelaion*, tota est mortalium vita post peccatum, ad »extremum usque spatium.» Deinde reprehendit eos. qui post ultimas horas expectant. Simeon Thesalon. (sec. XIII) ait: «Sanctum oleum traditum est. veluti sacrum mysterium et divinae »misericordiae typus, quod in sanctificationem praebetur his qui »se a peccatis convertunt.»

2.° Ad istam orientalem consuetudinem respicere videtur Innocentius IV (6). prohibens, ne «Sacerdotes graecorum pro sa»tisfactione Poenitentiae, Unctionem aliquam solummodo injun»gant.»

61. **Dico II.** Nihil certum adversus graecorum usum definiri potest, donec Ecclesia liquido rem decernat.

Prob. excludendo sententias *negantes* esse sacramentum. 1.° Quidam AA.. de praedicta graecorum consuetudine ajunt. esse abus-

---

(1) In 4, dist. 23, Q. 2, a. 2, q. 2.—(2) L. 5, de *Extr. Unct.* c. ult.—(3) In Not. ad *Sti. Oli. Offic.*—(4) Rit. Orient. de Extr. Unc. § 5.—(5) Contempl. 7.ª *Myst. Eccl.*—(6) Ep. ad episc. *Tuscul.*

sum prorsus reprobandum, propter rationes ad thesim ostendendam expositas. Verum, licet aliqui ita sentiant, Ecclesiam tamen aliquando graecos improbasse non invenio. In Florentino, ubi de unione actum est, et de graecorum emendandis erroribus, nihil circa Unctionem improbatum. Imo Innocentius (hic supra) tantum prohibuit, ut solam tribuerent poenitentibus Unctionem.

2.° Alii censent, ritum illum esse quoddam sacramentale, non verum Unctionis sacramentum. Nam: a) Jacobus clare dixit *Infirmatur quis...*, etc. Verum ad hoc reponitur, quod Apostolus docuit, quo pacto essent juvandi infirmi; non autem dixit, quod ii soli possint eo modo juvari; praesertim cum aliqui effectus illius Unctionis possint etiam aliis prodesse. Simili modo subjunxit Jacobus: *Tristatur quis? Oret.* Tamen nemo dicet, solis tristibus prodesse orationem.

b) Tridentinum (vide thesim) docet pro infirmis juvandis institutam S. Unctionem. Respondetur locutum esse Tridentinum, uti S. Jacobum, de infirmis, quatenus illi maxime indigent effectu Unctionis: nihil tamen dixit exclusive, respiciens, forte, ad morem graecorum.

c) Florentinum aperte docuit solis infirmis dandam Unctionem. Respondent: id quidem verum esse, quia edocere Armenos voluit de sacramentis juxta ritum Romanae Ecclesiae, in qua solis quidem infirmis ministranda est S. Unctio.

d) Ex nomine quoque arguunt; quod dicatur hoc sacramentum *oleum infirmorum*. At reponunt, ita jure vocari, quia sola haec Unctio est infirmis danda, et reliquae sacrae Unctiones nihil ad morbos sanandos prodesse valeant. Verum apud graecos non ita vocatur, ut diximus supra (1). Ex quibus ut vides, probatur assertum, i. e. nihil certum adversum graecorum usum posse definiri, donec Ecclesia liquido rem decernat. Verum vide rem hanc fusius ab aliis AA. expositam (2), ne in hac re nimis immoremur.

62. Dices: proinde fateri quoque necessum erit, rationes pro thesi adductas neque illam ostendere.

Resp. Dist. Quatenus non ostendunt saltem absolute et simpliciter repugnare essentiae hujusce sacramenti, quod ministretur extra mortis articulum: conc. Ita ut neque ostendant, congruum esse sacrae Unctioni ut pro eo articulo reservetur, atque ita fieri oportere in Ecclesia Latina: nego. Unde approbandum orientalium usum non censemus, cum in Decreto pro *Armenis* sat clare mens Ecclesiae eluceat.

---

(1) Cap. I, init.—(2) Migne, Curs. Theol. t. 24.

Verum, quemadmodum S. Eucharistia potest etiam infantibus juxta graecorum consuetudinem et antiquam disciplinam concedi, et tamen congruentius, et non sine causa, reservatur adultis: quid obstare poterit, quod aliquid simile evenerit circa Extremam Unctionem?

THESIS XII.

Extrema Unctio non est iis administranda qui non fuerunt peccati capaces, uti pueri et perpetuo amentes.

63. Communior est et probabilior haec sententia. Prob. 1.° Juxta Tridentinum (supra) hoc sacramentum est consummatio Poenitentiae. Sed in iis, qui semper usu rationis caruerunt, nequit consummari Poenitentia: ergo.

2.° Est instituta sacra Unctio ad modum medicinae spiritualis, juxta ea quae supra diximus (1): sed non sunt ejusmodi medelae capaces ii qui peccare nequeunt; ergo. *Min.* patet: nam perficitur haec spiritualis medicina per actualia auxilia quibus mens roboratur, vel per condonationem qua reliquiae peccatorum delentur.

3.° Forma deprecatoria hujus sacramenti supponit peccandi capacitatem: ergo. *Ant.* patet; nam dicitur: «Indulgeat tibi Deus »quidquid... deliquisti.»

64. Obj. Qui in fine vitae baptizatur, potest S. Unctione ungi. Atqui ille reliquias non habet peccatorum: ergo et ii qui peccare nequiverunt inungi possunt.

Resp. Dist. *min.* vel nego. Licet enim omnis culpa et poena per Baptismum deleatur, non omnis sanatur mentis debilitas, ut non indigeat auxiliis actualibus post regenerationem roborari.

THESIS XIII.

Extremae Unctionis sacramentum potest ab eodem subjecto saepius suscipi.

65. **Nota.** Antiqui nonnulli theologi putarunt non posse sacram Unctionem iterari; quibus aliquarum Ecclesiarum consuetudo favebat. In eo nitebantur, quod spectat hoc sacramentum ad Poenitentiam publicam, quam iterari prohibent sacri canones. Item, aliae sacrae Unctiones nequeunt iterari; puta Baptismatis, Confirmationis, sacrorum vasorum, etc. Praevaluit tamen, et certa ac ca-

(1) Th. III.

tholica jam est nostra sententia, quae est communis theologorum cum D. Thoma.

66. 1.° Tridentinum (1) ait: «Quod si infirmi, post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.»

2.° D. Jacobus indefinite dixit: *Infirmatur quis in vobis?* Atqui non minus proprie infirmatur qui primum, quam qui secundo et iterum infirmus evadit; ergo.

67. 3.° Qui semel a peccatorum reliquiis fuit sanatus, potest deinde eadem medicina rursus indigere: ergo minime consonat naturae hujus sacramenti, quod semel tantum ministrari valeat.

68. Ad 1.am difficultatem dicimus, Poenitentiam publicam, quae est institutionis ecclesiasticae, non in omnibus assimilari Extremae Unctioni, quae est sacramentalis medicina. Praeterea, potuisset sane Ecclesia concedere publicam iterari Poenitentiam.

Ad 2.am Aliae Unctiones sunt ad consecrandum institutae; haec autem ad sanandum; ideo negatur etiam paritas.

ARTICULUS II.

De necessitate Extremae Unctionis, et de dispositione ad illam requisita.

THESIS XIV.

Sacramentum sacrae Unctionis non est necessarium ad salutem, neque necessitate medii, neque praecepti.

69. **Nota.** Non esse hoc sacramentum de necessitate medii, consentiunt theologi omnes. Neque dari praeceptum divinum vel ecclesiasticum illud recipiendi, communior est cum D. Thoma sententia; at alii cum Magistro Sent., Petro Soto, etc., putarunt dari obligationem.

70. I.a pars prob. 1.° Si esset hoc sacramentum ad salutem medium necessarium, id Ecclesia novisset ac docuisset. Sed nullibi constat de ejusmodi necessitate, nec umquam Ecclesia eam edocuit: ergo.

---

(1) Sess. XIV, de *Extr. Unct.* c. 3.

2.° Extrema Unctio est vitae christianae et Poenitentiae complementum, quatenus reliquias abstergit peccatorum. Sed ad salutem sufficit peccatis non infici et vita frui christiana: ergo.

3.° Auxilia ad salutem necessaria nulli negantur: ergo, etiamsi non suscipiatur speciale aliquod ac uberius subsidium, potest salus obtineri. Potest inde etiam confirmari; quod tempore interdicti, cum alia concedantur ab Ecclesia sacramenta, hoc ministrare non permittitur.

71. II.ª pars aperte patet, quia nullibi promulgatum invenitur mandatum divinum vel ecclesiasticum suscipiendi Extremam Unctionem.

72. Obj. Conc. Colonien. II (a. 1549) impios appellat eos, qui sacram suscipere respuunt Unctionem: et mandat eosdem ecclesiastica privari sepultura. Ergo saltem urget obligatio ex praecepto.

Resp. Dist. *ant.* Qui respuunt ex contemptu, appellantur impii et damnantur a concilio; conc. Aliter; nego. Sic enim loquitur concil. «Relatum nobis in concilio est, impios quosdam homines, infirmi»tatis suae tempore, Unctionem sacram respuisse, ac contempsisse: »quamobrem...»

THESIS XV.

Sacrae Unctionis sacramentum nequit fructuose suscipi nisi in statu gratiae, saltem existimato; requiritur insuper, ut peccator sit saltem attritione dispositus.

73. I.ª pars prob. A Christo D. est principaliter institutum hoc sacramentum ad vitae christianae et Poenitentiae consummationem, et animi robur, tamquam spiritualis medicina (1). Atqui ejusmodi effectus vitam gratiae supponunt: ergo voluntas Christi est, ut in statu gratiae suscipiatur.

2.° *Catechismus Rom.* docet: «Quoniam vero omni studio curare »oportet, ne quid sacramenti gratiam impediat; si vero nihil magis »adversatur, quam alicujus peccati mortiferi conscientia; servanda »est catholicae Ecclesiae perpetua consuetudo, ut, ante Extremam »Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae sacramentum adminis»tretur.»

74. II. pars prob. Dictum est in Disquis. de Poenitentia, peccatorum detestationem esse de necessitate medii ad salutem. Ergo do-

(1) Supra, Th. III.

lor aliquis, saltem attritionis, requiritur, ut per Sacram Unctionem peccata remittantur. Dico: saltem attritionis. Nam, cum voluerit etiam Dominus remittere per hoc sacramentum peccata, debet illa sufficere dispositio, quae in sacramentis mortuorum sufficit.

75. Dices: nihil ergo differt Extrema Unctio a ceteris vivorum sacramentis, quae etiam attritos, bona fide accedentes, justificant.

Resp. Nego *consequentiam*. Nam istud sacramentum peccata directe remittit, ex propria institutione, et ex opere operato; cetera autem minime. Deinde sacramenta vivorum indirecte posse justificare, probabile quidem est: hoc autem S. Unctionis sacramentum posse per se peccata etiam remittere, longe certius est, ut rationes supra positae (ibid.) ostendunt.

DISQUISITIO VII.

De sacramento Ordinis.

PROOEMIUM.

Ordo habitudinem quamdam inter plura significat respectu ad unum prius, teste Vasquezio (1). Ideo et ordo significat statum quemvis in quo aliqua ejusmodi habitudo elucet: sic dicitur ordo senatorius, equestris, religiosus, clericalis, etc.

Unde stricte et veluti antonomastice acceptus Ordo significat statum, seu gradum quemdam clericorum, ad certa ministeria Ecclesiastica consecratum: sic ordines a Tridentino (2) et a S. Cypriano (3) et aliis Patribus *gradus* appellantur: «Merebatur »talis (Aurelius) clericae ordinationis ulteriores gradus et incre»menta majora.»

Sumitur etiam Ordo pro actione illa, qua clerici consecrantur; sed claritatis causa proprie Ordinatio dici solet. Apud Graecos autem Ordinatio vocatur χειροτονία vel χειροθεία, id est, manus extensio, seu impositio: sic in Act. Apost. (4): χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De gradibus Ordinis hierarchici in Ecclesia.
» II. De sacrae Ordinationis natura.
» III. De ministro et subjecto sacramenti Ordinis.

CAPUT I.

De gradibus Ordinis hierarchici in Ecclesia.

Quamdam inveniri in Ecclesia Hierarchiam, seu sacrum Principatum, a laicis, id est, christiana plebe, distinctam, et quidem *jure divino;* demonstratum in alio tractatu (5) supponimus. Unde ea tantum exponenda aggredimur, quae ad eam Hierarchiam intelligendam pertinent.

---

(1) P. I, disp. 67, c. 1.—(2) Sess. XXIII, cap. 4.—(3) Ep. 33 ad *Cler. de Aurel.* —(4) XIV, 22.—(5) Vol. I De Fundament. Disq. III, De Ecclesia Christi Thes. VI-VIII, n. 32.

ARTICULUS I.

De pluralitate sacrorum Ordinum.

THESIS I.

Plures existunt in Ecclesia Ordines clericorum ad sacrum ministerium, et quidem ab initio; septem autem jure numerantur.

1. Prima pars est fidei catholicae, scilicet, plures dari Ordines; quod autem ab initio extiterint, ipsis patebit argumentis: tertia pars doctrinam exhibet catholicam.

2. I.ª pars prob. 1.° Tridentinum ait (1): «Si quis dixerit, »praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines et »majores et minores, per quos velut per gradus in sacerdotium »tendatur; anath. sit.»

2.° In SS. Litteris passim sermo est de Episcopis, Presbyteris et Diaconibus; ut patet, tum apud Paulum (2), tum in Act. Ap. (3). Verum plures alios Ordines innuisse Paulum, docet Ambrosius (4), vel antiquior Pater, exponens illa: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas... in opus ministerii.* «Apostoli Episcopi sunt... Evangelistae Diaconi, »sicut fuit Philippus; quamvis non sint Sacerdotes, evangeli»zare tamen possunt... Pastores possunt esse Lectores... Magistri »vero Exorcistae... In Episcopo omnes Ordines sunt, quia primus »Sacerdos est, hoc est, princeps Sacerdos est, et propheta et evan»gelista, ad cetera adimplenda officia in ministerio Ecclesiae.»

3. 3.° S. Ignatius, in episcopatu Antiochiae tertius Petri successor, ajebat (5): «Cuncti revereantur Diaconos, ut man»datum Jesu Christi: et Episcopum, ut eum qui est figura Patris: »Presbyteros autem, ut consessum Dei, et ut conjunctionem Apos»tolorum.» Tertullianus haereticorum arguens ordinationes, plures fuisse tunc Ordines supponit (6): «Ordinationes eorum te»merariae, leves, inconstantes... Nusquam facilius proficitur, quam »in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque »alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector:

---

(1) Sess. XXIII, can. 2.—(2) I Tim. III.—(3) XIV. 22. - (4) In ep. ad Eph. c. IV, 11, 12.—(5) Ep. ad *Trallianos*.—(6) De *Praescrip.* C. 41.

»hodie Presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia mu»nera injungunt.» Innocentius I ad Episcopum scribebat (epist. 38): servanda esse tempora a majoribus constituta, ad conferendos Ordines: «Nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Dia»conus, cito Sacerdos fiat.» Denique in apertis ne immoremur, testimonium ex Constitut. Apost. (1) adjicimus, quas antiquissimas esse nemo dubitat: «Jubemus, ut Presbyter et Diaconus »ab uno Episcopo ordinetur, et reliqui clerici: utque nec Presbyter, »nec Diaconus clericos ex laicis ordinent.» Concil. Antioch. (a. 341) statuit: «Qui dicuntur Chorepiscopi... suum modum sciant. »Constituant autem Lectores, Hypodiaconos et Exorcistas, et eorum »promotionem sufficere existiment; nec Presbyterum, nec Diaco»num ordinare audeant.»

4. II.ª pars prob. 1.° Tridentinum (2) docet: «Consenta»neum fuit... ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et »diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdoti ex officio deser»virent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae »Litterae apertam mentionem faciunt... Et ab ipso Ecclesiae initio »sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria »ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris et »Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur; quamvis non pari gradu.»

5. 2.° Amalarius (sec. IX), L. de *Ecclesiasticis Officiis* (3), enumeravit septem Ordines. Item Gregor. M. (sec. VI) in libro *Sacramentorum*. Et S. Hieronymus (sec. V) ait (4): «Non solum Episcopi, Presbyteri et Diaconi debent magnopere »providere ut cunctum populum, cui praesident, conversatione et »sermone praecedant; verum et inferior gradus Exorcistae, Lectoris, »Aeditui, et omnes omnino qui domui Dei serviunt.» Et alibi ad S. Augustinum scribens (5) de Asterio Hypodiacono loquitur. Conc. Carthag. IV (sec. IV), cui interfuit S. Augustinus, non solum septem dictos enumeravit Ordines, sed etiam descripsit ritum, quo singulae erant Ordinationes perficiendae; non quidem uti novam statueret disciplinam, sed «Quae ad »Ordines Ecclesiasticos Canonicis sunt necessaria disciplinis.» Cornelius PP. (a. 254) scripsit (6): «Istum lepidum Evangelii »patronum Novatianum omnino praeteriit, scilicet, unum solum »Episcopum oportere esse in hac Ecclesia Catholica (Romae); in qua »tamen non ignorabat, (quomodo enim poterat?) Presbyteros esse »quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos »quadraginta duos, Exorcistas et Lectores, una cum Ostiariis, quin-

---

(1) L. 4. c. 20.—(2) Sess. XXIII, c. 2.—(3) L. 2, c. 7 ad c. 13.—(4) In ap. ad. Tit. II, 15.—(5) Ep. 102 et 103.—(6) Ep. ad *Fabium*.

»quaginta duos.» Deinde, quod valde notandum, adjicit: «Sed ta-»men nemo ex tanta Ministrorum multitudine, tamque in Ecclesia »necessaria... istum Novatianum ab ea desperata mentis coecitate »et contumacia avertere, et ad Ecclesiam denuo revocare potuit.» Notare oportet, casu Cornelium, et aliud omnino agens, tradidisse nobis praeclarum hoc de numero Ordinum testimonium; unde nullus mirabitur, si ceteri Patres a gradibus ecclesiasticis enumerandis abstinuerunt. In S. Cypriani epistolis omnes numerantur Ordines, non quidem uno tractu, quia ad rem non pertinebat, sed sparsim, prout ferebat occasio. In Epist. 3 ad «Presbyteros »et Diaconos Romae consistentes,» agit de quodam «Crementio Hy-»podiacono.» In alia epist. 24 ait: «Cyprianus Presbyteris et »Diaconibus fratribus salutem... Fecisse me sciatis Lectorem Sa-»turnum, et Hypodiaconum Optatum.» Item in alia epist. 28 loquitur de Acolytho, cui nomen erat Tavorinus. Denique ad Cyprianum litteras fecerunt plures fidei confessores ac martyres carcere detenti, et in calce epistolae, scripserunt: «Praesente de clero »et Exorcista et Lectore, Lucianus scripsit.» Anastasius Bibliothec. (1) refert, statuisse Cajum PP. (a. 283): ne quis constitueretur Episcopus, qui non ante fuisset «Ostiarius, Lector, »Exorcista, Sequens (Acolythus), Subdiaconus, Diaconus, Pres-»byter.»

6. Ex graecis, praeter laudatos in I.ª parte Patres, afferri potest Conc. Laodiceni (sec. IV.) can. 24: «Quod non oporteat sa-»cro ministerio deditos, a Presbyteris usque ad Diaconos et reli-»quum ecclesiasticum Ordinem, id est, usque ad Subdiaconos, Lec-»tores, Cantores, Exorcistas, et Ostiarios... ingredi tabernas.» Certum tamen est, non eumdem distingui Ordinum numerum in Orientali ac in Latina Ecclesia; imo neque eosdem viguisse, neque vigere Ordines minores inter ipsas Orientales Ecclesias. Verum asserit Arendius, in his valde eruditus, Ordines Ostiarii, Exorcistae et Acolythi connecti apud Orientales cum Ordine Lectoris, ac proinde conferri simul in unica Ordinatione. Verum comprehendi saltem sub Ordinatione superioris Ordinis, non est in dubium revocandum.

7. Obj. 1.° Priorum seculorum Patres loquuntur passim de Episcopis, Presbyteris et Diaconis; de inferioribus autem gradibus tacent, ut Dionysius Areop., S. Ignatius, etc. Ergo tunc non existebant septem Ordines.

Resp. Dist. Non loquebantur Patres de inferioribus gradibus, quia non erat urgens ratio de iis agendi; conc. Quia non existebant; ne-

(1) De *vitis Rom. Pontif.* tom. 2, pag. 249. Romae: 1723, edit Blanchini.

go. De tribus prioribus frequens erat loquendi causa, quia regimini Ecclesiae praepositi erant: unde unitatem commendando et obedientiam, de iis in promptu sermo erat. Non par erat ratio de inferioribus Ordinibus, qui humiliorem tenent locum in sacra Hierarchia. Cornelius PP. quidem insigne tradidit testimonium de omnibus; verum qua occasione? Ut Fabiano Antiocheno ostenderet, Donatiano antipapae nullos e clero romano ei suffragium tulisse, ex tanto Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, etc. numero. Unde nisi urgens illa schismatis impugnandi causa impulisset, non possemus praeclaro illo Cornelii testimonio uti. Ex his intelligi potest, cur Dionysius non egerit singillatim de septem Ordinibus, sed solum de illis qui donabantur jurisdictione: tamen eorum in genere meminit (De Eccl. Hierar. c. 3. L. 2.) cum dixit: «Ministri hi (Ostiarii) quidem ad januas tem»pli consistunt; ceteri autem aliud quid proprii muneris exe»quuntur.»

8. Obj. 2. Inter clericorum Ordines ab antiquis Patribus adnumerantur aliquando Psalmistae seu Cantores, et Fossarii seu Laborantes, aliique Ordines: ergo plusquam septem Ordines fuerunt in Ecclesia. Ant. prob. S. Epiphanius (1), laudatis primum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis et Lectoribus, ait: «Post illos omnes Ordines, deinceps Laborantes, qui mortuorum »corpora curant. Tum Ostiarii, ac reliqui disciplinae causa Ordines »instituti.» Insuper de Psalmistis, seu Cantoribus, agunt Ambrosius (2), Isidorus (3), Synod. Laod. can. 23, Syn. Carthag. 4, quae et formam eos ordinandi praescribit; etc. etc.

Resp. Duplex huic difficultati redditur a diversis AA. solutio. 1.ª est; quod non sint nomina diversorum Ordinum, sed Officiorum.

2.ª Alii concedunt, extitisse aliquando plures Ordines quam septem, in Ecclesia saltem Orientali. Ad cujus rei intelligentiam notare oportet; officia plura, quae ad Dei cultum ordinantur, duplici modo exerceri posse: primo, a ministro per consecrationem aliquam disposito; secundo, a ministro simpliciter ad ea deputato, seu acceptato. Exemplum est in officio Acolythi, quod vel ab Ordinatis, seu ad illud consecratis, perficitur, vel etiam, passim, a quolibet laico: idem evenit in SS. Epistolarum lectione, ad quam Subdiaconi ordinantur, cum saepe etiam aliis permittatur.

Jam vero, sicut cantandi Evangelii munus deputatum est Diaconis, Epistolarum vero Subdiaconis, ad splendorem divini cultus; ita potuit officium Cantoris et Psalmistae alicui annecti Ordini, seu

(1) *Expositio fidei*, post haeres. 80, n. 21.—(2) *De Offic. l.* 1, c. 44.—(3) L. 2, de *Eccl. Offic.* c. 12.

consecrationi speciali. Idem dici potest de officio curandi christianorum defunctorum corpora, seu Laborantis; quatenus illorum honor ad Deum refertur, quia templa fuerunt Spiritus Sancti et Christi D. membra, juxta Apostolum (1). Haec tamen ex thesi sequenti elucidabuntur.

THESIS II.

Ecclesiastica Hierachia jure divino existit; quod autem Ordines certo numero distincte praefigantur, non est divinitus praescriptum.

9. **Nota** I. Non agitur nunc de distinctione Ordinis hierarchici a laicis, de qua re non est a nobis agendum; sed de Hierarchia secundum se, quatenus exhibet aliquam graduum et officiorum distinctionem et subordinationem.

II. Ordines hierarchici alii dicuntur *sacri*, seu *majores*, alii autem *minores:* non quidem quasi isti sancti non existant, seu sacri; sed quia illi materiam sacram attingant, ut sacrificium, Eucharistiam et vasa sacra, uti explicat D. Thomas (2), non autem minores: vel quia priores adnexum habent castitatis votum, minime vero posteriores, ut censent alii.

10. I.ª pars, quae est de fide catolica, prob. 1.° Tridentinum definivit (3): «Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierar»chiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, »Presbyteris et Ministris; anathema sit.» Quod autem hujusce Hierarchiae gradus invicem sint subordinati, docet Concilium (ibid. can. 2): «Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ec»clesia catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, »velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anath. sit.» Quam subordinationem clarius exponit (ibid.) in Cap. 2.

11. 2.° S. Clemens ait (4): «Praedicantes igitur (Apostoli) »per regiones et urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, »in Episcopos et Diaconos eorum, qui crediturі erant, constitue»runt... Et quid mirum, si quibus in Christo commissum est a Deo »hoc munus, praedictos constituerint...? Et Apostoli nostri cogno»verunt per Dominum nostrum Jesum Christum, quod futura esset »contentio de nomine Episcopatus: ob eam ergo causam, accepta »perfecta praecognitione, constituerunt supradictos, et deinceps »futurae successionis regulas tradiderunt.» S. Ignatius M. (5):

---

(1) I Cor. VI, 15, 19.—(2) 4, dist. 24, Q. 2, a. 1, q. 3.—(3) Sess. XXIII, can. 6.—(4) Ep. 1, ad *Cor.* n. 42.—(5) Ep, ad *Trallan.* n. 3.

«Cuncti revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi; et Epis»copum, ut eum qui est figura Patris. Presbyteros autem ut con»sessum Dei, et ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia »non vocatur.» Origenes (1): «Si Jesu Filius Dei subjicitur Jo»seph et Mariae, ego non subjiciar Episcopo, qui mihi a Deo ordi»natus est pater? non subjiciar Presbytero, qui mihi Domini dig»natione praepositus est?»

12. II.ª pars, quae probabilior saltem dicenda est, prob. 1.° Argumentum negativum praebet Tridentinum: dum enim docet Hierarchiam fuisse divinitus institutam, atque ad eam *ministros* quoque spectare; tamen, quoad numerum et distinctionem horum ministrorum, noluit id asserere: sed factum solummodo notavit, quod eorum nomina et officia ab ipso Ecclesiae initio in usu fuisse cognoscuntur. Atqui in Ecclesia graeca alia semper fuerunt nomina, alia ministeria, et alius graduum numerus; ergo videtur Trident. indicare, numerum et distinctionem ministrorum solum oriri ex institutione Ecclesiastica.

13. 2.° Orientalis Ecclesia ab Apostolis fuit fundata, et multis floruit sapientissimis ac SS. Patribus, et generalibus Conciliis, et per plura secula communionem habuit cum universa Ecclesia Catholica, imo praesens ex parte communionem retinet. Atqui haec conciliari nequeunt cum eo, quod septem Ordinum numerus et distinctio e jure divino procedant: ergo.

14. 3.° Urbanus II, in Concil. Beneventano (2), dixit: «Ordines sacros dicimus Diaconatum et Presbyteratum. Hos »siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse: super his so»lis praeceptum Apostolicum habemus.» Item Joannes PP. VIII, in epist. data ad Imper. Basilium (a. 879), ait: «Volumus ut »talis (Episcopus) promoveatur per singulos gradus ecclesiasticos »prolatos; ut sit primum Lector, deinde Acolythus (pro Subdiacono »ponitur), postea Diaconus, tum Presbyter, post haec Episcopus.» Patet, Joannem non censuisse omnes gradus in Latina Ecclesia distinctos esse necessarios. Amalarius (3) docet, duos tantum Ordines, Presbyteratus et Diaconatus esse necessarios: «Ceteri Or»dines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit Officium Eccle»siasticum; ut multitudini Ecclesiae subveniri posset, adjiciuntur »inferiores in adjutorio praepositorum.» D. Thomas (4) idem sentiebat: «In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum, »omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur... Nihilomi»nus erant omnes praedictae potestates, sed implicite, in una Dia-

---

(1) Hom. 20 in Luc.—(2) *Ivo* Carnot. Decret. pars. 5, c. 72.—(3) De *eccles. Offic.* l. 2, c. 6.—(4) In 4, dist. 24, Q. 1. a. 1.

»coni potestate; sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ec»clesia, quod implicite habebat in uno, explicite tradidit in di»versis.»

15. Obj. Non potest Ecclesia immutare ea quae de jure divino sunt. Sed Hierarchia ecclesiastica immutari potest ab Ecclesia: ergo non fuit ordinatione divina instituta. *Major* patet ex se: *minor* prob. Ille potest Hierarchiam immutare, qui ejusdem mutare potest constitutiva. Sed Hierarchia ecclesiastica constituitur variis Ordinibus, tum majoribus, tum minoribus; Ecclesia autem potest ejusmodi Ordines multiplicare, vel supprimere: ergo Hierarchia ecclesiastica immutari... *Minor* potest probari ex I.ª parte theseos, quoad primum: ex II.ª autem, quoad secundum.

Resp. Dist. *primam minorem:* Hierarchia immutari potest ab Ecclesia, in eo quod implicite ac virtualiter continet: nego. In his, quae explicite et actualiter habet, mutari potest; subd. Quoad aliqua potest immutari; concedo. Quoad omnia; nego. Etenim sine actuali saltem Sacerdotio, et quidem pleno, nempe Episcopatu, non potest ullatenus subsistere Ecclesia, uti aperte declarat Tridennum (1): jam vero in Sacerdotio habentur, implicite et virtualiter, omnes inferiorum Ordinum formae; ideoque, neque isti possunt solide ac integre ab Ecclesia deleri.

Deinde distinguo *alteram min.* Hierarchia constituitur saltem implicite ac virtualiter aliis inferioribus Ordinibus; conc. Explicite et actualiter; subd. Secundum ejusdem essentialem perfectionem; nego. Secundum externam hujusce perfectionis evolutionem; conc. min., et etiam consequentiam juxta sensum distinctionis.

Quis namque putabit, imperfectam intime et essentialiter fuisse Hierarchiam ante Diaconorum institutionem (2), dum omnibus enuntiabant Apostoli Evangelium, omnesque: *Ex omni natione quae sub coelo est* (3), ad Ecclesiam Christi vocabant, eo quod: *Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri?* (4).

---

(1) Sess. XXIII, cap. 1.—(2) Act. VI.—(3) Ibid. II, 5.—(4) Ibid. IV, 12.

ARTICULUS II.

De gradu episcopali.

THESIS III.

Episcopalis gradus est Presbyteris superior, et quidem jure divino.

16. 1.ª pars. quae est certae et catholicae fidei, adversus antiquos aërianos, et novatores protestantes, scil. *presbyterianos*, probatur:

1.° Tridentinum (1) definivit: «Si quis dixerit Episcopos »non esse Presbyteris superiores..., vel eam, quam habent (potes»tatem). illis esse cum Presbyteris communem; anath. sit.»

2.° Episcopi, praeter potestatem sacerdotalem, offerendi, scilicet, sacrificium et peccata remittendi, habent, uti propriam, facultatem ordinandi, seu consecrandi Sacerdotes, ceterosque ministros: ergo. *Ant.* prob., quod quidem est fide certum et a Trident. (ibid.) definitum. Hieronymus (2) ait: «Quid facit, excepta ordina»tione, Episcopus quod Presbyter non faciat?» S. Chysostomus (3) dicit: «Inter Episcopos et Presbyteros ferme nihil inte»resse;» nempe, quia eamdem habent potestatem consecrandi Eucharistiam: addit autem: «Sola quippe ordinatione superiores »sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.» S. Epiphanius vocat (4) Aërii errorem «Dogma supra homi»num captum furiosum et immane.» Deinde addit: «Totum illud »stoliditatis esse plenissimum, prudens quisque facile perspicit, ve»lut cum Episcopum ac Presbyterum adaequare conatur. Hoc enim »constare qui potest? Siquidem Episcoporum ordo ad gignendos »patres pertinet... Alter, cum patres non possit, filios Ecclesiae »regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magis»tros.» Item S. Athanasius (5) ostendebat, quemdam Ischyram falso se dixisse presbyterum, cum non ab aliquo Episcopo, sed a quodam Collutho fuisset ordinatus, qui simplex Presbyter obierat.

17. 3.° Non solum ex potestate ordinandi, sed etiam gubernandi,

---

(1) Sess. XXIII, can. 7, et cap. 4.—(2) Ep. ad *Evang.* 146, (a. 85).—(3) Hom. 11, in ep. 1 Tim.—(4) *Haeres*, 75.—(5) *Apolog. contra Arianos*, n. 12.

ostenditur supereminentia Episcoporum. S. Ignatius M. fere in singulis suis litteris illam edocet. Unum laudabimus testimonium (1): «Hortor ut in concordia omnia peragere studeatis, Epis»copo praesidente, loco Dei, et Presbyteris, loco senatus Apostolici, »et Diaconis mihi suavissimis, concreditum habentibus ministe»rium Jesu Christi.» Origenes (2) dixit: «Plus a me (Presbyte»ro) exigitur quam a Diacono; plus a Diacono, quam a laico: qui »vero totius Ecclesiae arcem obtinet (Episcopus), pro omni Ecclesia »rationem reddet.» S. Cyprianus (3) etiam: «Dominus nos»ter, cujus praecepta et monita observare debemus, Episcopi hono»rem et Ecclesiae suae rationem disponens... dicit Petro: *Tu es* »*Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam*... Inde per »temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Eccle»siae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et »omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum »hoc igitur divina lege fundamentum sit, miror...»

18. 4.° Tandem rationem episcopalis eminentiae, et simul sententiam D. Angelici (4) subjicimus. «Unusquisque minister »Ecclesiae quantum ad aliquid gerit typum Christi, ut ex littera pa»tet, et tamen ille est superior, qui secundum majorem perfectionem »Christum repraesentat. Sacerdos autem repraesentat Christum in »hoc, quod per se ipsum aliquod ministerium implevit: sed Episco»pus in hoc, quod alios ministros instituit, et Ecclesiam fundavit. »Unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis obsequiis, »quasi cultum divinum ad similitudinem Christi statuens; et per hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiae dicitur, sicut »Christus.»

19. II.ª pars prob., quae, in sensu exponendo, est theologice certa.

Nota. I. Saepe agitata fuit in Tridentino quaestio, an definire oporteret. Episcopos superiores esse Presbyteris jure divino, multis id Patribus cupientibus ad Hierarchiae dignitatem adversus novatores tuendam; tamen Episcoporum major pars censuit, ab ea definitione ob varias causas abstinendum (5).

II. *Jus divinum, late* dictum, quodlibet Dei mandatum comprehendit, etiam per homines latum, juxta illud: *Non est potestas nisi a Deo* (6); *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (7). *Stricte* et proprie loquendo *de jure divino* illud dicitur, quod per se ipsum immediate Deus praescribit; sive ipse id etiam

---

(1) Ad *Magnes.* n. 6.—(2) Hom. 2, in Jerem.—(3) Ep. 27 ad *Laps.*—(4) In 4, dist. 24, Q. 1, a 2, q. 1 ad 3.—(5) Pallavic. Hist. Conc. Trid. II, 18-20. - (6) Rom. XIII, 1. - (7) Prov. VIII, 15.

indicet, ut fecit in pluribus Christus D., sive per aliquem Prophetam, uti mosaicam promulgavit legem.

III. Quoad potestatem Ordinis, asserimus, esse jure divino Episcopos Presbyteris superiores: quoad potestatem autem jurisdictionis, licet plures Patres in Tridentino, et non pauci theologi ante et post Tridentinum id censuerint, putamus, donec ab Ecclesia definiatur, nulla posse efficaci ratione convinci.

20. Prob. 1.° Episcopi sunt Presbyteris superiores, ut ex I.ª parte constat, secundum ordinem hierarchicum. Atqui Hierarchia, quae Episcopis, Presbyteris et Ministris constat, est divina ordinatione instituta: ergo est quoque divina ordinatione institutum, quod Episcopi sint Presbyteris superiores. *Min.* patet ex Th. I.ª

21. 2.° Potestas creandi Presbyterum, seu dandi facultatem consecrandi Corpus Domini et remittendi peccata, est divina potestas, non minus quam ipsa consecrandi et absolvendi facultas. Atqui nemo dubitat Sacerdotem vi talis facultatis esse superiorem jure divino aliis non Sacerdotibus: ergo a pari Episcopi sunt Presbyteris superiores jure divino.

22. Obj. 1.° Apostolus frequenter indicat, eosdem prorsus esse Episcopos et Presbyteros: ergo his Episcopi non sunt superiores. *Ant.* prob. Scribens ad Philippenses (cap. I) ait: *Omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus.* Item Ephesi (1) vocavit Presbyteros, et ait illis: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Insuper ad Titum (2): *Reliqui te Cretae ut... constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (qui Episcopus erat)... *Oportet Episcopum sine crimine esse...*

Resp. Triplex solutio inter AA. invenitur. 1. Quidam ajunt, vere Episcopos tunc fuisse appellatos Apostolos, quod variis confirmant exemplis: Presbyteros autem fuisse etiam dictos Episcopos, donec, priori tantum retento nomine, illis, qui Apostoli dicebantur, fuit alterum appropriatum. Haec tamen solutio, ingeniosa quidem, sed non vera, a Petavio rejicitur. 2. Plurimi respondent, nomina quidem Episcopi et Presbyteri, quorum primum est nomen officii, alterum autem honoris, communia extitisse; quod negari non potest: at dignitates fuisse diversas. Verum nonne mirum est, sub eodem nomine confuse exhibitas fuisse eas dignitates, si diversae existant? Reponi potest: quidem mirum id foret, nisi in eodem sacerdotali Ordine convenirent; quia, ut ait Chrysostomus, supra (in thesi): «Inter Episcopum et Presbyterum interest ferme »nihil.» 3. Plus arridet tertia solutio ab Epiphanio (3) tradita,

---

(1) Act. XX, 17, 28.—(2) I, 5, 7.—(3) *Haeres.* 75, n. 5.

et quam etiam innuit Clemens. supra (Th. II. pars I.ª), et deinde alii docuerunt theologi. In primis illis Ecclesiae temporibus. ubi episcopatu digni inveniebantur. non constituebant Apostoli simplices Presbyteros, sed plenitudinem illis conferebant Sacerdotii. Primo: quia dispersionis et persecutionis pericula frequentissima erant. et in variis ac dissitis regionibus fundari debebant Ecclesiae; ideoque urgebat quod possent omnia ministeria sacra Sacerdotes omnes obire. Secundo: quia culmen Apostolicae dignitatis adeo excellebat. ut unitati servandae sufficeret. etiamsi Sacerdotes fere omnes in plena. seu episcopali consecrarentur auctoritate. Tertio: aliam tradit rationem Estius (1): «Eo quod tunc plures haberi facile non possent, et unus qui Episcopus esset. cum adjuncto sibi Diacono. ad omne ecclesiasticum ministerium in illa fidelium paucitate sufficeret.» Unde quemadmodum in Diaconis inferiores habebantur Ordines. ut supra (Th. II) diximus; ita cum plenitudine Sacerdotii. seu Episcopatu. Presbyteratus simul conferebatur. donec occurrit separandi ratio. Cujus quidem oeconomiae non obscurum praebet indicium, quod de ordinatione Sauli et Barnabae (2) refertur: *Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae. prophetae et doctores. in quibus* Barnabas et Simon. *qui vocabatur Niger. et* Lucius Cyrenensis, *et* Manahen,... *et* Saulus. *Ministrantibus autem illis Domino. et jejunantibus. dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi* Saulum *et* Barnabam, *in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes. et orantes. imponentesque eis manus. dimiserunt illos.* Ecce. omnes illi indifferenter manus imposuerunt.

23. Obj. 2.° Hieronymus ait (3): «Alexandriae. a Marco »evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episco»pos. Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu »collocasse. quem Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus »imperatorem faciat; aut Diaconi eligunt de se. quem industrium »noverint, et Archidiaconum vocant.»

Resp. Duplex fieri potest ad haec responsio. 1. Quod non solum nominabant illum, quem elegerant. Episcopum, sed etiam consecrari curabant; quod cum non negat Hieronymus. neque nos negare debemus. 2. Petavius (4) hanc Hieronymi sententiam eo refert, quod initio factum fuisse diximus; nempe. dignitates Episcopi et Presbyteri in iisdem convenisse personis; unum tamen eligebant, qui praesset, ut ordo et disciplina vigeret.

24. Obj. 3.° S. Hieronymus (5) dixit: «Episcopi noverint.

---

(1) In Ep. ad Tit. c. I.—(2) Act. XIII, 1-3. — (3) Epist. ad *Evang.* — (4) Disser. eccles. l. 1, c. 1, et 2.—(5) In ep. ad Tit. IV.

»se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate. »Presbyteris esse majores. et in communi debere Ecclesiam re»gere.»

Resp. 1.° Aliqui intelligunt, loqui Hieronymum de Ecclesiae regimine; quod initio exercebant communi suffragio Episcopi cum suis Presbyteris; non vero, de potestate Ordinis et gradu sacerdotali. 2.° Alii, juxta nuper dicta, respondent; his verbis respexisse Hieronymum ad illam priscam consuetudinem, qua Sacerdotes in plenitudine Sacerdotii. id est, in Presbyteratu simul ac in Episcopatu consecrabantur. ex rationibus supra allatis: deinde autem Apostolos, mutatis circumstantiis, coepisse duos illos Sacerdotii gradus separatim conferre. Proinde quoad factum, ex consuetudine procedit. quod Presbyteri in inferiori consecrentur tantum gradu: quod autem duo sint in Sacerdotio gradus, et altior sit Episcopatus. quam Presbyteratus; id ex jure procedit divino, seu dispositione dominica. ut ipse indicat Hieronymus. Ex his explicabis alia, quae solent objici. ejusdem S. Doctoris verba.

25. Obj. 4.° Ambrosius (1), vel potius antiquus alius Pater, ait: «Post Episcopum Diaconatus ordinationem subjecit. Quare. »nisi quia Episcopi et Presbyteri una ordinatio est? Uterque enim »Sacerdos est, sed Episcopus primus est... Hic enim Episcopus est, »qui inter Presbyteros primus est. Denique Timotheum Presbyte»rum ordinatum significat; sed quia ante se alterum non habebat. »Episcopus erat.» Ex his arguitur: ut quis sit inter Presbyteros primus, non opus est dispositione divina; nam ad id sufficit ut ante Timotheum non fuerit alius Presbyter ordinatus. Ergo Episcoporum praeminentia non est jure divino.

Resp. Nego *conseq.* juxta sensum responsionis praeced. Illud autem, quod una est Ordinatio Episcopi et Presbyteri, ipse auctor explicat; quatenus uterque Sacerdos est. Quod adjicit, Episcopum esse inter Presbyteros primum; si ita intelligatur, quasi Episcopus non plus sit quam Presbyter primus, esset sane errori tribuendum, nisi referri posset ad illud primaevum tempus, cum iidem simul et Episcopi et Presbyteri constituebantur.

THESIS IV.

Episcopalis gradus non est octavus et simpliciter a Presbyteratu distinctus ordo.

26. Hanc thesim ut probabiliorem tuemur. Prob. 1.° Triden-

(1) In 1 ad Tim. III.

tinum (1) distincte enumeravit diversos Ordines dicens: «Con»sentaneum fuit ut plures et diversi essent ministrorum Ordines... »Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacrae Litterae »apertam mentionem faciunt; et ab ipso Ecclesiae initio sequen»tium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria mi»nisteria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Os»tiarii, in usu fuisse cognoscuntur.» Ex his argumentamur: voluisse Concilium distinctos Ordines enumerare, est res apertissima: item, in his comprehendere voluisse Episcopos, «qui ad hunc hie»rarchicum ordinem praecipue pertinent» (ibid. c. 4), non potest negari; ergo Episcopatus in Ordine Sacerdotii continetur, et ideo non est octavus Ordo et simpliciter diversus.

27. 2.° Si foret Episcopatus distinctus simpliciter et octavus Ordo, dicendum esset, debere Episcopos ex officio deservire Sacerdotio. Sed hoc dici nequit, ut patet ex Thes. praecedenti, II.ª part.; ergo. *Maj.* prob. Docet Trident. (2): «Cum autem divina res »sit tam Sancti Sacerdotii ministerium (sacrificium, nempe), con»sentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri »posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi »essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent.» Ex quibus, sic: pluralitas et diversitas Ordinum fuit ad hoc instituta, ut Sacerdoti in offerendi sacrificii ministerio deservirent: ergo si foret Episcopatus...

28. 3.° *Catechismus Rom.* seu concilii Trid. (3): «Docendum »igitur est, hosce omnes Ordines septenario numero contineri, sem»perque ita a catholica Ecclesia traditum esse...» Ergo octavum et diversum dari Ordinem non est dicendum.

29. 4.° Antiquorum Patrum sententiae, quae solent objici adversus praecedentem thesim, ad hanc spectant, et inde explicari possunt.

Hieronymus non semel (4) dicit: «Eosdem esse Presbyteros, »quos Episcopos.» Tamen ait, solos Episcopos facere Ordinationem. Auctor ille antiquus, nomine Ambrosii laudatus, ait (5): «Epi»scopi et Presbyteri una est ordinatio; uterque enim Sacerdos est. »Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non »omnis presbyter Episcopus.» S. Chrysostomus (6): «Post»quam de Episcopis dixit (Paulus), eosque formavit... omis»so Presbyterorum Ordine, ad Diaconos transit. Cur id, quaeso? »quia scilicet inter Episcopum et Presbyterum interest ferme nihil: »quippe et Presbyteris Ecclesiae cura commissa est, et quae de

(1) Sess. XXIII, c. 2.—(2) Ibid.—(3) Pars II, de Sacr. Ord. 12.—(4) Ep. ad *Evang.* et alibi.—(5) Ep. 1 ad Tit. c. III.—(6) 1.ª ep. ad Tim. hom. 11.

»Episcopis dixit, etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordi»natione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presby»teri habere videntur.» Clemens Alex. (1): «In Ecclesia, »virtutis illius et efficientiae, quae meliores facit, imaginem obti»nent Presbyteri: administrae vero, Diaconi.»

Haec et alia similia testimonia eo respicere videntur, ut sub uno et eodem Sacerdotali Ordine Episcopatum et Presbyteratum exhibeat, in diverso tamen dignitatis et potestatis sacrae gradu.

30. Obj. Trident. docet (2): «Hierarchiam esse divina ordi»natione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Mi»nistris.» Item (3): «Episcopos, qui in Apostolorum locum successe»runt, ad hunc Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere. Plera»que peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui »inferioris Ordinis nullam habent.» Atqui haec innuunt, non minus distingui Episcopos a Presbyteris, quam istos ab inferioribus ministris: ergo octavum et distinctum simpliciter Ordinem efficiunt Episcopi.

Resp. AA. catholicos diversimode loqui, non sine probabili ratione; de re autem non videtur quaestio, sed potius de voce. Utramque opinionem conciliare videtur D. Thomas (4) dicens: distinctionem Ordinum duplici modo posse considerari; vel quatenus ordinatio est consecratio sacramentalis, vel quatenus respicit actiones hierarchicas. Sub primo respectu, attenditur numerus et distinctio Ordinum secundum relationem ad Eucharistiam; et quia eodem modo respicit Eucharistiam Episcopus et Presbyter, nonnisi unum efficiunt Ordinem. Quoad potestatem autem hierarchicam: «Sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierar»chicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus »erit Ordo, et secundum hoc loquuntur auctoritates inductae.»

Ad hunc videtur sensum fuisse locutum Conc. Carthaginense IV (5): «Ut Episcopus in quolibet loco sedens, stare Presbyte»rum non patiatur.» Item: «Ut Episcopus in Ecclesia cum consessu »Presbyterorum sublimior sedeat. Intra domum vero collegam se »Presbyterorum esse cognoscat.» Duo, scilicet, prae oculis habenda, ita ut concilientur, non vero evertantur: pares sunt, et quasi collegae, in ordine ad Corpus Christi verum; in diverso autem gradu in ordine ad Corpus Christi mysticum.

---

(1) *Strom.* 7. – (2) Sess. XXIII, can. 6.—(3) Ibid. cap. 4.—(4) In 4, dist. 14, Q. 3, a. 1, q. 2. – (5) Can. 34 et 35.

CAPUT II.

De sacrae ordinationis Natura.

ARTICULUS I.

De esse sacramenti Ordinis.

THESIS V.

Ordo est verum Novae Legis sacramentum.

31. **Nota.** I. Ordinis nomine intelligimus nunc, non statum ipsum permanentem sub quo certi clericorum gradus adnumerantur; sed potius actionem illam per quam in tali statu constituuntur, quae quidem actio *ordinatio* accuratius appellatur.

II. Novatores protestantes cum in variandis erroribus suis versatissimi forent, plures quoque circa sacram ordinationem professi sunt sententias. Lutherus (l. de Captiv. Babil.) istud etiam Ordinis repudiavit sacramentum, illumque secutus in errore est Melanchthon: at hic postea retractavit, et sacramentum Ordinis confessus est. Calvinus pariter, nunc negat, nunc autem profitetur hanc fidei doctrinam, prout negandi vel affirmandi impellebat libido, omni fidei regula destituta.

32. Thesis est de fide catholica, et probatur breviter. 1.° Tridentinum ait (1): «Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordi»nationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. ins»titutum... anath. sit.» Id docuerat Florentinum in Decreto pro *Arm.*, et confirmant ea quae diximus pro dogmate, de septenario numero sacramentorum. (Disq. I. de *Sacram in genere*).

33. 2.° Conc. Bracar. II (2) statuit: «Placuit, ut de ordina»tionibus clericorum Episcopi munera nulla suscipiant... Et non »aliquo pretio gratia Dei et impositio manuum venumdetur.» Adnexa est ergo gratia Dei ordinationi. Similiter locuta est Synod. Chalced. Oecum. IV. Leo I (3), de quadam agens ordinatione, ait: «Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti

(1) Sess. XXIII, can. 3.— (2) Can. 3, an. 572.— (3) Ep. ad *Episc. afric.* c. 1.

»perpetratur injuriam?» Item Anastasius II (1) dixit, de ordinatione Sacerdotum et Levitarum per iniquum Acacium facta, quod non ideo: «Per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma vi»deatur.» S. Augustinus (2) ait: «Utrumque sacramentum »est (Baptisma et Ordinatio) et quadam consecratione utrumque »homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque »in Catholica utrumque non licet iterari.» Et alibi: «Si aliqua cul»pa quis ab officio (clericus) removeatur, sacramento Domini se»mel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.» Gregorius Nyss. (3): «Eadem item verbi vis etiam Sacerdotem »augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a commu»nitate vulgi segregatum... Quum, quod ad speciem externam at»tinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia, invisibilem »animam in melius transformatam gerens.» S. Cyprianus (4), vel alius antiquus: «Docetur ergo quae sit Baptismi et aliorum »sacramentorum stabilitas... Nam Baptismum repeti, ecclesiasticae »prohibent regulae... Nemo sacros Ordines semel datos iterum re»novat; nemo sacro oleo lita iterum linit.»

34. 3.° SS. Litteris etiam constat haec fidei doctrina. Paulus ait (5): *Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam* (Spiritu S. revelante, ibid. c. I. 18), *cum impositione manuum Presbyterii.* Insuper: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Patet ex contextu agi de gratia sanctificante, quae, nempe, ex merito bene agentis perfici potest, vel ex negligentia amitti; et cujus usus gratum et perfectum reddit agentem. *In his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus... Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Ad rem Chrysostomus (6): «*Admoneo ut »resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manum »mearum;* id est, gratiam Sp. Sancti, quam accepisti, ut praesis »Ecclesiae, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos »enim est illam vel extinguere vel accendere: idcirco alibi dicit: »spiritum nolite extinguere; ex vigilantia et attentione excitatur. »Est quidem in te, sed tu ardentiorem efficito.»

35. 4.° Sacramentum est signum sacrum ac sensibile ad sanctificandum institutum. Atqui ordinatio per signum sensibile fuit semper data, et cum sanctificatione, ut ex testimoniis patet laudatis: ergo. Confr. a) Officia eorum, qui Ordinibus ecclesiasticis accensentur, sancta sunt, et sancte fieri postulant: unde Vet. Test.

---

(1) Epist. I, ad *Anast. Imperat.*—(2) Contra *Ep. Parm.* l. 2, et L. de *Bon. conjug.* c. 24. (3) Orat. de *Sto. Bapt.*—(4) L. *de ablutione pedum.*—(5) I Tim. IV, 14; II Tim. I, 6.—(6) Hom. I in II.m ad Tim.

ministeria perfici. sine munditia legali, non poterant; quae *figura erant futurorum*. Ergo valde conveniens fuit. ut non sine gratia Spiritus Sancti munus sacri ministerii in Lege Gratiae conferretur. Confir. b) Quia perfecta ad Christi regnum aggregatio postulat sanctitatem. signo hujusce aggregationis, Baptismo. nempe. fuit adnexa gratia: quia Christo militari sine sanctitate nequimus. signum istius militiae. Confirmatio, vim habet sanctificandi: quia Matrimonium referre debet conjunctionem Christi cum Ecclesia. signum talis contractus efficit sanctitatem: et similiter in Sacramentis ceteris. Atqui ministeria sacra sunt sanctissimi Sacerdotii Christi participatio. et sancte pertractanda sunt; ergo et signa. quibus haec conferuntur ministeria. vim quoque habent sanctificativam.

36. Obj. 1.° Manuum impositio ritus erat indifferens; adhibebatur enim etiam pro Diaconissis eligendis, vel pro sanandis infirmis. etc.: imo. profanus; nam etiam civiles magistratus eo ritu instituebantur. Ergo Sacramentum esse ordinationem, non possumus ex SS. Litteris inferre.

Resp. Dist. *ant.* Erat ritus indifferens. si abstracte sumatur; conc. Pro quovis casu. seu in concreto; nego. Nam adjuncta ostendunt. rei sacrae fuisse significationem. et sanctitatem contulisse.

Obj. 2.° Illa manuum impositio fiebat quoque a Presbyteris (1): *Cum impositione manuum Presbyterii.* Ergo non referebat sacram ordinationem.

Resp. Dist. *ant.* A meris fiebat Presbyteris; nego. Qui simul erant Episcopi; conc *ant.* et nego *conseq.* Cur autem dixerit Paulus, *cum impositione manuum praesbyterii*. ex dictis (2) facile intelliges. Nomen illud. honoris et aetatis, dicebatur etiam de Episcopis: deinde autem iis. qui plenitudinem non susceperant Sacerdotii. permansit.

37. Obj. 3.° Gratia illa. per manuum impositionem data, χάρισμα dicitur. non χάρις. Atqui Charisma quodlibet donum significat; et sic vocabantur dona prophetiae. miraculorum. sanitatum, linguarum. etc. Ergo haud recte de gratia sanctificante intelligitur.

Resp. Dist. *min.* In abstracto quodlibet significat donum; conc. Indeque et fidem, spem. charitatem et gratiam denotat Sp. Sancti. ut patet ex Apostolo (3). In quavis subjecta materia; nego. Illae quidem gratiae gratis datae concedebantur nonnumquam simul cum gratia Spiritus Sancti; non vero semper, seu quasi effectus per se, sed prout volebat Spiritus. Cum ergo dicitur absoluto

---

(1) I Tim. IV, 14.—(2) Thes. II, n. 22.—(3) 1.ª Cor. XII et XIII.

modo, gratia (seu charisma) quae est cum impositione manuum, illa tantum intelligenda, quae consecrationi est adnexa, seu gratia Dei et inhabitatio S. Spiritus. De hac loqui Apostolum contextus clamat (1): *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini Nostri... Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Vide quae in probatione tertia diximus.

THESIS VI.

Sacerdotis ordinatio est verum sacramentum.

38. **Nota.** I. Explicite definivit Trident., Ordinem esse sacramentum. Cum autem Ordo ex pluribus exurgat gradibus, quaeri potest, utrum *totum*, seu complexus ejusmodi ex partibus invicem ordinatis exurgens, sit sacramentum ex quacumque ejus parte, quemadmodum et est Ordo ex quocumque ejus gradu; vel solum sit proprie sacramentum juxta aliquam partem, seu gradum, puta, quatenus est Episcopatus, vel quatenus est Presbyteratus, etc.

II. Tum Episcopus, tum Presbyter, iique soli, ut docet Augustinus (2), sunt vere et proprie Sacerdotes, licet aliqua inter ipsos intercedat differentia. Primum ergo id, quod extra omne dubium esse debet, statuimus; scilicet, Sacerdotis ordinationem esse vere et proprie sacramentum: quod quidem catholice certum, et saltem fidei proximum esse dicimus. Quid autem de aliis Ordinis gradibus et differentiis censendum sit, postea declarabitur.

39. Prob. 1.° Juxta Tridentinum (3), id quod est sanctius ac divinius in universo sacramenti Ordine, est Sacerdotium, ejusque officium, seu ministerium. Sed ideo fuit sacramentum Ordinis institutum, ut dignius et majori cum reverentia exerceri posset sacerdotis ministerium: ergo Sacerdotii Ordo, seu ordinatio, est potissime sacramentum. Quemadmodum, si nobiles esse oportet regis ministros, potissime nobiles existent, qui propius eidem ministrant.

40. 2.° Conc. Florentinum (4) docuit: «Sextum sacramen»tum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem »confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum »vino... etc... Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem...» Unde Sacerdotium, seu Presbyteratus, primario ad rationem sacramenti Ordinis pertinet. Vide etiam Gregor. Nys. et Anasta-

(1) 2.ª Tim. I, 6, 8, 14...— (2) De *civit. Dei*, L. 20, c. 10.— (3) Sess. XXIII, cap. 2. - (4) Decr. pro *Arm.*

sium PP. II in praecedenti Thes. S. Chrysostomus rem esse sacram Sacerdotium, et gratia Spiritus Sancti ornatam, docet (1): «Sacerdotium enim in terra peragitur, sed coelestium Ordinum »classem obtinet: et jure quidem merito. Non enim homo, non An»gelus, non Archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed »ipse Paraclitus hoc officium ornavit... Idcirco Sacerdotium obeun»tem ita purum esse decet, ac si in coelis inter potestates illas col»locatus esset... Stat enim Sacerdos, non ignem gestans, sed Spi»ritum Sanctum... ut gratia in sacrificium delapsa, per illud om»nium animos inflammet... Hoc itaque terribilissimum myste»rium, qui tandem, nisi admodum insaniat, vel mente captus, »despicere queat? An ignoras humanam animam ignem Sacrificii »hujusmodi numquam gestare potuisse, sed omnes funditus peritu»ros fecisse, nisi magnum esset gratiae Dei auxilium? Si quis enim »secum reputet, quantum illud sit, nempe, hominem carne et san»guine involutum, prope beatam illam et immortalem naturam »constitui, tunc probe intelliget, quanto honore Spiritus gratia Sa»cerdotes ornaverit.» Theodoretus collationem Sacerdotii cum ministratione Baptismi comparat, et in utraque gratiam conferri asserit (2): «Cum et multae myriades ab uno sacerdote bapti»zantur et donum divinum accipiunt, Sacerdotis gratiam non mi»nuunt: nec dum a summis Pontificibus ordinantur permulti sa»cerdotalem dignitatem accipientes, ordinantis gratiam nullatenus »imminuunt.» Gregor. Naz. (3), suscepto Presbyteratu, dicebat ad populum: «Sacramentum (Μυστήριον) unxit me; sacramento »paululum secessi, quoad ipse me explorassem; cum sacramento »etiam simul introeo.» Deinde eos arguit (4), qui «Illotis, ut dici; »solet, manibus, profanisque animis in sanctissima sese inferunt »ac priusquam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium »ipsum ambiunt, et circum sacram mensam sese invicem premunt »ac protrudunt, tamquam non virtutis exemplum, sed victus pa»randi occasionem et subsidium, hunc Ordinem esse judicantes.» S. Leo (5): «Intelligamus, quanta et dantium et accipientium »devotione curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum ne»gligenter videatur impletum: et ideo pie et laudabiliter Apostoli»cis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum »formam... etiam ipse servaveris.»

41. 3.° Verum et proprium sacramentum est signum sensibile sanctificationem conferens. Atqui talis est Sacerdotum ordinatio: per formam enim aliquam sensibilem, ut infra explicabitur, con-

(1) *De Sacerd.* l. 3, c. 4.—(2) Q. 18, in Num.—(3) Orat. 1, in *Sanc. Pascha.* —(4) Or. 2, *Apolog.*—(5) Epis. 81 ad *Diosior.* 1.

fertur, necnon per Spiritus Sancti gratiam: eamdem enim, quam Christus D. Apostolis dedit (1), accipiunt Sacerdotes potestatem et gratiam. Ideo decrevit Trident (2): «Si quis dixerit, per sacram »ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde, frustra Epis»copos dicere: *Accipe Spiritum Sanctum... anath. sit.*»

42. Obj. 1.° Ut Ordo vere sacramentum existat, sufficit unum ex ordinibus esse sacramentum. Atqui Episcopatus est Ordo, et quidem ad hierarchicum Ordinem praecipue pertinens (3): ergo ex definitione Tridentini (4) non infertur, Sacerdotium esse sacramentum.

Resp. Dist. *ant.* Sufficit, unum Ordinem, ad essentiam Sacerdotii pertinentem, esse Sacramentum; permitto. Si non spectet ad essentiam Sacerdotii; nego. Deinde. Dist. *min.* Episcopatus est Ordo, quatenus spectat ad gradus hierarchicos, id est, ad Ecclesiae regimen, et ad sacras Unctiones ac Ordinationes perficiendas; conc. Est ordo ad essentiam et ministerium Sacerdotii pertinens; nego. Scilicet, Tridentinum explicavit ac definivit Ordinem, sive sacram ordinationem, tamquam sancti Sacerdotii ministerium et ornamentum: ut patet ex toto capite secundo (ibid.), necnon ex tribus prioribus canonibus, quibus deinde totius doctrinae nexum explicat. In can. 1 existentiam statuit Sacerdotii, et ejusdem munus primarium, scilicet offerre sacrificium et peccata remittere. In can. 2 alios Majores et Minores decernit dari Ordines; eos, nempe, quibus deservitur Sacerdotio, et ad illud tenditur. Denique in can. 3 definit Ordinem, seu sacram Ordinationem esse sacramentum. Ergo absonum prorsus, et contra omnem loquendi et interpretandi regulam esset, per hunc Ordinem, sive sacram ordinationem, aliud intelligere, quam illud de quo agit, quod explicat, definit et vindicat proxime et immediate, tamquam principale subjectum totius doctrinae.

43. Obj. 2.° Sacerdotis ordinatio non est a Christo instituta: ergo non est sacramentum. *Ant.* prob. Ordines a Christo instituti enumerantur a Paulo (5): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Ergo cum de Sacerdotibus nihil dicat Paulus, non sunt a Deo instituti.

Resp. Nego *ant.* Etenim constituit Sacerdotium, cum dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem* (6); et iterum: *Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis peccata...* Paulus quidem, in

---

(1) Joan XX, 22, 23.—(2) Ses. XXIII, 4.—(3) Ibid. c. 4.—(4) Ibid can. 3.—(5) Ephes. VI, 11, 12; I. Cor. XII, 28.—(6) Luc. XXII, 19; Joann. XX, 22, 23.

loco citato. non loquitur de Sacerdotibus sub hoc explicito nomine; verum eos clare significat sub nomine Apostolorum et Pastorum. qui officio ac ministerio sacerdotali corpus Christi aedificabant.

44. **Corollarium**. Quae in hac thesi de Sacerdotis ordinatione diximus, ostendunt directe. Presbyteri ordinationem esse sacramentum.

Nam: 1.° Presbyter, cum ordinatur, vere et proprie Sacerdos efficitur, juxta essentiale Sacerdotii officium a Tridentino declaratum: e contra, Episcopus in sua Ordinatione non fit Sacerdos. sed supponitur in hoc gradu constitutus.

2.° Sententiae ad probandum laudatae. tum Florentini. tum aliorum Patrum et Pontificum. explicite ad Presbyterii ordinationem referuntur, ut patet. tum ex eorum scopo. tum ex productis argumentis.

3.° Presbyteris illa confertur. in ordinatione eorum. Spiritus S. gratia et potestas: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata...* etc.

THESIS VII.

Ordinatio Episcopi, seu ritus ille, quo Presbyteri ad episcopatum initiantur, est sacramentum.

45. **Nota.** I. Episcopus et Presbyter in dignitate conveniunt sacerdotali; differunt autem, et quidem jure divino. quoad gradum aliquem potestatis Ordinis. ut superius explicatum est (Th. III). Dubitatur ergo. utrum ritus ille. quo consecratur, seu initiatur Presbyter ad hanc potestatem episcopalis Ordinis suscipiendam. sit verum sacramentum: qua in re non eadem est theologorum sententia.

II. Putarunt plures ex nobilioribus DD.. ut D. Thomas. M. Sententiarum, Albertus M.. S. Bonaventura. etc., non esse gradum episcopalem in hierarchico Ordine sacramentalem Ordinem distinctum a sacramentali Ordine Presbyteratus; sed esse quamdam hujus extensionem: hanc sententiam dicit esse probabilem Suarez. (1). Quemadmodum in collatione Sacerdotii; cum post acceptam consecrandi Corpus Christi potestatem imponuntur Presbytero manus ut Spiritum Sanctum et ad peccata remittenda virtutem suscipiat, non dicitur esse Ordo sacra-

(1) De Sacram. in Gen., Disp. 11, Sec. 3.

mentalis distinctus, sed ejusdem suscepti characteris extensio (1) et ejusdem sacramentalis Ordinis complementum; a pari, idem dicendum, cum sacerdotalis Ordo ad altiorem gradum Episcopatus provehitur.

III. Verum alii AA. non pauci, praesertim recentiores, tenent Episcopi consecrationem esse, quoad id quod superaddit Presbyteri consecrationi, verum Sacramentum, et novum consequenter imprimere characterem. Hanc sententiam sequitur Navarrus, vocatque probabilem Suarezius (2), et Bellarminus certissimam. Perpensis autem argumentis, eam probabiliorem saltem dici posse facile, ut puto, elucebit.

46. Prob. 1.° ab aliquibus AA. ex sententiis illis Pauli (3): *Noli negligere gratiam, quae data est tibi... Admoneo te ut resuscites gratiam Dei...* Nam ex his arguunt: Timotheus ordinatus fuit Episcopus; sed accepit in sua ordinatione gratiam; ergo ordo Episcopatus est sacramentum. Verum, non sat firmum hoc esse argumentum, ex supra tractatis videtur. Supponit enim haec argumentatio, sermonem esse in hisce testimoniis de sola ordinatione Timothei ad Episcopatum: jam vero id gratis supponi, imo verius censendum, Pauli discipulum simul et semel fuisse ordinatum Presbyterum et Episcopum, ex antea (4) dictis patet.

2.° Ex iisdem Pauli testimoniis sic argui potest: certum est, Timotheum fuisse per manuum impositionem a Paulo ordinatum non tantum Presbyterum, sed etiam Episcopum (5): item certum est, per illam manuum impositionem collatam fuisse Timotheo gratiam. Sed alienum omnino est a ratione putare, gratiam manuum impositione datam respexisse tantum Presbyteratum, non vero Episcopatum: ergo juxta Paulum confertur etiam gratia per ordinationem Episcopi, ideoque haec ordinatio est sacramentum. *Min.* prob. Ut censere possimus, gratiam Timotheo collatam non fuisse propter ordinationem episcopalem, etiamsi in tali ordinatione reapse illam susceperit; oportet cogitare, seu fingere, quod exercitium muneris episcopalis non postulat sanctitatem, sed solum eam requirit officium sacerdotale. Sed hoc fingi non potest, imo est manifeste verum, exigere sanctitatem officium Episcopi: debet enim manus imponere ad dandum Spiritum Sanctum, ad consecrandos Ecclesiae ministros, et ad regendam Ecclesiam a Sp. Sancto constitutus omnibus in sanctitate vitae praelucere debet, uti ipse Paulus Timotheo ajebat (6): *Haec* (mu-

(1) Vide Suarez, de Poenit. disp. 16, sec. 3.—(2) Ibid. disp. 26, sec. 1, n. 4.—(3) I Tim. IV, 14; II Tim. I, 6.—(4) Thes. III, n. 22, 25.—(5) I Tim. V, 22.—(6) I.ª III, 14, 15; IV, 13-16.

nera Episcopi) *tibi scribo... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis... Dum venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinae. Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbiterii. Haec meditare; in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae; insta in illis. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.*

47. 3.° Episcopus, ratione proprii gradus, seu formaliter, spectat ad ordinem sacerdotalem. Sed Sacerdotis ordinatio est sacramentum (ex Th. VI); ergo et ordinatio Episcopi est sacramentalis. *Maj. prob.* a) Sacerdotium est supremus Ordinis hierarchici gradus, ut docet Trident. (1): item, qui dicit omnes christianos esse Sacerdotes, Ecclesiasticam Hierarchiam confundit (ibid.) Atqui non ita esset, si Episcopus ratione proprii gradus non pertineret ad Sacerdotium: ergo. *Min.* prob. Episcopi ad hierarchicum Ordinem praecipue pertinent (ibid. cap. 4): et constat, ordinatione divina, Hierarchia catholica Episcopis, Presbyteris, et Ministris (ibid. can. 6): ergo si Episcopatus non spectaret ad Sacerdotium, non esset istud supremus Hierarchiae gradus, neque confunderetur Hierarchia, etiamsi essent omnes Sacerdotes; adhuc enim forent Episcopi qui regerent Ecclesiam Dei (ibid. cap. 4). b) Augustinus (2) ait: solos Episcopos et Presbyteros proprie vocari in Ecclesia Sacerdotes. Tertullianus (3) dicit, Episcopum esse summum Sacerdotem. Hieronymus (4) docet: «Ad honorem »Sacerdotii» solos Episcopos imponere manus super baptizatos; nam «Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si »non exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in »Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.» Leo M. (5), enumeratis officiis Episcoporum propriis, ait: «Quae omnia solis »deberi summis Pontificibus praecipitur, ut per hoc et discretio »graduum, et dignitatis fastigium summi Pontificis demonstre»tur.» c) Ratio ex primario Episcopi munere oritur. Ad eum enim propriissime pertinet ordinare (6) juxta illud Epiphanii (7): «Episcoporum Ordo ad gignendos Patres praecipue pertinet: hujus »enim Patrum in Ecclesia propagatio. Alter (Presbyterorum) cum »Patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione produ»cit.» Atqui ordinare Sacerdotes, seu gignere Patres est complementum et perfectio potestatis sacerdotalis; nam «omne generans

---

(1) Sess. XXIII, cap. 2 et 4.—(2) De *Civit Dei*, l. 20, c. 10.—(3) L. de *Bapt.* c. 17.—(4) Dial. adv. *Lucif.* n. 9.—(5) Epist. 88, ad episc. *Gall., et Germ.*—(6) Vide supra, Th. III.—(7) *Haeres.* 75.

»producit sibi simile secundum formam» (1), ut ait D. Thomas. Ergo Episcopus, ratione proprii gradus.... etc.

48. 4.° Tridentinum definivit, ordinem esse sacramentum; item docet, ad Ordinem Episcopos praecipue pertinere; ergo spectat quoque Episcopatus ad sacramentum Ordinis, et ideo, saltem partialiter, est sacramentum. Leo M. ait (2): «Quis ergo »dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam.» Agit nempe de Episcopi ordinatione, in qua regulae a SS. canonibus statutae praetermittuntur. Ipse S. P. Leo (3) ad gratiam Spiritus S. refert creationem Antistitum: «Hujus divini Sacerdotii sacramentum... non per generationum tramitem curritur... sed eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus S. praeparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis ac »regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gignat Antistitem.» Gregor. M. (4): «Qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero »ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.» Quod de Episcopis dicere, patet ex contextu; ait enim: «Plerumque culmen Praelationis »accipiunt, qui in charitate Dei et proximi perfecti non sunt.» Augustinus (5): «Manet in ordinatis sacramentum ordinationis, et si quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit.» Quod et de Episcopis intelligit.

49. Obj. 1.° Si Episcopatus, secundum id quod Presbyteratui adjungit, verum est sacramentum, erit quoque octavus Ordo. Sed supra id rejecimus; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Erit octavus Ordo simpliciter; nego. Secundum quid; conc. *maj.* Etenim consecratio episcopalis tribuit aliquam perfectionem spectantem ad Sacerdotii complementum: ideoque gradus iste est quidem plenius Sacerdotium, perfectior Sacerdotii Christi participatio, non autem distinctus Ordo sacerdotalis; est enim ipsius Sacerdotii extensio seu evolutio, veluti cum naturae accedit foecunditas.

Inst. Non potest Sacerdos perfectiorem habere virtutem, quam ut sacrificium Corporis et Sanguinis Christi Deo offerat: ergo non potest dari aliud sacramentum completivum Sacerdotii.

Resp. Dist. *ant.* Perfectiorem absolute, et cum distinctione mutua inter utramque virtutem; conc. Nam major sane est virtus consecrandi et offerendi Corpus Christi, quam facultas ordinandi. Nequit habere virtutem perfectiorem relative, cum distinctione non

---

(1) 1.ª Q. 33. a. 2 ad 4; Q. 41. ar. 5. 0.—(2) Ep. 88.—(3) Serm. 3, de *anivers. assumpt. suae.*—(4) In l. 4, Reg. c. 5.—(5) De *Bon. conjug.* c. 24.

mutua; nego *maj.* Oportebat Sacerdotium in Ecclesia multiplicari, quia catholica est; et propagari, quia viatrix est et perpetua. Noluit autem Deus, vel omnes esse Sacerdotes, vel carnali creari origine, vel quosvis Sacerdotes virtutem alios consecrandi habere; aliquibus ergo perfectio haec concessa fuit, ne Sacerdotium omnino vel ex parte deficeret. Jam vero multiplicatio et propagatio Sacerdotii non pertinet ad ejusdem perfectionem absolutam, sed relativam: proinde, perpensa absolute sacerdotali dignitate, nequit dici Episcopus Presbytero perfectior; bene autem dici potest, quoad perfectionem relativam absolutae accedentem.

50. Obj. 2.° Eamdem habet ad Eucharistiam Presbyteratus habitudinem, quam Episcopatus. Sed ex ista habitudine distinguuntur Ordines, quatenus sacramentales, juxta D. Thomam (1): ergo.

Resp. Dist. *maj.* Eamdem habet habitudinem absolutam; conc. Relativam; nego. Quam distinctionem ex dictis facile explanabis.

Inst. Ejusmodi distincta habitudo non est respectu ad Eucharistiam, sed ad Corpus Christi mysticum. Atqui talis differentia non inducit ullam in Ordine sacramentali distinctionem, ut docet (ibid.) D. Thomas. Alias et Archiepiscopi, et Primates, Papa quoque deberent consecratione sacramentali initiari: ergo.

Resp. nego. *maj.* vel dist. juxta superius explicata. Eodem enim modo, quo multiplicatio et propagatio Sacerdotii ad illius perfectionem spectat, distinctam etiam refert ad Eucharistiam habitudinem.

51. Obj. 3. Ordinis sacramentum, ut dictum est, (2) characterem imprimit: ergo et Episcopatui debetur distinctus character, et poterit, eo suscepto, etiam non Sacerdos esse Episcopus.

Resp. Dist. *consequens.* Debetur character distinctus simpliciter; nego. Secundum quid; conc. Character signum est, non quidem per intrinsecum respectum ad rem significatam, sed ex Dei ordinatione. Dicimus ergo, ipsum sacerdotalem characterem, accedente episcopali ordinatione, a Deo ordinari ad munera Episcopi significanda; sive id fiat cum aliqua ipsius characteris physica immutatione, sive morali tantum: quam quaestionem aliis definiendam libenter permittimus. Concedendum quidem censemus, alium formaliter, seu in ratione signi, esse Episcopi characterem, alium vero Presbyteri: tamen ex dictis patet, non posse characterem suscipi episcopalem, non accepto sacerdotali, seu Presbyteri charactere.

---

(1) 4, Dist. 24, Q. 2, a. 2, q. 2.—(2) De Sacram. in Gen. Th. VI, n. 49.

THESIS VIII.

Ordinatio Diaconi est sacramentum.

52. **Nota.** Diaconus, e graeca voce διάκονος, universim ministrum seu famulum significat; at, usu Ecclesiae, cum refert Ordinis hierarchici sacrum ministrum, qui Sacerdoti solemniter sacrificium offerenti proxime inservit. Praeter novatores, qui totum Ordinis sacramentum rejecerunt, pauci ex catholicis, cum Durando et Cajetano, putarunt Diaconatum non esse sacramentum. Adeo tamen communis ac certa est thesis, ut oppositum sine temeritate non posse defendi dicant plures theologi.

53. Prob. 1.° Tridentinum (1) definivit, Ordinem esse sacramentum, et ad illum pertinere etiam Diaconos, seu Diaconatum esse vere et simpliciter Ordinem. Sed non esset simpliciter Ordo, si non foret etiam sacramentum; ergo. *Min.* prob. Nequit dici simpliciter Ordo id, cui non convenit quod est proprium et praecipuum Ordinis. Sed tria sunt, juxta Trident., propria et praecipua ac characteristica Ordinis: esse sacramentum, imprimere characterem, et esse institutum, ut «Sacerdotii ministerium dignius et majori cum veneratione exerceri posset:» ergo cui haec non conveniunt, nequit esse simpliciter Ordo. Jam vero, si Diaconatus non esset sacramentum, primum et secundum nullatenus, tertium autem analogice tantum eidem convenirent: ergo non esset simpliciter Ordo. Confir. a) Duo a Trid. definiuntur (2): Christum D.^{m} instituisse Hierarchiam, seu Ordinem, constantem Episcopis, Presbyteris et Ministris, ideoque saltem, Diaconis: item, Ordinem, seu sacram ordinationem, institutam fuisse a Christo in sacramentum. Hoc posito, dicimus: Christus instituit Ordinem, et instituit illum esse sacramentum: sed Ordo, ut a Christo institutus, constat Episcopis, Presbyteris et Diaconis; ergo Christus instituit, Episcopos, Presbyteros et Diaconos esse Sacramento ordinatos, seu Ordinationem eorum esse Sacramentum. Confir. b) Idem argumentum paulo aliter explanatur. Institutio Ordinis per Christum duplex objectum, seu effectum, respexit, juxta fidem a Trid. definitam: primo; Ordinis constitutionem, quem voluit Christus constare etiam Diaconis (saltem): secundo; ipsius Ordinis sanctificationem, quapropter statuit Christus esse sacramentum. Atqui nulla est ratio, ut excludamus Diaconos ab ejusmodi sanctificatione; imo est validissima ratio, ut eos comprehendi dicamus: ergo. *Min.* prob. In primis nulla est ra-

---

(1) Sess. XXIII, c. 2, et 4, et can. 3.—(2) Ibid. can. 3 et 6.

tio ad Diaconos excludendos: numquid non est Diaconatus verus Ordo, et a Christo institutus, uti Episcopatus et Presbyteratus? cur ergo excludendus a sanctificatione, quam Christus constituit Ordini a se instituto? Deinde clamat urgens ratio ut non excludatur: nam Diaconi ministerium est sanctissimum, scilicet, ministrare immediate Sacerdoti sacrificanti, ut dicemus.

54. 2.° Diaconi ordinatio est sacramentum, si ritu sensibili cum collatione gratiae perficitur. Atqui ita res se habet: nam ordinatur Diaconus, dicente Episcopo cum impositione manuum: Accipe Spiritum Sanctum; et Tridentinum definivit (1): «Si quis dixe»rit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac »proinde frustra Episcopos dicere; Accipe Spiritum Sanctum... »anath. sit.»

55. 3.° SS. Scripturae exhibent sacram esse Diaconorum ordinationem, quemadmodum illam Presbyterorum et Episcoporum. Et quidem, a) ratione ritus; consecrabant Diaconos Apostoli, eodem modo ac Presbyteros et Episcopos (2): *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* b) Ratione aptitudinis, seu dispositionis; enumeratis primum ad Episcopatum dispositionibus, similes Apostolus subjungit ac requirit pro Diaconis (3): *Diaconos similiter pudicos... habentes mysterium fidei in conscientia pura; et hi probentur primum, et sic ministrent...* Apostoli autem, ad primos consecrandos, dixerunt (4): *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia...* c) Ratione ministerii; patet istud non pure profanum, sed sacrum extitisse. Nam a) Evangelium praedicabant et baptizabant, sicut Apostoli. b) Ajebat Apostolus (5): *Et hi probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes. Diaconi sint unius uxoris viri... qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu.* Atqui ad profanum ministerium, non refert esse unius uxoris virum, esse plenum Spiritu Sancto, et acquisitio multae fiduciae in fide: ergo.

56. 4.° Sancti Patres pariter sanctitatem Diaconatus Sacerdotio et Episcopatui accensent. Ignatius (6) ait: «Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra est, non est mundus: hoc est, qui sine Episcopo et Presbyterio et Diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia.» Ecce intra altare esse nequit, qui Diaconis non adhaeret. Rationem superius tradit (ibid.): «Oportet autem et Diaconos, mysteriorum Jesu Christi ministros... non enim ciborum

---

(1) Sess. XXIII, can. 4.—(2) Act. VI, 6.—(3) I Tim. III, 8-10.—(4) Act. Ap. VI, 3.—(5) I Tim. III, 10, 12, 13.—(6) Ep. ad *Trall.* 7.

»et potuum ministri sunt, sed Ecclesiae Dei ministri.» Et rursus (1): «Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Devovear ego pro iis, qui sub»diti sunt Episcopo, Presbyteris. Diaconis, et utinam mihi contingat »habere cum illis partem in Deo.» S. Laurentius, teste Ambrosio (2), dicebat Pontif. Sixto: «Quo, Sacerdos sancte, sine »Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre con»sueveras... Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. Cui »commisisti Dominici Sanguinis consecrationem (al. dispensatio»nem), cui consummandorum consortium sacramentorum, huic »sanguinis tui consortium negas?» Dionysius Areop. (3) ritum exponit ordinationis Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, et vocat communi appellatione: «Sacramentum (μυστήριον) »consecrationis sacrorum Ordinum.» Deinde dicit, vitam illorum qui consecrantur «Deo, consecrationis auctori, penitus subjicien»dam, ut, quantum fieri possit, digna sit divino templo et altari »ejus, qui sanctiori ratione deiformes mentes consecrat.» S. Jo. Chrysost. (4) ait de ordinatione Diaconorum: «Hoc est ordina»tio: manus viri superponitur, totum vero Deus operatur, ejusque »manus est qua tangit caput ordinati, si quemadmodum oportet »ordinetur.» Deinde (hom. 15) de ordinatione Stephani, dicit: «Vide quomodo inter septem illos unus praecellens esset et primas »teneret. Etsi enim ordinatio communis esset, et hic majorem gra»tiam attraxit. Antea signa non faciebat... ut ostenderetur non so»lam gratiam sufficere, sed ordinationem requiri, ut Spiritus acces»sio fiat.» S. Hieronymus (5), de quibusdam Episcopis, qui Diaconos, nisi prius uxores ducerent, ordinare nolebant, ajebat: «Nisi praegnantes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis »matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt.» Videas etiam (6) Anastasium PP. II.

57. Obj. 1.° Ad profanum officium non opus est speciali gratia vel consecratione. Sed instituti fuerunt, vel electi, Diaconi ad profanum ministerium (7): nam Apostoli *Dixerunt: non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis septem... quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Ergo.

Resp. Dist. *min.* Electi sunt Diaconi unice ad profanum officium; nego *min.* Occasione profani ministerii, scilicet, elargiendi eleemosynas, instituti, vel potius, ordinati fuerunt; conc. Bona Ecclesiae per ministros ecclesiasticos congruentius administrari, perennis

---

(1) Ep. ad *Polycar.* 6.—(2) De *Offic.* P. 1, c. 41.—(3) De *Eccl. Hier.* c. 5. —(4) In Act. Ap. hom. 14.—(5) L. *adv. Vigilant.*—(6) Thes. V. n. 33.—(7) Act. VI.

confirmat consuetudo: ideo ipsi Apostoli primum huic pio officio vacabant. Crescente autem Ecclesia, huic et aliis non sufficiebant Apostoli ministeriis; ideoque, occasione ista urgente, non quidem Ordinem Diaconorum instituerunt, sed illos consecrarunt ut simul cum propriis eorum officiis, hoc ministerium pauperibus providendi eis committerent.

58. Obj. 2.° Cyprianus (1) ait: «Meminisse Diaconi debent, »quoniam Apostolos, id est, Episcopos et Praepositos Dominus ele»git, Diaconos autem, post Ascensum Domini in coelos, Apostoli »sibi constituerunt Apostolatus sui et Ecclesiae ministros.» Ergo diaconatum Christus non instituit.

Resp. Nego *conseq.* Non enim agit Cyprianus de Ordinis institutione, sed de electione et consecratione eorum qui ad Ordinem evehuntur. Nota autem, non mensarum tantum, sed Apostolatus et Ecclesiae ministros esse Diaconos, asserere Cyprianum.

Inst. Hieronymus (2) dicit: «Quis patitur ut mensarum et »viduarum minister super eos tumidus se efferat, ad quorum preces »Corpus Christi Sanguisque conficitur?»

Resp. Dist. et explico mentem S. Doctoris. «Minister mensarum »et viduarum» est Diaconus, quasi ejus sit praecipuum ministerium; nego. Quatenus illi quidem conveniat tale ministerium, non autem consecratio Corporis et Sanguinis Christi, uti Presbyteris; conc. Cum Hierosolymis communiter viverent fideles, necessitas providendi pauperibus exhibuit primam occasionem ordinandi Diaconos; qui, tempore S. Hieronymi, cum superbe Presbyteros contemnerent, audire a S. Doctore debuerunt, propter inferiora illos institutos fuisse ministeria, et ad ministrandum viduis originem duxisse. Ceterum, ut diximus, Diaconi illi aliis vacabant ministeriis sacris, ut patet de Philippo et Stephano; et in aliis civitatibus, ubi non vigebat vita communis, ut Cretae, Ephesi, et Philippis, etiam Diaconi ordinabantur, uti Paulus in suis refert epistolis: et S. Justinus (3) ministrasse Diaconos Eucharistiam testatur, et alii Patres confirmant, ut vidimus in Thesi.

SCHOLION.

De diaconissis.

59. Cum olim mulieres, vel viduae, vel virgines, aetate provectae, ad quaedam in Ecclesia ministeria assumerentur, puta, ad mi-

---

(1) Ep. 65 ad *Rogat.*— (2) Epist. ad *Evangel.*—(3) *Apolog.* 2 in fine.

nistrandum feminis pro susceptione Baptismi, vel ad eas edocendas in doctrina fidei, etc. quaeritur utrum ad Ordinem aliquem ecclesiasticum pertinerent. Ratio dubitandi esse potest, quia impositione manuum, et invocatione Spiritus Sancti, cum forma aliqua, seu deprecatione, ab Episcopo consecrabantur ad ministerium.

Ejusmodi sanctimoniales mulieres ad nullum pertinuisse Ordinem ecclesiasticum proprie dictum, communis est sententia. Earum institutio erat pure ecclesiastica, et nullatenus in sacro ac divino Ordine contenta, qui, uti diximus, ad sacram Eucharistiam principaliter et directe tendit. Illarum autem sacrarum mulierum institutionem alium habuisse scopum, dicitur in Constit. Apostolicis (1). «Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum quae »Presbyteri et Diaconi faciunt, nisi quod januas custodit et Presby»teris ministrat cum mulieres baptizantur, idque propter decorem »et honestatem.» Similiter legimus apud Epiphanium (2): «Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sa»cerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem ins»titutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur.» E contra veri Ordines via sunt ad sacerdotium, et proxime vel remote, ut ei subministrent sunt instituti.

THESIS IX.

Subdiaconatus, nec non et inferiores ecclesiastici Ordines, sunt vera sacramenta.

Nota. Cum antiquorum theologorum, Durando excepto et Cajetano, communi sententia, et nobiliorum etiam inter recentiores, uti Bellarminus, Valentia, Gotti, etc., hanc, ut probabiliorem, tuemur thesim.

60. I.ª pars, scilicet, de Subdiaconatu, est altera probabilior, quia inter sacros Ordines refertur, et ab Ecclesia, praescripto celibato, magis honoratur. Simul tamen utramque probamus theseos partem.

1.° In Decreto Eugenii IV, seu Florentini Conc. Generalis (vocatur enim Synodale Decretum, et in eodem dicitur, sacro approbante concilio, a Pontifice traditum), proponuntur pari modo omnes septem Ordines, ut verum sacramentum. Dicit enim Pontifex: «Sextum sacramentum est Ordinis: cujus materia »est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbytera»tus traditur per calicis... porrectionem; Diaconatus vero... Et si»militer de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assigna-

(1) L. 8, c. 28.—(2) *Haeres*, 69, n. 3.

»tionem. Forma Sacerdotii talis est. Accipe potestatem... etc. Et sic »de aliorum Ordinum formis... Ordinarius minister hujus sacra»menti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiae, ut quis sit »idoneus Christi minister.» Evidenter patet. Florentinum cum Pontifice pari modo docere; a) omnes Ordines esse sacramentum; b) constare materia et forma: c) pertinere ad ministerium Episcopi; d) causare gratiam ad idoneum faciendum ministrum.

2.° Tridentinum (1) non tantum nihil docuit ad haec emendanda, quod sane fecisset si forent erronea; sed potius confirmasse sat clare videtur. Nam definit (2): «Dubitare nemo debet Or»dinem esse vere et proprie unum ex septem Ecclesiae sacramen»tis.» Atqui nomine Ordinis intelligit et comprehendit septem omnes Ordines; ergo. *Min.* prob. Ait concilium (cap. 4): «Sa»crosancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, »Episcopos... ad hunc hierarchicum Ordinem praecipue pertinere.» Atqui illi ecclesiastici gradus sunt septem Ordines, uti docet in cap. 2. Ergo.

61. Confirm. 1.° Christus instituit Hierarchiam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris (3). Item instituit Christus Ordinem esse sacramentum (4). Atqui nomine Ministrorum veniunt etiam, ex mente Concilii, Subdiaconatus et minores Ordines: et dici nequit, exclusisse Christum hos Ordines a ratione sacramenti, eosdem instituendo: ergo. *Min.* quoad primam partem, patet ex cap. 2, ubi *Ministrorum* Ordines, non solum Diaconos, sed alios inferiores esse dicit Concilium. Quoad secundam partem, etiam patet; quia tum de Diaconis, tum de aliis inferioribus Ordinibus, dicit: «Sacerdotio ex officio deservire, quo dignius et majori cum ve»neratione exerceri posset.» Ergo dici non potest, ita hos inferiores Ordines Christum instituisse, ut eos a ratione sacramenti excludere voluerit.

62. Confir. 2.° Christus milites suos, ad fortiter fidem profitendam, sacramento *confirmatos* voluit: peccatores poenitentes, quo perfectiorem explerent poenitentiam, etiam sacramento munivit: conjuges, ut munera facilius obirent, sacramentali vinculo sanctificavit: et putabimus, eos, quos ipse Christus instituit Ministros, «Qui sacerdotio ex officio deservirent, quo dignius, et majori cum »veneratione exerceri posset.» fuisse a sacramentali gratia repulsos?

63. Obj. 1.° Urbanus II indicavit (5) hos inferiores Ordines institutionis esse ecclesiasticae: «Super his (Presbyteratu et Diaco-

---

(1) Sess. XXIII.—(2) Cap. 2, can. 3.—(3) Can. 6.—(4) Can. 3.—(5) Supra, Thes. II, n. 14.

»natu) solum praeceptum habemus Apostoli.» Ergo nequeunt esse vera sacramenta.

Resp. Dist. *ant.* Institutionis sunt Ecclesiasticae, quatenus non est institutionis divinae ut distincte et separatim inferiores Ordines conferantur, ut supra diximus (ibid.); conc. Quasi non contineantur, saltem implicite, in sacro Ordine, neque possint ex institutione Christi distincte conferri; nego. Vide Gotti (1) de hac re.

64. Obj. 2.° Tum in materiis et formis, tum in effectibus, multum discrepant minores Ordines a majoribus: ergo non unum, sed plura efficiunt sacramenta, ideoque ista plusquam septem erunt.

Resp. Dist. *ant.* Discrepant ita, ut sint diversi gradus unius Hierarchiae in ordine ad Sacerdotium; conc. Discrepant absolute; nego. Inde negatur *conseq.* Quemadmodum in Eucharistia duplex materia et forma duplex, et in sacra Unctione multiplex unctio et deprecatio unum constituunt totale sacramentum: ita in re praesenti. Donec tota Ordinatio in Episcopatu terminetur et perficiatur, sacramentum quidem habetur, id est, signum sacrum sanctificativum; non autem adaequatum in plenitudine Sacerdotii.

ARTICULUS II.

De materia et forma sacramenti Ordinis.

THESIS X.

Sacramenti Ordinis materia est instrumentorum traditio, quibus potestas significatur cuilibet Ordini propria; sic, pro Sacerdotio, calicis cum vino, patenae cum hostia: probabilius necessaria est etiam manuum impositio pro Episcopatu, Presbyteratu et Diaconatu. Forma autem sunt verba illa quibus materia traditur ad effectum significandum, vel manus imponuntur.

65. **Nota.** Plures de hac re, variaeque feruntur sententiae, quae omnes gravissimorum AA. commendantur suffragiis. Omnes AA. quidem consentiunt, materiam hujus sacramenti esse aliquod signum sensibile, et formam esse verba illa, quae dicuntur, cum sig-

(1) De Sacr. Ord. q. 8, d. 1, n. 2.

num illud exhibetur; sic generatim tantum dixit Trident. (1): «Sacram ordinationem verbis et signis sensibilibus perfici.» Verum cum in aliquibus Ordinibus duplex signum, seu materia, adhibeatur, nempe, impositio manuum, et instrumenti alicujus porrectio; inde aliqui solam impositionem manuum putant esse necessariam, pro quo citantur S. Bonaventura, Becanus, etc. alii instrumentorum traditionem, ut Capreolus, Soto Dom. Valentia, S. Thomas et alii: denique tertia sententia utramque materiam censet essentialem; hanc tuentur Bellarminus, Suarez (2), Vazquez (3), Maldonatus, Platelli, Tannerus, Billuart, etc., estque longe communior.

66. I.ª pars, pro qua stant etiam AA. secundae sententiae, prob. 1.º Conc. Florentinum (4) docet: «Sextum sacramentum est »Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur »Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae »cum pane porrectionem.» Deinde: «Forma Sacerdotii talis est: Ac»cipe potestatem offerendi sacrificium...» etc. Jam vero, absurdum est dicere, concilium voluisse tantum significare ritum accidentalem: nam primum clare exposuit quid nomine materiae et formae sacramentorum intelligat: «Sacramenta tribus perficiuntur, vide»licet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona »ministri... quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum:» et deinde pro singulis sacramentis, eorum explicat essentialem materiam et formam, donec ad Ordinem pervenit. Non minus absurde diceres, concilium generale cum Papa errasse in re adeo gravi.

67. 2.º In ipsa Sacerdotum Ordinatione, juxta Pontificale Romanum, non significatur collatio potestatis sacerdotalis, nisi in traditione instrumentorum: tunc dicitur: «Accipe potestatem...» Antea vocantur tantum *ordinandi*, etiam post primam ac immediate consequentem manuum impositionem: in formis, seu precibus quae hanc comitantur, solum postulantur divina auxilia: «Super famu»los tuos quos offerimus consecrandos.» Eo ritu impositionis manuum completo, Pontifex incipit hymnum «Veni Creator...,» et postea procedit ad porrectionem instrumentorum, explicite dicens: «Accipe potestatem offerre sacrificium...;» et quidem procedunt immediate ad celebrandum cum Episcopo. Unde arguimus: tunc tantum ordinatur Sacerdos, cum illum intendit Ecclesia ordinare; sed cum traduntur ei instrumenta, id intendit Ecclesia, non autem

---

(1) Sess. XXIII, cap. 3. – (2) De Irregular. Disp. 4, sec. 4, n. 13. – (3) In 3.ᵐ p. Disp. 239, c. 4 et 5. – (4) Decr. pro *Arm.*

antea vel post: ergo. Confir. Sacra Ordinatio verbis et signis perficitur (1); et quidem hoc est omnibus sacramentis commune (2): «Symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem.» Atqui effectus, seu res sacra et invisibilis sacramenti Ordinis, cum traduntur instrumenta, clare et explicite significatur, non vero prius: ergo. *Min.* patet: nam clarius significari nequit effectus Presbyteratus, quam tradendo vasa et materiam Sacrificii, et dicendo: Accipe potestatem offerre sacrificium... Antea vero, dum manus imponit Episcopus, hortatur tantum circumstantes, ut orent pro electis. Deinde, transacta impositione manuum, orat quidem Deum Episcopus: «Super hos famulos tuos benedictionem infundas »quos offerimus consecrandos:» quod vero potestatem aliquam eis impertiatur nullatenus significat.

Unde hanc perpendens rationem D. Angelicus (3) ait: «Et quia principalis actus Sacerdotis est consecrare Corpus et San»guinem Christi, ideo in ipsa dationę calicis sub forma verborum »determinata, character sacerdotalis imprimitur.»

68. II.ª pars prob. 1.° Ritus, qui ab initio, juxta Scripturas, adhibitus est ab Apostolis et aliis Episcopis ad ordinandum, non est reputandus inefficax et accidentalis, nisi aperte probetur. Atqui manuum impositio fuit ab Apostolis et Episcopis ab initio exhibita; esse autem inefficacem et accidentalem non ostenditur: ergo. *Min.* patet. Nam Apostoli ad primos ordinandos Diaconos (4) manus super eos imposuerunt. Timotheus (5) impositione manuum fuit ordinatus; et ipse similiter aliis manus imponebat (6): Paulus quoque et Barnabas eodem ritu ad sacrum ministerium (7) fuerunt segregati.

2.° Conc. Trid. (8) testatur, Episcopos et Presbyteros, tempore Apostolorum, per impositionem manuum ordinatos fuisse. Deinde anathemate damnat (9) dicentes: «Per sacram ordinatio»nem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos »dicere: *accipe Spiritum Sanctum.*» Jam vero id, dum manus imponunt, dicunt Episcopi, tum in Ordinatione Presbyterorum, tum in alia Diaconorum: ergo vere et efficaciter ad eorum spectat Ordinationem.

69. 3.° Ex antiquioribus conciliis et SS. Patribus confirmari potest. Conc. Carth. IV. modum praescribens ordinandi, dicit: Episcopos, Presbyteros et Diaconos debere per manus impositionem ordinari. Item horum ordinationem vocat Conc. Antio-

---

(1) Trid. Sess. XXIII, c. 3.—(2) Sess. XIII, c. 3.—(3) Suppl. q. 37, a. 5.—(4) Act. VI, 6.—(5) I Tim. IV, 14.—(6) Ibid. V, 22.—(7) Act. XIII, 3.—(8) Sess. XIV, De *Extr. Unc.* c. 3.—(9) Sess. XXIII, can. 4.

chenum (can. 10) Manuum impositionem. Hieronymus (1) ait: «Ordinationem clericorum, quae non solum ad imprecationem »vocis, sed ad impositionem impletur manus.» S. Epiphanius (2) etiam: «Quinam fieri potest, ut is Presbyterum consti»tuat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat?»

70. 4.° In hoc ritu adhibendo constanter convenerunt Ecclesia graeca et latina, illumque retinent tamquam essentialem schismaticae ecclesiae post multa saecula ab unitate sejunctae. Sed in accidentalibus magna facta est varietas, e contra in ritibus: ergo manuum impositionem esse necessariam dicere oportet.

71. 5.° Denique utraque pars simul confirmatur. Duae potestates omnino diversae conferuntur in ordinatione sacerdotali; una in Corpus Christi verum, altera in Corpus Christi mysticum. Sed prima confertur in traditione instrumentorum; «accipe potestatem...» et altera in manuum impositione; «Accipe Spiritum Sanctum; quo»rum remiseris...» Ergo tum instrumentorum traditio, tum impositio manuum, cum formis comitantibus, sunt pars essentialis hujus sacramenti. *Min.* prob. Nequit dici, primam potestatem dari in manuum impositione, neque secundam conferri in traditione instrumentorum; ergo prima... etc. *Aut.* prob. Ut dicatur dari una potestas simul cum alia, oportet, ut eluceat aliqua connexio, vel intrinseca, vel saltem extrinseca ex parte signorum; nempe, traditionis instrumentorum, vel impositionis manuum, et formae adjunctae. Sed intrinseca non est: nam sacrificium offerendi potestas est ab illa, qua remittuntur peccata, independens; adeo ut ipse Christus D. diversis temporibus eas tradiderit: neque existit connexio extrinseca, ratione signi; nam neque instrumenta quidquam innuunt de peccatis remittendis; neque manuum impositio de sacrificio; neque verba comitantia: ergo. Qua igitur ratione putabimus, tunc dari effectum sacramenti, cum signum sacramentale nihil ejusdem significat; e contra, tunc non dari, cum et rebus et verbis explicite significatur, et minister sacramenti illud effectum dare intendit?

72. Obj. 1.° Materia sacramentorum, cum sit eis essentialis, debet semper et ubique eadem existere. Sed Ecclesia latina non semper usa est traditione instrumentorum, neque Graeci eadem utuntur, Romana consentiente: ergo.

Resp. 1.° Dist. *maj.* Debet substantialiter semper eadem esse, id est, sub ea ratione, qua fuit a Christo praescripta; conc. Accidentaliter, seu quoad determinationem, quam Ecclesiae permisit Dominus;

---

(1) In Isai. l. 6, c. 58.—(2) *Haer.* 75.

nego *maj.* Similiter, distincta *min.*, negatur *conseq.* Patet, diversas in hac re opiniones oriri, solum ex hypothesi quod Christus tali vel tali determinatione materiam et formam sacramenti Ordinis praescripserit. Alii supponunt, materiale signum impositionis manuum fuisse a Christo praescriptum. Unde autem id sciunt, vel concludunt? A posteriori tantum: quia legunt in SS. Litteris, apud SS. Patres, hoc signum fuisse adhibitum. At vero leve admodum hoc est argumentum. Non enim perpendunt, hoc concesso, eamdem adhuc urgere difficultatem circa formam hujus sacramenti. Omnes enim concedunt, et docet Tridentinum, praecipuam vim in sacramento, in verbis esse repositam, quae rem determinant sacramentalem: si ergo materialiter, seu in ultima specie, determinavit Dominus sacramenti materiam, id potiori ratione de forma sentire oportebit. Atqui non conveniunt neque Latina Ecclesia cum Orientali, neque ipsae Orientales inter se, in forma adhibita pro sacramento Ordinis: oportebit ergo in dubium revocare diversarum Ecclesiarum Ordinationes; quod nemo non videt absurdissimum esse.

73. 2.° Responderi etiam potest. Non ita constare id quod supponitur: a) Latinam Ecclesiam per plura saecula non adhibuisse instrumentorum traditionem; b) et Graecam semper usam sola manuum impositione. Nam:

a) A quo Pontifice, vel quo tempore primum coeperit usus tradendi ordinandis instrumenta, nullibi traditur, a nullo potest assignari. Priora e contra, quae ejusmodi usum referunt, documenta, non ut rem novam, sed tamquam antiquam et acceptam exhibent. Cabassutius ait (1): «Antiquissima, quae legitur in »sacerdotum ordinatione, calicis et patenae exhibitio legitur in Ro»mani Ordinis libello, quem Alcuinus, Caroli praeceptor, »alibi commemorat. Hic enim libellus, part. 2, refert, non solum »ab Episcopo manus illis imponi, qui Sacerdotio augurantur, ma»nusque ejus qui ordinatur inungi, sed etiam calicem, vinum aqua »mixtum continentem, et patenam cum pane tradi, simulque ista »eisdem enuntiat: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo... etc.» Patres Maurini, ad finem *Sacramentarii* S. Gregorii PP. (2), ediderunt Ordinem septem ecclesiasticorum graduum, ex pervetusto Rituali Pontificali Romano membranaceo, in quo traditio instrumentorum etiam pro Diaconis et Presbyteris praescribitur, simulcum illa forma: «Accipe potestatem... etc.» In *Sacramentarii* S. Greg. sane codicibus qui supersunt, traditio calicis et patenae

(1) Notit. Eccl. Sec. 4, Append. ad Conc. Carth. IV. — (2) Ed. Venet. 1773.

cum vino et pane non legitur: verum praescribitur traditio Planetae, dicente Episcopo: «Sis benedictus in ordine sacerdotali et offe»ras placabiles hostias... etc.» Item: «Episcopo eum benedicente, et »manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui »praesentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput »illius teneant.» Jam vero vestis sacerdotalis et presbyterorum manus signa etiam sufficientia existunt potestatis, quae confertur, et a calice et patena nonnisi materialiter differre manifestum est. His addas, quod ritus et ipsa verba *Sacramentarii* Gregorii videntur ex Conc. Carthaginensi IV desumpta. Jam vero adhiberi manus Presbyterorum tamquam signum potestatis quae ordinando confertur, clare innuitur can. 4: «Diaconus cum ordi»natur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput »illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium conse»cratur.»

Praeterea evidens est, non intendisse Carthaginense concilium tradere vel praescribere omnia ad ordinationes necessaria, cum nullam exhibeat formam, nulla verba, etiamsi haec praecipue ad sacramenta pertineant: sed illa statuisse videtur quae alicubi forsan oblivioni tradita fuerant, vel non plene servabantur. Nam aliquos illius temporis Episcopos non levi laborasse ignorantia, canon primus illius concilii sat clare supponit. Nec dicas: videtur exclusisse concilium, pro Presbyteris et Diaconis, instrumentorum traditionem; nam pro Subdiaconis ait: «Subdiaconus cum ordina»tur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi »manu accipiat vacuam, et calicem vacuum.» Ubi ergo manus impositio adhibetur, nullum est adhibendum instrumentum. Negatur sequela: exclusio enim, quae innuitur, respicit ipsos Subdiaconos, quatenus pro illis unum sufficit signum, non autem duo requiruntur: ut clare exponit Isidorus (1): «Hi igitur, cum »ordinantur, sicut Sacerdotes et Levitae, manus impositionem non »suscipiunt, sed patenam tantum et calicem de manu Episcopi.» Hinc Episcopis, etiamsi manus imponantur, etiam librum Evangeliorum super caput ponendum, dicit concilium.

74. b) Quod autem rursus supponitur, graecos meram manus impositionem uti necessariam adhibere, non facile concedendum est. Lud. Bail. (2) observat. Ordines sacros a graecis non conferri, nisi adductis ad altare Ordinandis; atqui, praeterquam quod sacra vasa in eo reperiuntur, ipsum est totius potestatis sacerdotalis praeclarum signum. Unde traditio et moralis contactus instrumentorum, quem sufficere a pluribus bonae notae theologis

(1) De *Eccl. Offic.* l 2, c. 10.—(2) Summ. Conc Disser. ad finem Conc. Flor.

habetur, non praetermittitur. Hinc, uti refert Theodoretus, (1) videmus, Macedonium monachum, per astutiam et quodam dolo, ad altare fuisse adductum, ut ipsi, ordinationem non suspicanti, a Flaviano ep. Antiocheno celebrante manus imponeretur. Hinc etiam Simeon Thessalon. (2) dividit Ordines in eos, qui ad altare conferuntur, et qui extra altare, quasi id differentiam ac significationem importet inter illos essentialem. Et in Syn. *Ad Quercum*, adversus S. Chrysostomum, inter alia objecerunt, quod non ordinasset ad altare.

Insuper Henr. Denzinger (Ritus Orient.) exponit ritus ordinationum in diversis Orientalium Ecclesiis.

Pro Diaconi Ordinatione, in Ecclesia Alexandrina jacobitarum, Episcopus suscipit eum ad altare, et ante illud genu tantummodo dexterum flectit, ad significandum partem tantum ministerii altaris eidem conferri. Dum manum imponit, dicit Episcopus: «Orna »eum, Domine, gratia tua, constitue eum ministrum altaris tui »sancti... etc.» Pro Presbyteratu, ordinandus adducitur ad altare, et genuflectit utroque genu, ut intelligatur plenum ei tradi ministerium altaris: Episcopus orat: «Domine... imple nos virtute tua... »ut accedamus ad altare sanctum tuum, et suscipe tibi Presbyte»ratum perfectum servi tui N...» Deinde imponit dexteram et dicit: «Deus omnipotens... respice super servum tuum N, qui promove»tur ad Presbyteratum.»

In Ecclesia Antiochena et Hierosolymitana, eodem quisque modo ac in Alexandrina Diaconus et Presbyter ad altare accedit et genuflectit. Verum Episcopus, antequam manus ordinando imponat, eas super mysteria ponit et extendit brachium suum, et colligit contrahitque tribus vicibus super Corpus et Sanguinem, veluti de iisdem accipiens. Postea revertitur ad ordinandum, imponitque manus suas super illius caput, extendens brachia sua desuper eum, et ea deprimit tremula super caput ipsius, veluti tradens et communicans quod de mysteriis acceperat. Dum autem manus Diacono imponit, dicit Episcopus: «Domine, respice in famulum tuum, »et mitte super eum gratiam Sancti tui Spiritus... quemadmodum »dedisti gratiam Stephano, quem primum vocasti ad opus ministe»rii hujus... etc.» Pro Presbytero vero, ait: «Deus magne et admi»rabilis... Elige et hunc servum tuum ad Presbyteratum et concede ei ut recipiat donum magnum Spiritus Sancti, ut dignus fiat fungi »sacerdotio evangelii regni tui...»

In Ecclesia autem Maronitarum, praeter dicta, quae pari modo observantur, saepe Episcopus, pro Diaconi ordinatione, imponit

---

(1) Hist. Relig. c. 13.—(2) L. de *Sacrs. Ordins.*

manum tum super mysteria (sacramentum), tum super caput Diaconi; deinde tradit illi thuribulum, postea et librum Apostoli, tandem ponit super caput ejus discum seu patenam, necnon calicem. Presbytero autem traditur etiam Evangelium, necnon Corpus dominicum in calice vel patena. Tandem imponit manum suam super caput ejus sub patena Corporis dominici, dicens: «Eja, Domi»ne... exoramus, demitte gratiam tuam... et majestatis tuae vir»tutem absconditam, quae descendit super montem Sinai, et illus»tratus est ea Moyses, ipsa descendat et requiescat super caput hu»jus servi tui...» Denique et imponit crucem super caput ejusdem.

Ordinationes nestorianorum sic peraguntur.

Pro Diacono illud etiam servant, ut ad altare eum adducant, et genu dexterum flectat, sinistrum autem erectum habeat, ad significandum, «quod unum talentum ministerii acceperit.» Inde imponit Episcopum manum super caput ejus et orat: «Domine tu... qui »elegisti Stephanum et socios ejus; ita nunc quoque... da servo tuo »gratiam Sp. Sancti, ut sit Diaconus electus... et ministret altari »tuo...» Postea tradit illi Episcopus librum Apostoli, et dicit: «Se»gregatus est, sanctificatus est, perfectus est, et consummatus est »N. in opus ministerii ecclesiastici, et in executionem muneris le»vitici Stephanici, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.»

Presbyter ordinandus ante altare genu utrumque flectit, quod significat eum duo talenta accepisse. Deinde imponit manum Episcopus orans: «Tu ergo, Deus magne... elige illos ad Sacerdotium »ut... inserviant altari tuo sancto, offerentes tibi oblationes...» Deinde Episcopus accipit adorandum Evangelii librum, et tradit eum in manus ejus, dicens: «Segregatus est, sanctificatus est... N. »in opus Presbyteratus ecclesiastici, et in ministerium sacerdotii »Aaronici, in nomine Patris..., etc.»

Quoad Ordinationem Episcopi, notum est, imponi super caput ipsius non solum manus, sed librum etiam Evangeliorum, in utraque Ecclesia et Orientali et Occidentali.

His autem perpensis, elucet, falso asserere nonnullos AA., non nisi per manus impositionem sacros Ordines conferri in orientalibus Ecclesiis, quavis omissa instrumentorum traditione. Nullum sane ministerii sacri praeclarius signum quam altare, ad quod orientales omnes Ecclesiae perducunt ordinandos, differentia tamen adhibita inter Diaconi et Presbyteri genuflexionem, ad ministerii differentiam significandam. Deinde huic altaris traditioni adjiciunt aliae fere omnes orientis Ecclesiae illam ipsius sacri Mysterii traditionem, dum Episcopus de ipso accipere repraesentat et in caput transfert ejus qui consecratur. Tandem in aliis Ecclesiis traditur liber Epistolarum, vel Evangeliorum, thuribulum, patena vel calix, cum Sacramento, vel sine illo, juxta ministerium, quod

confertur. Antequam vulgata forent rituum orientialium pleniora documenta, nequibant AA. rectum de iis proferre judicium, et putabant integrum ordinationis ritum in aliquorum Patrum abstractis comprehendi sententiis, vel in brevissimo aliquo Ordinationum compendio, quale theologi vel canonistae exscribere, vel confingere solent.

Ad plenam diversarum Ordinationum notitiam assequendam, pro Ecclesia quidem occidentali Pontificale Romanum lustrandum, pro Ecclesiis autem orientalibus, consulas Henr. Denzinger superius laudatum. Ibi enim quae sint singulorum Ordinum officia, quae formae et materiae, quae celsitudo, quae piissimae ab Ecclesia effunduntur preces, qui ritus denique omnes, facillime assequeris.

SCHOLION I.

Quae manus impositio sit essentialis.

75. Cum, ut in thesi diximus, necessaria quoque sit manus impositio ad Diaconos, Presbyteros et Episcopos ordinandos, urget pro Ordine Presbyteratus singularis difficultas. Nam ter Episcopus supra ordinandos manum imponit, ideoque inquiritur, quaenam extensio manuum sit essentialis? Nonnulli censent primam, alii secundam, et communior sententia stat pro tertia, cum dicit Episcopus: «Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata...» Aliqui dicunt primam et secundam esse unam et eamdem continuatam, et hoc pacto essentialem illam totam dicendam. Verum non a priori, sed potius a posteriori, seu ex mente, quam prae se fert Ecclesia, res est dijudicanda. In prima extensione manuum supra caput cujusque ordinandi, nihil praecise significatur, aut quicquam dicit Episcopus: videtur igitur esse quidem quemdam ritum praeambulum, non autem essentialem. In secunda manus extensione, ad omnes ordinandos simul ac communiter facta, orat quidem Episcopus et gratiam postulat pro Sacerdotio, sed potestatem aliquam conferre non innuit: imo, peracta hac ceremonia, postea praefatium dicens, adhuc deprecatur, ut Deus illis dignitatem conferat sacerdotalem. Proinde verior et communior tenet sententia, in tertia et postrema manuum impositione singulis impertita, dicendo: «Accipe Spiritum S... etc.» Ordinationem essentialiter perfici, sicut verba ipsa ab Ecclesia adhibita explicite indicant. Ideo, illa peracta, ordinatos induit Episcopus tota explicata casula, tamquam plenum habentes Sacerdotium.

SCHOLION II.

Utrum duplex imprimatur character.

76. In hac ultima potestatis sacerdotalis collatione, an novus et distinctus infundatur character, ejusdem potestatis signum, disputatur. D. Thomas, de charactere agens sacerdotali (1), absolute ait: «In ipsa datione calicis sub forma verborum determinata, »character sacerdotalis imprimitur.» Proponit tamen difficultatem: quia tunc debet character imprimi, cum datur sacerdotalis potestas; hanc autem dedit Dominus cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis....* etc. Respondet autem (2): «Ad secundum »dicendum, quod Dominus dedit sacerdotalem potestatem, quan»tum ad principalem actum ante passionem in coena, quando dixit, »*Accipite et manducate*. Unde subjunxit: *Hoc facite in meam comme»morationem*. Sed post resurrectionem, dedit eis sacerdotalem po»testatem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare et absol»vere.» Inde intelligitur cur non infundatur distinctus character, quia non alius Ordo suscipitur, sed ejusdem Ordinis major potestas, ad quam potestatem ipse extenditur etiam character, quemaddum supra dictum est (3). Vide Vazquezium (Disp. 239, n. 57). Quantum haec potestas clavium extendatur, necnon character eamdem significans, dicit D. Thomas (4): «Respon»deo: dicendum quod potestas clavium, quantum est de se, extendit » se ad omnes, ut dictum est art. praec. Sed quod in aliquem Sa»cerdos non possit potestate clavium uti, contingit ex hoc quod »ejus potestas est ad aliquos specialiter limitata. Unde ille qui limi»tavit, potest extendere in quem voluerit.»

---

(1) In 4, Dist. 24, Q. 2, a. 3.—(2) Ibid. ad 2.—(3) Th. VII, n. 51.- (4) Suppl. q. 20, a. 3.

CAPUT III.

De ministro et subjecto sacramenti Ordinis.

ARTICULUS I.

De ministro sacramenti Ordinis.

77. **Notandum.** Potestas ordinaria dicitur, vel delegata. Ordinaria est illa quae alicui ex proprio munere competit. Delegata est illa, quae ex speciali alicujus superioris mandato provenit.

78. Supponimus: solum Episcopum esse ministrum ordinarium sacramenti Ordinis. Ratio est:

1.° Florentinum Conc. (1) ait: «Ordinarius minister hu»jus sacramenti est Episcopus.» Id saltem confirmavit ac definivit Trident. (2): «Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris »superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; »vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem... »anath. sit.»

2.° Elucet ex universalis Ecclesiae praxi et consensu per decursum omnium saeculorum.

3.° Peculiaria Patrum testimonia nonnulla vide supra (3).

THESIS XI.

Non tantum nequit, ut ordinarius minister, sed neque ex commissione, simplex Presbyter Episcopatum aut Presbyteratum conferre.

79. **Nota.** I.ª pars est certa et communis inter catholicos, adversus haereticos negantes esse Ordinem sacramentum, vel ullam esse differentiam inter Episcopum et Presbyterum.

II.ª pars certa quoque habenda, adversus nonnullos Theologos quos refert Vazquezius (4), qui putarunt, posse committi Presbytero facultatem Presbyteros ordinandi. Tamen, id non omni carere probabilitate nonnulli putant.

80. Pars I.ª prob. 1.° Episcopus est Presbytero superior, et qui-

---

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Sess. XXIII, can. 7.— (3) Th. III, n. 16.—(4) Disp. 243, cc. 3 et 4.

dem jure divino, ut supra ostensum est (1). Atqui, teste Paulo (2): *Sine ulla contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur*. Ergo, ex natura rei, non potest a Presbytero Episcopus benedici et consecrari.

2.° Nullum accidit exemplum in universa Ecclesia, de consecratione Episcopi per Presbyteros: sed fuissent sane occasiones ea utendi potestate, vel propter Episcopos ordinandi necessitatem, vel propter schismata adversus legitimos pastores exorta, vel aliis de causis: ergo fateri oportet ignotam semper extitisse in Ecclesia, ideoque neque dari similem potestatem. Confir. Novatianus, presbyter romanus, cum furore abreptus summum ambiret Pontificatum, curavit e remotis regionibus tres adduci Romam Episcopos qui eum Episcopum consecrarent, uti refert Cornelius PP. «Episcopi igitur, quoniam (ut supra diximus) homines simplicio»res erant, et in perditorum fallaciis dolisque discernendis minus »perspicaces, Romam adventant. Iste eos in unum locum conclu»dendos curavit. At cum circiter horam decimam ebrios et crapula »oppressos cerneret, vi coegit, imaginata quadam et vana manuum »impositione Episcopatum ipsi tribuere: quem dignitatis gradum, »parum sibi accommodatum, ad hunc modum per fraudem et as»tutiam acquisivit (3).» Ita necessarium censebatur, ab Episcopis Episcopum esse ordinandum.

81. II.ª pars. prob. 1.° Numquam Ecclesia usa est potestate ordinandi Presbyteros nisi per Episcopos. Atqui tempore persecutionum, vel in remotis regionibus, ubi non poterant per Episcopos Sacerdotes consecrari, necessitas urgebat, pro salute animarum, ea potestate, si extitisset, utendi; ergo id fieri non posse dicendum est.

2.° Supra probatum est, ita eminere Episcopos supra Presbyteros, ut in potestate Ordinis nullam agnoscant Patres in his facultatem; e contra autem in ceteris muneribus. Atqui plura alia munera nonnisi ex commissione obibant Presbyteri: ergo ordinandi potestas, saltem quoad Ordinem sacerdotalem, non potest delegari, seu committi Presbyteris, sed propria Episcoporum stricte dicenda.

Dico; saltem quoad Ordinem sacerdotalem: nam tota Hierarchia propter hunc Ordinem ejusque officium fuit instituta, uti supra (4) ex Trident. vidimus: proinde nomine Ordinis simpliciter dicti, sacerdotalis Ordo potissimum venit.

82. Obj. 1.° Alii Ordines, infra Presbyteratum, sunt etiam sacra-

---

(1) Th. III.—(2) Hebr. VII, 7.—(3) Baron. an. 254, epist. Cornel: ad *Fabian.* episc. Antioch.—(4) Thes. VI, n. 39...

mentales, et ad idem sacramentum Ordinis pertinent. Ergo si ad alios Ordines conferendos delegari potest Presbyter, etiam Presbyteri ordinatio ei committi poterit.

Resp. Nego *conseq.* et paritatem. Nam sacerdotalis character supra inferiores Ordines excellit, illosque eminenter continet: decebat autem, ut Sacerdotium nonnisi ab aliquo superiori gradu gigneretur, ut diximus in thesi. Neque reponas; Episcopos ab Episcopo creari. licet ejusdem sint gradus. Nam in Episcopo invenitur Sacerdotii plenitudo, et consequenter potest et alios consecrare episcopos.

83. Obj. 2.° De Chorepiscopis S. Isidorus ait (1): «Hi in »villis et vicis constituti gubernant Ecclesias sibi commissas, ha»bentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas, »Acolytos; Presbyteros autem aut Diaconos ordinare non audeant, »praeter conscientiam Episcopi in cujus regione praesse noscun»tur.» Atqui Chorepiscopi erant simplices presbyteri: ergo.

Resp. Nego *min.* vel dist. Nonnulli Chorepiscopi erant tantum Presbyteri; conc. Omnes et ubique; nego.

Sane aliqui theologi defenderunt, posse Sedis Apostolicae auctoritate, committi Presbytero munus presbyteros ordinandi; idque improbabile Vazquezio non videtur (2), perpensis quoque aliis rationibus et conciliorum testimoniis. Chorepiscopos autem non extitisse, saltem omnes, vere Episcopos, ex ritualibus graecorum deduci videtur, nam non aequali omnino instituebantur ritu, sed simili (3).

THESIS XII.

Presbyteris potest committi, ut inferiores Ordines, etiam Subdiaconatum, conferant.

84. Est fere communis haec sententia, cui tamen adversantur Adrianus, Major et alii nonnulli. Auctores autem qui eidem subscribunt, non eadem moventur ratione: quidam, uti Sotus Dom. et Durandus, etc., censent, eos Ordines non esse sacramenta, sed ecclesiasticas institutiones; unde consequitur eorum ministrationem cuilibet posse ab Ecclesia committi. Verum alii id quoque tuentur, etiamsi vera esse sacramenta concedant.

85. Prob. 1.° Florentinum (4) docet: «Ordinarius minister »hujus sacramenti est Episcopus.» Atqui si saltem Presbyteri non possent ex commissione illud ministrare, inutiliter ac falso suppo-

---

(1) De *Offic.* l. 2, c. 6.—(2) In 3.ᵐ part. Disp. 243, cap. 4.—(3) Vide Denzinger, Ritus Orient. Vol. III.—(4) Decr. pro *Arm.*

sito, diceretur Episcopus minister ordinarius: ergo saltem inferiores Ordines, et etiam subdiaconatus, qui a graecis (et olim etiam a Latinis) inter illos adnumeratur, possunt ex commissione a Presbyteris ministrari.

Nota: rationi huic satisfacere tenentur negantes minoribus Ordinibus rationem sacramenti.

86. 2.° Tridentinum (1) mandavit: «Abbatibus et aliis qui»buscumque... non liceat in posterum... cuiquam, qui regularis »subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre.» Supponit ergo suis subditis vere Abbates conferre Ordines minores.

Subdiaconos ordinandi facultatem saepe etiam Abbatibus concesserunt Romani Pontifices; similiter et Chorepiscopis, qui in Ecclesia Occidentali communius erant Presbyteri. Sic Conc. Meldense, can. 44, dixit: «Ut Chorepiscopus modum suum juxta »canonicam institutionem teneat... neque ecclesiasticos (Ordines), »qui per impositionem manuum tribuuntur; id est, nonnisi usque »ad Subdiaconatum, et hoc, jubente Episcopo, et in locis, quibus »canones designant, agere praesumant.» Pariter Gelasius I (2) mandavit: «Nec sibi meminerint (Chorepiscopi) ulla ratione conce»di, sine summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum jus ha»bere faciendi.»

SCHOLION.

An Presbyteris committi possit ordinare Diaconum.

87. In thesi quae certiora sunt statuimus. Verum non pauci, nec obscuri nominis AA. idem statuunt pro facultate ordinandi Diaconos. Hanc posse quoque Presbyteris committi, deducunt ex facto, scilicet ex variis concessionibus per Romanos Pontifices indultis, quarum aliquas profert Vazquezius (3): idque confirmant Navarrus, (4), Morinus (5) etc.

Ad haec alii respondent, non satis constare de authentia talium privilegiorum; vel de sola facultate concedendi litteras dimissorias interpretranda esse. Verum isti difficultatis nodum potius rumpere, quam dissolvere videntur. Cum nullorum sacramentorum valida ministratio vel animarum salus pendeat ab istorum Ordinum ministerio, nihil obstat, ut concedamus, aliquos Pontifices praedicta concessisse privilegia, ea potestate, qua, juxta mentem gravium Auctorum, donantur.

---

(1) Sess. XXIII, c. 10.—(2) Epist. 9.—(3) In 3. part. disp. 243, c. 4.—(4) Consil. l. 5, de Privil.—(5) De Sacr. Ordin. Part. 3.ª Exercit. 4, c. 3.

ARTICULUS II.

De subjecto sacramenti Ordinis.

THESIS XIII.

Ut valide sacramentum Ordinis suscipiatur, subjectum debet et baptizatum, et masculini esse sexus.

88. I.ª pars, quae est communis et certa, prob. 1.° Perpetua fuit in Ecclesia consuetudo; primo, non nisi baptizatos ordinandi, numquam vero catechumenos, quacumque scientia vel virtute ornatos: secundo, rursus ordinandi quos invalide fuisse baptizatos compertum fuerit: ergo mens Ecclesiae est, Baptismum esse necessarium.

2.° Innocentius III (1), cum dubitaretur de Presbyteri cujusdam Baptismo, jussit rursus baptizari et ordinari: pro qua re laudavit et confirmavit canonem Conc. Compendiensis. Con. Nicaenum I decrevit etiam, eos haereticos, qui forma baptizandi invalida utebantur, iterum baptizandos, et clericos eorum reordinandos.

89. 3.° Baptismus est sacramentum regenerationis, seu novae creationis; sed prius est renasci, seu creari supernaturaliter, quam ad officium supernaturale consecrari; ergo. Confir. Concilium Flor. (2) docet, Baptismum esse januam vitae spiritualis: sed quodvis sacramentum est institutum pro ea tradenda vita; ergo Baptismum consequi debet.

90. II.ª pars prob. 1.° Neque in Veteri, neque in Novo Foedere fuerunt umquam mulieres ad munera sacerdotalia ordinatae: ergo eorum incapaces censendae sunt.

2.° Apostolus ait (3): *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Ergo multo turpius est, minusque permitti potest, ut in Ordine aliquo hierarchiae ecclesiasticae constituantur supra populum. Quod quidem a Domino ita esse statutum, clare Paulus testatur: *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Item

---

(1) Cap. *Veniens.* De Presbyt. non baptiz.—(2) Decr. pro *Arm.*—(3) I Cor. XIV, 34, 35.

ad Timoth. (1) dicit: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*

91. 3.° Confirmat et testatur S. Epiphanius (2): «Si Sa»cerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam »in Ecclesia praestare liceret, nulli potius quam Mariae committi »Sacerdotis officium debuisset, cui tantus honos est habitus, ut »gremio sinuque suo Regem omnium, ac coelestem Deum, Deique »Filium exciperet... Verum longe Deo aliter visum est: ac ne »baptizandi quidem potestas illi facta, cum alioqui tingi ab illa »Christus potius quam a Joanne potuisset.» Simili modo argumentatur Clemens Rom. vel ille antiquus A. (3).

4.° Patres inter haereticorum errores et abusus referunt, quod munera sacra mulieribus concederent. Ita praeter Epiphanium Irenaeus (4), Augustinus (5), Tertullianus, qui ait (6): «Ipsae mulieres haereticae, quam procaces! quae audeant »docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, »forsitan et tingere.»

92. Obj. 1.° Dona supernaturalia, uti prophetiae, miraculorum, etc. mulieribus a Deo collata sunt: ergo et Ordinis characterem possunt suscipere.

Resp. Conc. *ant.* et negatur *conseq.* In Vet. Foed. spiritum habuerunt propheticum Maria, soror Moysis, Debora, Anna, etc.; numquid mulier ulla inter Sacerdotes et Levitas in rebus sacris ministravit? Sacri ministri sunt, inter Deum et homines, pro divino cultu, mediatores; cum autem sexui inferiori id non congruat, neque Ordo.

93. Obj. 2.° Ad summum Pontificatum consecratam fuisse Joannam papissam monumenta testantur historica: ergo.

Resp. Nego *antec.* vel dist. Monumenta vel ficta, vel ambigua; conc. Certa; nego. Hostilitas in sanctam sedem, odium haereticorum, vindictae instinctus, et interpolatio vetusti alicujus documenti, deinde aliquorum historiatorum error, fabulam illam pepererunt et evulgarunt. Occasionem praebuisse videtur Pontificis amicitia cum quadam muliere, quae proinde magna apud eum pollebat gratia, eaque postulante, multa ille concedebat, et ideo papissa vocitari coepit (7).

94. Obj. 3.° Nonnullas Abbatissas jurisdictione fuisse donatas ecclesiastica, ad ferendas censuras, ad concedendam audiendi con-

---

(1) 1.ª II, 11, 12.—(2) *Haer.* 79, n. 3.—(3) *Const. Apost.* l. 3, c. 6.—(4) L. 1, *adv. haer.* c. 9.—(5) L. de *haeres.* c. 27.—(6) De *praescrip.* 41.—(7) Vide opusc. F. M. Gago. «La Papisa Juana.»

fessiones facultatem, etc. certa tradunt documenta; ergo non obstat sexus ut ad Hierarchiam ecclesiasticam assumantur mulieres.

Resp. Dist. seu explico *ant.* Quatenus nutu Abbatissae vel Sancta Sedes actus illos efficaces reddebat, vel Vicarius quidam ecclesiasticus Abbatissae adsistens; conc. Tamquam subjectum proprie dictum jurisdictionis praesidebant Abbatissae; nego. Sic explicandum, non autem negandum indubium factum censeo; etenim retineo licentias praedicandi, celebrandi, confessiones audiendi, ab Illma. signatas Abbatissa, jurisdictione quasi episcopali utenti, in Monasterio, Huelgas dicto, in Archepiscopatu Burgensi: quae tamen jurisdictio et exemptio, occasione perturbationum, quas ubique liberalium sectae gignunt, sublata fuit a sede Apostolica, paucis abhinc annis.

Insuper internam jurisdictionem ab externa distinguere oportet: illa animas directe respicit, et a Christo, mediante sacramento, manat; altera vero immediate, ad regimen externum, ab Ecclesia fluit. Licet ergo concederemus externam mulieribus fuisse aliquando commissam, prorsus de interna negaremus.

SCHOLION.

De infantibus et rationis usu carentibus.

95. Utrum infantes, et alii rationis usu carentes valide ordinentur, quaeri solet. Affirmans sententia est fere communis, teste Benedicto XIV, in quadam instructione data Praefecto Missionis Apostolicae in Aegypto (die 4 Maj. 1745) «Super dubiis ad »ritus Ecclesiae Cophtorum;» ait enim: «Ab Episcopo legitima auc»toritate suffulto, non solum *minores*, sed etiam sacros *Ordines* in»fanti conferri concordi theologorum et canonistarum sufragio de»finitum est, validam sed illicitam censeri hanc ordinationem...; »non attenta contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae »supremis Tribunalibus et Congregationibus Urbis numquam »arrisit.» Vide D. Thomam assentientem (4, dist. 25. Q. 2. a. 1): verum ipse excipit Episcopatum; nec mirandum, cum ex ejus mente non sit Ordo sacramentalis, sed solum Hierarchicus. Quomodo autem potest munus et officium non consentienti conferri? Alii autem Ordines, cum sint sacramentum et characterem imprimant, valide quidem suscipiuntur ab infantibus: verum donec ad annum 16 pervenientes, voluntarie acceptent legem caelibatus et

sui ministerii munera, non obligantur. Proinde idem censendum de Episcopatu, juxta superius dicta (1).

96. De adultis aliter sentiendum. Hi enim, cum usu rationis fruantur, lex naturalis postulat ut ratione regantur, non solo alieno arbitrio. Jam vero, qui Ordinem suscipit, ducitur per gratiam ad perfectiorem cum Deo unionem, et pleniorem beatitudinis possessionem; per characterem autem Dei obsequio mancipatur. Sed lex divinae Providentiae est, ut adulti beatitudinem tamquam coronam prosequantur, et, consequenter, ut eorum obsequia meritoria existant; quod quidem fieri nequit nisi propriae rationis ducantur arbitrio: ergo censendum est, noluisse Christum initiari adultos et consecrari Ordinis sacramento, nisi sponte consentientes. Ideo jure reprobavit Inocentius III (2) opinionem, quod Baptismus, Ordo et similia sacramenta, ministrari possint non amentibus et dormientibus tantum, sed et contradicentibus, ideoque docet: «Qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec »rem nec characterem suscipit sacramenti.»

THESIS XIV.

Sanctissima et aequissima est lex continentiae ministris sacris imposita: non tamen e divino, sed ecclesiastico procedit jure.

97. **Nota.** I. Apud graecos, Episcopis et Presbyteris vetitum a primis saeculis fuit, uxores post ordinationem ducere: Diaconis autem aliquando id concessum fuit, si ordinationis tempore testati fuissent, se in continentia permanere non posse. Patet ex S. Clemente (3), Conc. Neocaesar. can. 1, et S. Paphnutio in Conc. Nicaeno (4), et Conc. Ancir. can. 9.

II. Antiquitus, licet nulla lex universalis ad id adstringeret, sacri ministri apud graecos, ex usu ac laudabili disciplina, abstinebant ab uxoribus ante ordinationem ductis. Euseb. L. 1. *Demonstr. Ev.* c. 9; Epiphan. *Haeres. 59.*

III. Non amplius licet Episcopis graecis retinere uxores ante ordinationem acceptas, vel cum eis cohabitare; quod mandatum fuit in Conc. Quinisexto, a. 602. E contra, concessum ab eodem concilio, ut graeci Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi retineant uxores ante ordinationem ductas, cum omni jure conjugali.

IV. In Ecclesia latina, ex antiquissimo et constanti usu, illicitum fuit Episcopis et Presbyteris et Diaconis uxores ducere post

---

(1) Thes. VII.—(2) Decret. l. 3, tit. 42, c. 3. *Majores.*—(3) *Const.* l. 6, c. 17.—(4) Socr., l. 1, hist. c. 11.

ordinationem, vel antea ductis uti. Qua de re, vide Bellarminum (de Clericis, l. 1. c. 19), et Thomassinum (de Disciplina, p. 1, l. 2, c. 60). Laudabimus, exempli causa, Siricii PP. Epist. ad Himerium episc. Tarracon., in qua, non legem condens, sed antiquas urgens, id praescribit: «Quarum sanctionum »Sacerdotes omnes atque Levitae insolubili lege constringimur, ut »a die ordinationis nostrae, sobrietati et pudicitiae et corda nostra »mancipemus et corpora.» Ita Hieronymus (1): «Apostoli, »vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, Presbyteri, »Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacer»dotium in aeternum pudici.»

V. Quoad Subdiaconos non ita constans, sed varia extitit disciplina; verum tandem Romani Pontifices, post provincialium conciliorum et Pontificum varia decreta, etiam Subdiaconos legi continentiae subjecerunt. Et Conc. Lateranense I. Oecumenicum IX. sub Callixto II. decrevit: «Presbyteris, Diaconibus »vel Subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia peni»tus interdicimus, et aliarum mulierum cohabitationem, praeter »quas Synodus Nicaena... permisit.» Quod subsequentia confirmarunt concilia plura.

98. I.ª pars prob. Patres generatim continentiam sacrorum ministrorum hisce rationibus commendant.

1.° Sanctissima ac plane coelestia sunt mysteria, quae a sacris ministris tractanda sunt. Sed talium pertractatio puras et ad coelestia erectas mentes postulat: ergo ab iis quae ad terrena et animales sensus maxime mentes deprimunt, decet ministros sacros abstinere. Hinc Vet. Test. Sacerdotibus, cum in Templo ministrandum erat (nam per vices ministrabant), injunctum erat ab uxoribus abstinere: Paulus etiam fideles omnes hortatur ut ad tempus abstineant, quo vacare possint orationi. Ideo ait Hieronymus (2): «Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se »ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie »pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? »Relegamus Regum libros, et inveniemus Sacerdotem Abi»melec de panibus propositionis noluisse prius dare David »et pueris ejus, nisi interrogaret, utrum mundi essent pueri a mu»liere, non utique aliena, sed conjuge... Tantum interest inter »Propositionis panes et Corpus Christi, quantum inter umbram »et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futuro»rum et ea ipsa quae per exemplaria praefigurabantur.

2.° Multa et excelsa sunt ministrorum sacrorum munera sibi

---

(1) Ep. 30, (a. 50) adversus *Jovinian.* - (2) In Ep. ad Tit. c. I.

totum animum vindicantia: atqui vicissim conjugii officia multiplicia et gravia existunt, ac mente terrenis negotiis vacare cogunt; ergo aequissimum est, ut lege continentiae sacri ministri obligentur. Eo spectabat Pauli adhortatio ad Timotheum (1): «*Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu...* »*Labora sicut bonus miles Christi Jesu; nemo militans Deo implicat* »*se negotiis secularibus; ut ei placeat, cui se probavit.*»

99. II. pars prob., quae communis est, paucis exceptis AA. 1.° Ecclesia graeca numquam sacros ministros universim constrinxit ad caelibatum; neque Ecclesia latina aliquando id peccato damnavit, vel, cum de concordia graecorum actum est, voluit emendandum: sed non ita fieri potuisset, si e jure divino procederet lex continentiae; ergo.

2.° Concilium Ancyranum permisit Diaconis uxores ducere, ut in nota I.ª notatum est. Jam vero inter sacros Ordines Diaconatus semper habitus est.

3.° In Concilio Nicaeno, intercedente Paphnutio, permissum fuit, ut ministri sacri cum suis conjugibus permanerent: dixitque ille Patribus, antiquam sufficere Ecclesiae disciplinam, nempe, quod illi, qui jam in clero sunt adscripti uxores non ducant. Putabatur igitur, legem hanc ex Ecclesiae traditione procedere, non autem e divina praescriptione.

100. 4.° Denique, si lex caelibatus a divino mandato ortum duxisset, non dissimulasset Paulus, qui semel atque iterum declaravit, quae necessario essent in ordinatione Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum requirenda.

101. Obj. 1.° Dicit Paulus (2): *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat:* et infra: *Si se non continent, nubant; melius enim est nubere, quam uri.* Ergo coelibatus apostolicae opponitur doctrinae.

Resp. Nego *conseq.* Non enim ea universim dixit Apostolus; sed de particulari casu agebat: *De quibus scripsistis mihi.* Non ergo agebat de iis qui ad continentiam obligationem contraxerunt. Concedendum sane, juxta Apostolum, non oportere sacro ministerio adscribi eos, qui se non continent, sed potius nubere.

Inst. Praescripsit Apostolus de Episcopo, *Ut sit unius uxoris vir... filios habens subditos...*, etc. Ergo uxoratus esse Episcopus debet.

Resp. Nego *conseq.* Sensus est, juxta Patres, ut nullus fiat Episcopus, qui plures duxerit uxores; non autem, quod non possit consecrari nisi ille, qui uxorem regendam, et filios habeat gubernandos.

---

(1) II Tim. II, 1, 3, 4.—(2) 1 Cor. VII, 2, 9.

102. Obj. 2.° Praecipit Spiritus S., omnes fideles matrimonio copulari (1): *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus:* ergo et clerici debent uxorem ducere.

Resp. Nego *ant.*, et explico verba Apostoli. In omnibus nuptis debet connubium esse honorabile, et thorus immaculatus; conc. Connubium ab omnibus faciendum; nego. Id enim non dixit Apostolus, sed ad continentiam et virginitatem potius hortatur (2): *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum... Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.*

Inst. Praedixit Paulus (3): *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium... prohibentium nubere.* Ergo lex caelibatus, prohibens nubere, e doctrina est daemoniorum.

Resp. Nego *conseq.*, et explico textum ex ipso contextu. Prohibentium nubere, absolute et uti rem malam; conc. Haec quidem est daemoniorum doctrina, quam plures olim haeretici et hodiernae liberalium sectae *amorem liberum*, uti bestiae, cupientes sectantur. Prohibentium nubere, hypothetice et ut rem minus perfectam pro sacro ministerio; nego.

Paulus non hanc, sed priorem damnat prohibitionem nubendi; ideoque subjungit: *Quia omnis creatura Dei bona est.* Quare non prohibetur absolute connubium ab Ecclesia; sed prohibet ne quis ad Ordines ascendat sacros, nisi illam, quam commendat Apostolus, velit vitae formam inire: *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt.* Jam vero, numquid errori vel vitio poterit alicui domino verti, si nolit in domo sua servos uxoribus impeditos?

103. Obj. 3.° Dixit Deus (4): *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Ergo tenentur omnes nuptiis conjungi.

Resp. Nego *conseq.* Alias et errasset Paulus, et errorem docuisset (5): *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant.* Verba autem Domini explico: dixit, *Crescite...* benedicendo, praebendo fecunditatem et potentiam; conc. Eodem enim sensu subjunxit: *et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli...* tamen nemo putabit, se ad venationem et piscatum obligari, et ad edendos pisces. Ea verba dixit praecipiendo; nego. Nam verum indicat sensum textus sacer: *Benedixitque illis Deus et ait: crescite...*

---

(1) Hebr. XIII, 4.—(2) 1 Cor. VII, 7, 32, 33.—(3) 1 Tim. IV, 1-3.—(4) Gen. I, 28; IX, 1.—(5) 1 Cor. VII, 8.

104. **Nota.** Ex dictis intelligi potest quod sit validae ordinationis subjectum. Verum ut *licite* aliquis ordinetur, praeter internam status gratiae dispositionem, aliae requiruntur quae ex morali theologia facile dignoscentur. Hoc tantum indicabimus; nullum posse *licite* ordinari nisi a *proprio Episcopo*, vel ex licentia ipsius. Proprius autem Episcopus dicitur ille, in cujus dioecesi, cum ordinandus natus est, parentes habebant domicilium, vel ipse habet beneficium congruae sustentationis; vel cujus per triennium fuit familiaris; vel in cujus dioecesi acquisivit verum domicilium.

SCHOLION

An lex continentiae immediate per se, vel mediate per votum sacris Ordinibus adnexum obliget.

105. Diximus in thesi, omnes in Ecclesia latina sacris Ordinibus initiatos teneri continentiae lege; verum quaeritur inter AA., an lex ipsa *immediate* obliget, an *mediate* per votum illis sacris Ordinibus adnexum. Aliqui AA. primum docuerunt, secundum vero D. Thomas (1), Suarez (2), Bellarminus, Sanchez, Vazquez, etc.; communior evasit haec ultima sententia, quare:

Dico. Clerici majores ad servandam continentiam, immediate per votum sacris Ordinibus adnexum, obligantur.

106. Prob. 1.° SS. Pontifices aperte tradunt *votum castitatis*, quod per se immediate obligat, Ordinum majorum susceptioni conjunctum esse. S. Gregorius M. (3): «A praesenti die »omnibus Episcopis dicatur, ut nullum Subdiaconum facere prae»sumant, nisi qui se victurum caste promiserit.» Innocen»tius III (4): «Nos igitur attendentes quod orientalis Ecclesia »votum continentiae non admisit.» Bonifacius VIII (5): «Illud solum votum debere dici solemne, quod solemnizatum fue»rit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem.»

2.° Conc. Tridentinum (6) ait: «Si quis dixerit... matri»monium contractum (tum a Religiosis, tum a Clericis major.) va»lidum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum »nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes »contrahere matrimonium, qui non sentiant se castitatis, etiamsi »eam voverint, habere donum; anath. sit.» Atqui his verbis aperte

---

(1) 2, 2, Q. 88, ar. 11; 4 D. 37, q. 1, ar. 1.—(2) De St. Relig. L. IX, c. 17, n. 3...—(3) Epist. 42, et in Decr. Gratiani. P. 1, D. 28, c. 1.—(4) Cap. *Cum olim.* 6 de Cleric conjug.—(5) Decret. l. 3, t. 15, in 6.—(6) Sess. XXIV, can. 9.

asseritur, in sacris ordinatos votum habere continentiae, quod per se immediate obligat. Ergo... Minor est clara, nam de omnibus »tum religiosis, tum clericis subjungit concilium «posseque om- »nes... etiamsi *eam voverint*, etc.»

107. 3.° Juxta certam AA. sententiam, peccata interna adversus castitatem a clericis majoribus admissa, sunt sacrilegia. Sed si sola lex immediate per se obligaret, peccata mere interna saltem probabiliter non essent sacrilegia. Ergo... *Min.* prob. Quia lex humana, etiam ecclesiastica, probabiliter saltem ad actus mere internos non se protendit. Ergo.

108. Dices: qui nescit votum et ordinatur, tenetur ad continentiam. Sed non ex voto, quod non emittit. Ergo solum ex lege.

Resp. Dist. *maj.* Qui nescit votum, eo quod invincibiliter et inculpabiliter ignorat obligationem continentiae, tenetur ad eam servandam; neg. *maj.* Qui nescit votum, sed scit obligationem continentiae vel culpabiliter eam ignorat, tenetur, etc.; conc. *maj.* In primo casu invincibiliter et inculpabiliter ignorans non teneretur ad castitatem nec ex lege, nec ex voto, quia Ecclesia non intendit talem astringere, nisi obligationem cognoscens ratum factum habuerit. E contra culpabiliter ignorans non eximitur, quia debebat examinare quid contentum erat in illo officio, quod voluntarie assumebat. Ad *minorem* respondent aliqui nostrae sententiae AA., concedendo nescientem votum *per accidens* obligari ex sola lege; sed melius cum aliis disting. *minor.* Non ex voto, si inculpabiliter ignorat obligationem continentiae, neg. suppositum, quod tunc teneatur. Si eam non ignorat vel culpabiliter nescit, subdist. *min.* Non ex voto explicito; conc. Non ex voto implicito et virtuali; neg. Qui enim vere et efficaciter munus aliquod appetit, etiam implicite vult ea, quae illi muneri conjuncta sunt (1).

Instabis. Qui positive nollet elicere votum, non teneretur ad servandam continentiam, nec inhabilis esset ad matrimonium. Sed haec absurda sunt. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* quoad 1.m Non teneretur *continuo* et mediate per legem, quae obligat ad emittendum votum quamprimum; neg. Immediate; conc. Quoad 2.m dist. etiam. Non esset inhabilis ex voto formali et emisso; conc. Ex voto praesumpto et debito; neg. Cum enim Ecclesia non judicet de occultis, et fraus nemini patrocinari debeat, ita constituit hoc impedimentum, ut essentialiter non pendeat a vero voto, sed sufficiat votum praesumptum et debitum juxta ordinationem ipsius Ecclesiae (2).

---

(1) Vid. Suar. de St. Relig. L. IX, c. 17, n. 6.—(2) Suar. ibid. n. 11.

DISQUISITIO VIII.

De sacramento Matrimonii.

PROOEMIUM.

Quam magna et excelsa res Matrimonium sit, non carnali sensu, sed fidei ac rationis puro lumine perpendi tantum potest; intelligere autem tum dabitur, cum sapientissimam Dei Providentiam sine velamine perspicere licebit. Paulus quidem supra coelos elatus, ut ea conspiceret, quae non licet homini loqui, edocuit, viri cum uxore conjugium mysterium quoddam magnum existere, ipsi unioni Christi cum Ecclesia comparandum. Tertullianus bona christiani conjugii mirans eloquebatur (1): «Unde sufficiam »ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conci»liat, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renuntiant, et »Pater rato habet?... Quale jugum fidelium duorum unius spei, »unius voti, unius disciplinae, ejusdem servitutis? Ambo fratres, »ambo conservi, nulla spiritus, carnisve discretio. At quin vere »*duo in carne una*. Ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, si»mul volutantur, et simul jeiunia transigunt, alterutro docentes, »alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pari»ter. In angustiis, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alte»rum vitat, neuter alteri gravis est. Libere aeger visitatur, indi»gens sustentatur. Eleemosynae sine tormento, sacrificia sine scru»pulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiva signa»tio, non trepida gratulatio, non muta benedictio: sonant inter »duos Psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo »suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet. His pacem »suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est. »Haec sunt, quae Apostoli vox illa sub brevitate intelligenda no»bis reliquit.»

PARTITIO GENERALIS.

Caput I. De institutione et actu Matrimonii.
» II. De essentia Matrimonii.
» III. De proprietatibus quae Matrimonium consequuntur.
» IV. De consensu ad Matrimonium requisito et de ejus promissione seu de Sponsalibus.

---

(1) L. 2, *ad uxor.* c. 9.

CAPUT I.

De institutione et actu Matrimonii.

ARTICULUS I.

De institutione Matrimonii.

1. Matrimonium dicitur juxta aliquos, quasi matris munium, seu officium; vel quasi matrem muniens, aut monens. Alii dicunt, sic vocari, quia mulier nubit, ut fiat mater. Verum, cur potius a matris, quam a patris nomine desumpta sit appellatio, cum ad utrumque contractus pertineat. Sanchez (1) duplicem assignat causam: alteram, quia in Matrimonio mater certa est, pater non ita; alteram, ex Gregorio IX (2), quia femina in partu ingentes dolores patitur, atque adeo praecipuum in generatione onus subit. Praeterea, Matrimonium est mirae unionis societas, et alterius intimae, dulcissimaeque societatis centrum et principium, scilicet, familiae: atqui societatis vinculum est amor, quem e matre potissimum fluere, et in matrem maxime terminari, in hac duplici societate, nemo est qui non videat. Jure igitur e matre nomen suum Matrimonium mutuavit.

THESIS I.

Existit in hominum societate Matrimonium.

2. **Nota.** Prout definiri solet (3), Matrimonium est «conjunctio »maritalis viri et feminae, inter legitimas personas, individuam »vitae consuetudinem retinens.» Conjunctio significat vinculum quo invicem obligantur: maritalis, quatenus vir fit uxoris, uxor autem viri per traditionem proprii corporis in ordine ad generationem; ex qua traditione vinculum nascitur: viri et feminae, quo declaratur subjectum conjunctionis: inter legitimas personas, seu non impeditas impedimento conjunctionem dirimente: individuam vitae... scilicet, quod talis conjunctio est perseverans et ad cohabitandum.

3. Thesis, quae est fide certa, facile patet. 1.° Tridentinum (4)

---

(1) De Matr. l. 1, in Prooem.—(2) Cap. 2 de *Convers. infidel.*—(3) Sanch. de Matr. l. 2, d. 1.—(4) Sess. XXIV.

ait: «Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus hu»mani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum »dixit (de Eva): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; »quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit »uxori suae, et erunt duo in carne una.*»

2.° Christus D. verbis hisce Adami memoratis, et de Matrimonio intellectis, adjunxit (1): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet:* quo aperte edocuit, non facto solum, sed et jure Matrimonium existere. Imo usque in finem saeculorum sic fiet (2): *Sicut erant in diebus ante diluvium... nubentes et nuptui tradentes... Ita erit et adventus Filii Hominis.* Paulus autem dicit (3): *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Et iterum (4): *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam.* Item (5): *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier... Mulier alligata est... quanto tempore vir ejus vivit.*

4. Obj. Matrimonium debet esse unius cum una, et indissolubile. Sed id non ostenditur ex adductis argumentis: ergo existentia Matrimonii non probatur.

Resp. Concessa *maj.* et *min.*, dist. *consequens*. Non probatur explicite existere matrimonium cum suis omnibus proprietatibus; permitto. Existentia matrimonii simpliciter et abstracte sumpti, nempe, pro societate conveniente in ordine ad generationem inter virum et mulierem; nego *conseq.*

Inst. Ad generationem et propagationem sufficit congressus vagus et indifferens individuorum utriusque sexus: sed sine Matrimonio id fieret; ergo non ostenditur dari verum Matrimonium.

Resp. Dist. *maj.* Ad generationem ac propagationem convenientem, seu qualem humana exigit proles, sufficit vagus congressus: nego *maj.* Ad generationem inconvenientem, nocivam et irrationabilem; transeat.

THESIS II.

Matrimonium non est ex humana institutione, sed divina, et quidem naturali.

5. **Nota.** Matrimonium considerari potest in actu, seu ut contrahitur; et in potentia, seu ut possibile. Possibilitas est vel remota; quatenus possibile est, Deum condere virum et feminam: vel proxima; quia, si consentiant vir et femina, fieri potest efficax et mu-

(1) Marc. X, 9.—(2) Matth. XXIV, 38, 39.—(3) 1 Cor. VII, 9.—(4) Ephes. V, 25.—(5) 1 Cor. VII, 4, 39.

tua traditio, vera conjunctio, Matrimonium. Non agitur de Matrimonio in actu, quod utique ab homine determinatur ad esse; neque de Matrimonio ut remote possibili, quia planum est, non ab hominibus, sed a sola divina essentia determinari omnia possibilia; sermo igitur est de Matrimonio proxime possibili.

6. I.ª pars fide certa prob. 1.° Adam post Evae creationem, et duplicem videns maris et feminae sexum, pronuntiavit immediate Matrimonii nexum solo intercedente partium consensu, ut vidimus in Thes. praeced.: *adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Atqui si foret Matrimonium ex hominum institutione, non potuisset Adam illud videre et pronuntiare in sola sexuum creatione; ergo.

7. 2.° Si esset Matrimonium ab hominibus institutum, vel illud instituissent physice vel moraliter. Sed neque quoad id quod physice pertinet ad matrimonium, neque moraliter potuit institui ab hominibus: ergo. *Minor* prob. Aptitudo sexuum ad generationem, quod est elementum physicum conjugii, non est ab hominibus, ut patet, sed a Creatore. Ipsius societatis, seu traditionis mutuae honestas, quod pertinet ad moralitatem conjugii, neque esse potest ab hominibus instituta; ergo. *Minor*, etiam quoad hanc secundam partem, evidens est. Nam a priori patet, talem conjugii societatem nihil iniqui prae se ferre, ut debeat ab extrinseco cohonestari. Deinde a posteriori: nam talis cohonestatio vel fieret a societate, vel ab aliquo hominum individuo; non a societate, cum haec ab ipsa procedat conjugali societate, et quidem honesta; nisi existimes, adversante natura rationali constitutam societatem: non ab aliquo homine; quia si illicita ex se esset viri et mulieris conjunctio maritalis, a lege aliqua eos obligante ac prohibente id procederet, quam nullus particularis homo posset derogare.

3.° Si ab humano jure penderet Matrimonium, posset eodem jure dissolvi, improbari, vel solum ad tempus approbari. Sed hoc nequit in hominum esse potestate; ergo. *Min.* prob. Christus D., primo memorato Adae et Evae Matrimonio, dixit universim (1): *Ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus. Propter hoc... homo adhaerebit ad uxorem suam... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo a Deo solo pendet ejusmodi matrimonialis conjunctio.

8. II.ª pars etiam fide certa prob. 1.° Dixit Dominus: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Unde: ab eo est Matrimonii conjunctio, a quo solum secundum naturam suam pendet. Sed solum pendet a Deo vinculum Matrimonii secundum naturam suam; er-

(1) Marc. X, 6, 7, 9.

go. *Min.* patet: nam si ita a Deo esset Matrimonium, uti leges illae, quae aliqua humana auctoritate conduntur, non subsisteret consequentia illa: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

9. 2.° Bonifacius VIII (1) docet: «Attendentes quod Ma»trimonii vinculum ab ipso Ecclesiae capite, rerum omnium condi»tore, ipsum in paradiso et in statu innocentiae instituente unio»nem et indissolubilitatem acceperit.» Augustinus (2) item: «Nos autem nullo modo dubitamus, secundum benedictionem Dei »crescere et multiplicare et implere terram, donum esse nuptiarum, »quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando »masculum et feminam; qui sexus utique in carne est, huic quippe »operi benedictio subjuncta est.» Deum igitur instituisse Matrimonium clare asseritur.

10. III.ª pars. **Nota** 1. Communis est quidem theologorum et canonistarum consensus, de divina Matrimonii institutione: utrum vero jure divino positivo, vel naturali fuerit institutum, dissentiunt.

II. Qui pro institutione positiva stant, non conveniunt in decernendo quando Matrimonium Deus instituerit. Cum Dom. Soto aliqui putant, tunc fuisse institutum, cum dixit Dominus (3): *Crescite et multiplicamini...* Alii plures, cum Magistro Sent., in iis verbis institutionem reponunt (4): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... etc.* Denique, cum Cajetano sentiunt nonnulli, in Evae creatione instituisse Deum Matrimonium; qua de causa dicitur in sacro textu: *Masculum et feminam fecit eos;* id autem praedixit Deus, cum ait: *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium... etc.*

11. Prob. haec pars quam probabilius asserimus 1.° In canone, *Jus naturale*, dist. 1, ex S. Isidoro desumpto (5), dicitur: «Jus »naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique, ins»tinctu naturae, non constitutione aliqua habetur; ut viri et femi»nae conjunctio.» Vide quoque hic supra (in II.ª parte Th.) Augustini testimonium; Deum, nempe, constituisse nuptias, creando masculum et feminam. S. Ambrosius etiam clare indicat, ex jure naturae constitutum Matrimonium (6): «Quomodo »quando solus factus est Adam, non dictum est, bonum esse »factum esse Adam: quando autem et mulier ex eo facta est, »tunc (7) esse bona omnia comprehensum est?... Sed etiam dictum »sit, non esse bonum solum hominem; cum sciamus quod ante-

(1) Cap. unic. de *voto et voti et redemp.* in 6.—(2) De *civit. Dei*, l. 14, c. 12.—(3) Gen. I, 28.—(4) Ibid. II, 23.—(5) *Etymolog.* l. 1, c. 4.—(6) De *Parad.* c. 10.—(7) Gen. I, 31.

»quam fieret mulier, non erraverit Adam; postea vero, prior »divinum praevaricata mandatum, etiam virum suum traxerit in »errorem, et incentivum ejus extiterit. Si igitur viro culpae auctor »est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verum si »consideres, quia Deo universitatis est cura, invenies plus placere »Domino debuisse id in quo esset causa universitatis, quam con»demnandum fuisse id in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex »viro solo non poterat humani generis esse propagatio, pronuntia»vit Dominus. *non esse bonum solum esse hominem... Faciamus,* »inquit, *ei adjutorium simile sibi.* Adjutorium ad generationem »constitutionis humanae intelligimus.»

Igitur perfecit Deus hominem, ac bonum eum laudavit, condita muliere; quia exinde poterat propagari humanum genus. Matrimonium igitur fuit in ipsa conditione viri et feminae institutum, et inde complacuit Deus: *Viditque Deus cuncta quae fecerat; et erant valde bona.*

12. 2.° Condito homine cibi indigente ut conservetur, cum facultate illum digerendi et assimilandi; creato etiam et proposito cibo convenienti; potest homo ex rationis dictamine cibum sumere, quin ulla intercedat divina institutio positiva: idem dicas de potestate emendi, commutandi, etc. ea quae utilitati esse possunt: quia rationis lumen dictat, bonum esse homines sibi prospicere ad suam conservationem. Atqui pariter dictat ratio, bonum esse homines sibi providere ad propagationem et conservationem speciei; sicuti providet natura aliis viventium speciebus: ergo solo jure naturae fuit institutum Matrimonium.

13. Obj. 1.° Matrimonium est contractus civilis. Sed bene potest contractus civiles societas instituere; ergo potuit societas Matrimonium instituere.

Resp. Dist. *maj.* Est contractus civilis, quatenus est Matrimonium societati necessarium, et inde providere debet societas, ut juxta rationis regulas celebretur; conc. Est civilis contractus ratione originis, seu institutionis; nego *maj.*

Inst. In aliquibus hominum societatibus dissolvi potest Matrimonium, vel intra quosdam limites, vel cum plena individuorum utriusque sexus emancipatione. Ergo vere poterunt ibi societatis rectores Matrimonium instituere.

Resp. Dist. *ant.* In societatibus recte institutis; nego *ant.* In aliquibus ad barbariem plus vel minus prolapsis; subd. Dissolvitur matrimonium, id est, permittitur individuis divagare ad modum caninum; conc. Vere solvitur Matrimonium; nego *ant.* et dist. *consequens.* Poterunt ductores societatis frenare subditos et cogere ut legem naturalem non infringant; conc. Poterunt Matrimonium, proprie loquendo, instituere; nego *conseq.* Nam quemadmodum ubi

principes catholici, vel sacrum Inquisitionis tribunal, libertatem blasphemandi, vel errores compescunt, non dicuntur reverentiam Deo debitam instituere, sed promovere; ita neque instituitur Matrimonium, cum ad legis naturalis normam revocatur.

14. Obj. 2.° Ille Matrimonium instituit qui ad esse proxime determinavit. Sed homo tantum, non Deus, ad esse Matrimonium determinare potest: ergo Deus illud non instituit. *Min.* patet: nam est Matrimonium humanus et liber contractus: jam vero, ut ait D. Thomas (1): «Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad ipsum »determinatio sui actus pertineret.» Et rursus: «Deus in liberum »arbitrium hoc modo agit, ut virtutem agendi ipse ministret, et »ipso operante, liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio »actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur: unde ma»net sibi dominium sui actus.»

Resp. Dist. *maj.* Ille instituit qui ad esse specificum, seu quoad essentiam, proxime determinavit; conc. Qui determinavit quoad existentiam; nego. Et contradistincta *minori*, nego *conseq.* Sic Christus sacramenta instituit, ministri autem ea ad existendum determinant, et inde libere ministrant, sicut et sponsi libere Matrimonium contrahunt.

Inst. Cum Adam dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, etc., fuit Matrimonium institutum, ut tenet S. Bonaventura: ergo ab homine, non a Deo est Matrimonium.

Resp. Nego *ant.* vel *dist.* Tunc fuit institutum, id est, primo celebratum; conc. vel permitto. Proprie institutum; nego.

15. Obj. 3.° Cum dixit Deus Adae et Evae (2): *Crescite et multiplicamini et replete terram*, dedit eis facultatem mutuam in corpora; ergo non jure naturali, sed positivo, instituit Deus Matrimonium.

Resp. Nego *ant.* vel *dist.* Quatenus declaravit Deus eam facultatem et confirmavit, ad usum ipsius eos inducendo; conc. Aliter; nego. Nam videns Evam, protinus Adam agnovit societatem conjugalem, dicens (3): *Hoc nunc os ex ossibus meis... Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una.*

Inst. Ex hisce Adami verbis deduxit Christus D. (4): *Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo tunc societas matrimonialis fuit a Deo instituta.

Resp. Nego *conseq.*: textum autem explico. Adam accipiens Evam sibi a Deo adductam, agnovit et instinctu divino (5) pro-

---

(1) In 2, dist. 28, Q. 1, a. 3, et dist. 25, Q. 1, a. ad 3.—(2) Gen. I, 28.—(3) Ibid., II, 23, 24.—(4) Marc. X, 8, 9.—(5) Trident. Sess. XXIV, de Matrim.

nuntiavit, quomodo inter virum et mulierem foret Matrimonium ineundum; imo, ipse probabiliter, eodem instinctu, tunc in uxorem Evam accepit.

16. Quo pacto autem cognovit Adam se posse cum Eva conjugium inire, non refert ipse, neque declaravit Christus D., neque interpretatur Concilium Tridentinum. Sive autem id dignoverit solo lumine rationis, perpensa utriusque sexus natura, et propagationis necessitate, sive divina illustratione, non debent inter se confundi cognitio, vel revelatio celebrationis Matrimonii, et institutio ejusdem: imo vero, cognitio contractus celebrandi, praesupponit legitimitatem objectivam et institutionem ipsius. Non ergo deduxit Dominus Jesus unitatem et indissolubilitatem Matrimonii ex eo, quod per ea Adami verba Deus instituerit Matrimonium; sed quia verba illa, divino instinctu prolata, revelant quale sit Matrimonium a Deo institutum. Declarat enim Christus, et deinde id Tridentina synodus interpretata est, fuisse Adamum promulgatorem naturae Matrimonii.

17. Obj. 4.° Quod est naturale, est necessarium et universale in omnibus ejusdem naturae: atqui tale non est Matrimonium; ergo dici nequit jure naturali institutum.

Resp. cum D. Thoma (1): «Aliquid dicitur esse naturale »dupliciter: uno modo, sicut ex principiis naturae ex necessitate »causatum, ut moveri sursum est naturale igni; et sic Matrimo»nium non est naturale; nec aliquid eorum, quae mediante libero »arbitrio complentur: alio modo dicitur naturale, ad quod natura »inclinat, sed mediante libero arbitrio completur; sicut actus vir»tutum, vel virtutes dicuntur naturales; et hoc modo Matrimonium »est naturale.»

ARTICULUS II.

De actu Matrimonii.

THESIS III.

Matrimonii actus seu usus, sive in actu primo proximo spectetur, sive in actu secundo, est honestus ac licitus; non tamen obligans, nisi hypothetice; imo per se perfectior est status virginitatis vel caelibatus.

---

(1) Suppl. q. 41, a. 1.

18. **Nota**. Ut dictum est, Matrimonium est quaedam societas inter virum et feminam, cujus vinculum quadam ad invicem potestate in ordine ad generationem perficitur. Consideravimus existentiam et originem hujusce societatis in abstracto, seu, secundum ejus speciem et proximam possibilitatem, quatenus in natura individuorum utriusque sexus continetur: nunc autem in actu Matrimonium inspicimus; tum in actu primo, seu uti existens individualiter; tum in actu secundo, seu secundum usum: actus enim secundus cujusvis potestatis est usus ipsius. Dicimus igitur 1.°, utrumque Matrimonii actum esse honestum; quod est fide certum: 2.° non tamen obligantem, nisi 3.° hypothetice; quod diversae est certitudinis vel probabilitatis, juxta diversas hypotheses.

19. I.ª pars prob. 1.° De Matrimonio, non in abstracto, sed actu existente, dixit Christus (1) esse a Deo conjunctum, neque licere homini illud separare. Sed neque potest Deus turpe vinculum conjungere, neque licitum esse potest in turpi vinculo permanere: ergo. Paulus etiam mandavit (2), seu potius Dominus, *Uxorem a viro non discedere:* et de actu secundo, seu usu, similiter: *Uxori vir debitum reddat: similiter et uxor viro... Si acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit.*

2.° Non tantum Deus Matrimonium instituit, ut dictum est (Th. praec.), sed etiam ad ipsius actum et usum hortatus est. *Crescite et multiplicamini et replete terram.* Gen. I, 28.

3.° Paulus doctrinam prohibentem nubere, daemoniorum esse doctrinam docet (3): Ecclesia autem ut haereticam damnavit adversus gnosticos, manichaeos, priscillianistas, etc.

20. 4.° Denique Matrimonium actu existens verum est sacramentum, ut postea probabitur: ergo est honestum, et consequenter usus ipsius, seu actus secundus talis potestatis.

21. II.ª pars prob. quae est etiam fide certa. 1.° Tridentinum (4) definivit: «Si quis dixerit statum conjugalem antepo»nendum esse statui virginitatis, vel caelibatus; et non esse melius »ac beatius manere in virginitate, aut caelibatu, quam jungi Matri»monio; anath. sit.» Jam vero si lex aliqua ad Matrimonium absolute constringeret, non melius, sed criminosum esset in virginitate et caelibatu manere.

2.° Paulus (5) docet: *De virginibus praeceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis... Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem... Volo autem vos sine sol-*

---

(1) Marc. X, 9.—(2) I Cor. VII, 10.—(3) I Tim. IV, 3.—(4) Sess. XXIV, can. 10.—(5) I Cor. VII, 25, 27, 32.

licitudine esse: Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo.

22. 3.° S. Joan. Chrysost. (1): «Bonum est virginitas; »et ego consentio: ac Matrimonio etiam melior; et hoc confiteor. Et, »si placeat, quanto etiam melior sit, addam; quanto coelum terra, »quanto hominibus angeli. Imo, ut fortius aliquid dicam, etiam am- »plius.» S. Cyprianus (2): «Servate, virgines, servate quod »esse coepistis... quod futuri sumus, jam vos esse coepistis... Vos »resurrectionis gloriam in isto saeculo jam tenetis. Per saeculum »sine saeculi contagione transitis.» S. Augustinus (3): «Ha- »beant conjugia bonum suum... Haec tamen omnia humani officii »sunt munera: virginitatis autem integritas, et per piam continen- »tiam ab omni concubitu immunitas angelica portio est, et in car- »ne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cedat huic »omnis carnis fecunditas.» Hieronymus laudavit quidem Ma- trimonium, sed plus virginitatem. Nam de primo ait (4): «Ista di- »centes, occasionem haereticis damus, qui omnes omnino nuptias »repudiandas putant... Quibus breviter respondendum, passiones »hic et immunditiam et luxuriam ab Apostolo inter maritum et uxo- »rem vetari, non sanctam conjunctionem... Liberorum ergo, ut di- »ximus, in Matrimonio opera concessa sunt. Voluptates autem, »quae de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatae.» De Virginitate autem (5): «Unde et virginitas major est nuptiis, »quia non exigitur, nec redditur, sed offertur.»

23. 4.° Denique si praeceptum absolutum conjugii omnes et singulos obligans, daretur, illud foret naturale vel positivum, ut observat Suarezius (6). a) Non est naturale: nam natura non- nisi actus necessarios, seu fini naturae rationalis connexos, praes- cribit. Sed quod omnes et singuli gignant filios, non est fini ratio- nalis naturae necessarium: ergo. *Minor* patet: nam natura secun- dum se, ideoque in quovis individuo, habet debitam proportionem ad suum finem: ergo indifferens illi est ad finem, quod aliud ejus- dem speciei gignat vel non gignat individuum. Alias exigeret jus naturae, ut numquam finem haberent species generabiles et cor- ruptibiles: quod est plane falsum. Nam sicut quodvis ens contin- gens ante existentiam est indifferens ad esse, et ex se non est; ita ens corruptibile, postquam existit, est ad permanendum indiffe- rens, et ex se non permanet. Deinde, supposito quod exigeret cor- ruptibilis natura in novis permanere individuis, id tantum postu-

---

(1) De *Virginit.* c. 10.—(2) L. de *Habit. Virg.* c. 22.—(3) L. de *sancta Virginit.* c. 12.—(4) In ep. ad Ephes. V, 15.—(5) In Ezech. XLVI, 12.- (6) De Relig. Vol. 3, l. 9, c. 1.

laret ut aliquod vel aliqua ex iis generationi vacarent: ergo necessitas generandi pro singulis naturae corruptibilis individuis non absoluta, sed hypothetica tantum foret. b) Non datur etiam praeceptum aliquod positivum vel divinum vel humanum conjugii contrahendi. Nullibi enim scriptum legitur, neque etiam traditum agnoscitur; quod laudatis patet testimoniis, et inter gentiles etiam invenitur in honore virginitas.

24. III.ª pars. Hypothetice tantum dicimus obligari posse homines ad connubium ejusque usum. 1.° Ad actum honestum potest quis obligationem contrahere; quod in ceteris patet honestis muneribus; si ergo quis contractum de conjugio inierit, obligabitur. Unde docet Apostolus (1): *Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde pari modo ad Matrimonium tenebitur, qui contractis sponsalibus, vel legitima promissione se ad id constrinxerit.

25. 2.° Matrimonium est a Deo post peccatum ordinatum in remedium concupiscentiae. Igitur qui aliis sibi non subveniat remediis ut castam vitam degat. Matrimonio uti tenebitur. Hinc Paulus docet (2): *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat... Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* Et inde Augustinus (3): «Unde mihi videtur hoc tempore, solos eos qui se non »continent, conjugari oportere, secundum illam Apostoli sen»tentiam: *Quod si se non continent...*, etc.»

26. 3.° E causa extrinseca potest etiam oriri obligatio. Si regnum foret, ex. gr., dissidiis perturbandum nisi rex filios haberet successores; muneris officium et charitas posset eum ad matrimonii jugum et usum obligare.

27. 4.° Praecipua in hac re quaestio est: utrum necessitas propagandi et conservandi humanam speciem obligare ad Matrimonium homines censenda sit. Nullam in praesentibus circumstantiis obligationem oriri, sentiunt communiter theologi cum SS. PP.; etenim speciei conservatio in nullo versatur periculo. Unde ajebat Hieronymus (4): «Jam plenus est orbis, terra »nos non capit. Quotidie bella nos secant, morbi subtrahunt, nau»fragia absorbent, et nihilominus de terminis litigamus?» Et Augustinus (5): «Per hoc bonum est nubere, quia bonum est filios »procreare... Sed melius est non nubere, quia melius est ad ipsam »humanam societatem hoc opere non egere. Ita enim jam sese ha-

---

(1) I Cor. VII, 3, 4.—(2) I Cor. VII, 2, 9.—(3) De *Bono. Conj.* c. 10. —(4) L. advers. *Helvid.* n. 21.—(5) De *Bon. Conj.* c. 9.

»bet humanum genus, ut aliis qui se non continent... non desit »numerositas prolis et abundantia successionis, unde sanctae ami»citiae conquirantur... Nunc, etiam propter solos filios connubia »copulare cupientes, ut ampliore continentiae bono potius utantur »admonendi sunt.»

SCHOLION.

De praecepto Matrimonium contrahendi.

28. De hac quaestione consentiunt quidem catholici DD., adversus haereticos, qui vel damnarunt continentiae statum, vel dixerunt majoris esse meriti Matrimonium, vel saltem non esse huic continentiam praeferendam, sed esse rem indifferentem. Verum in eo dissentiunt theologi; utrum existat praeceptum, quo, propter conservandam suam speciem, obligentur homines ad Matrimonium. Praecipua dissentiendi ratio sunt verba illa Geneseos: *Crescite et multiplicamini;* in quibus contendunt haeretici, omnibus injunctum, vel saltem commendatum fuisse Matrimonium: scholastici autem DD. fere omnes aliquod in ea dominica sententia agnoscunt mandatum, verum negant omnes homines omnique tempore adstrictos illo inveniri. Nam censent, vel non singulos obligari, sed tantum communitatem, sicut debet societas providere ut sint agricolae, singuli autem cives ad id non tenentur; sic D. Thomas (1): vel obligasse quidem omnes homines post creationem et diluvium, sed ad tempus, quoad multiplicatum fuit genus humanum; ita Magister Sent. (2): vel obligasse omnes et semper, sed non ad semper, sed solum occurrente casu necessitatis, ut si peste aliqua, vel alio accidente fere perirent omnes homines; sic Scotus (3): vel vim habuisse illud praeceptum usque ad Christum, qui illud abrogavit invitando ad virginitatem propter regnum coelorum, et dicens (4): *non omnes capiunt verbum istud; qui potest capere capiat.*

29. Verum omnes ejusmodi opiniones non solum haereticis displicent, sed etiam ab aliis AA. catholicis acriter impugnantur. Suarez, in primis, negat praeceptum aliquod positivum de Matrimonio contrahendo Deum tradidisse; sed ait, dari praeceptum naturale pro iis casibus, juxta prudentiam determinandis, in quibus conservatio speciei id exigere videatur: censet enim esse de jure naturae, seu stricta exigentia, ut genus hominum conservetur (5). Alii DD. quodvis divinum extare praeceptum prorsus ne-

---

(1) 2, 2, q. 152, a. 2, ad 1.m—(2) 4, Dist. 26.—(3) In 4, Sent. d. 26.—(4) Matth. XIX, 11, 12.—(5) De Relig. vol. 3, l. 9, c. 1.

gant: ut Mich. Medina (1), Pererius (2), Bonfrerius (3), etc. Unde placet, ut vero similius, concludere cum Cornel. a Lapide (in Genes.): «Tantum ergo hic (verbis illis: *crescite et multiplicamini*) Deus benedicit homini, hoc »est, usum Matrimonii inter homines probat, eisque virtutem et »fecunditatem indit, ut per maris et feminae conjunctionem, uti ce»tera animalia, sibi simile procreent, itaque se suamque speciem »conservent ac propagent.»

30. Et sane. 1.° similem sententiam protulit Deus in animantia: *Crescite et multiplicamini*. Planum autem est, nihil aliud quam benedictionem Deum indicare voluisse.

2.° Explicite declarat Scriptura id Deum dixisse, benedicendo: *Et benedixit eis:* jam vero, dare benedictionem, seu fecunditatem, non importat ea utendi obligationem: sic potestatem dedit seminandi triticum et edendi panem, neque ad id Deus obligare voluit.

3.° In eadem dixit Deus sententia: *Subjicite terram et dominamini piscibus maris:* tamen nemo mentis compos se ad id constrictum putavit.

4.° Inquirere oporteret, quando fuit tale praeceptum abrogatum, quod nullibi habetur; vel quousque se porrigat: si enim alicui videatur, sat esse hominibus terram repletam, alius prudenter censendum putabit, multas et vastissimas esse regiones desertas, et consequenter debere adhuc singulos homines generationi operam dare.

31. Obj. 1.° Quod sine peccato non potest exerceri, peccatum est: sed tale est matrimonium actuale; ergo. *Minor*. prob. Actus matrimonii non fit sine concupiscentia; proinde, qui vult actum ejusmodi, vult etiam concupiscentiam. Atqui concupiscentiam velle carnis est peccatum, ut docet Augustinus (4): «Carnis »concumbendo appetere voluptatem, sed non praeter conjugem, »venialem habet culpam.»

Resp. Dist. 2.m *min.* et explico mentem Augustini ex ipsius contextu. Concumbendo appetere voluptatem habet peccatum, si ipsi voluptati serviatur; conc. *min.* Aliter; nego. Ita Augustinus: «Nuptiae tales esse non possunt, quales primorum paren»tum, si peccatum non praecessisset, esse potuerunt; sint tales, »quales Sanctorum Patrum fuerunt: ut pudenda carnis concupis»centia, quae in paradyso, nec ante peccatum fuit, quia necesse est »in corpore mortis hujus ut sit, non ei serviatur; sed ipsa potius »nonnisi ad propagandam prolem servire cogatur.»

---

(1) L. 4, de sacror. hominum continentia; contr. 2.ª—(2) In Gen. l. 4, c. 1, v. 28.—(3) In Genes.—(4) De *Nupt. et Concupisc. carnis;* l. 1, c. 15, 16.

Inst. Ipsa concupiscentia est malum; sed nequit fieri malum ut eveniat bonum; ergo non tantum propter se, seu ut finis, sed neque ut medium appeti potest concupiscentia.

Resp. Dist. *maj.* et explico cum D. Thoma (1): «Ratio illa »procederet, si malum quod inseparabiliter comitatur concubitum, »esset malum culpae. Nunc autem non est malum culpae, sed poe»nae tantum, quae est inobedientia concupiscentiae ad rationem.»

32. Obj. 2.° Malum quod rationis usum impedit, est contra rationem, ideoque malum culpae. Sed talis est carnis concupiscentia; uti notavit Augustinus (2): «Quid cogitari potest tunc, quan»do mens ipsa, qua cogitatur, illa carnali delectatione submergi»tur?» Ergo numquam licet conjugii actus.

Resp. Dist. *maj.* cum D. Thoma (3): quod impedit rationis usum, tum quoad actum, tum quoad ordinem ipsius, est contra rationem, et malum culpae; conc. Si impediat solummodo actum; nego *maj.* Etenim: «peccatum (ait ibid.) tollit rationis ordinem; »quod non facit delectationis intensio in actu Matrimonii; quia etsi »tunc non ordinetur homo, a ratione tamen est praeordinatus;» nempe, cum ante actum Matrimonii tum illum, tum delectationem ordinavit ad finem honestum. Sic et Augustinus (ibid.) mentem suam explicat: «Sed utique religiosus animus isto malo bene »utens hoc cogitat, ut libidinem concumbendo patiatur, quod non »potest cogitare cum patitur. Sicut salutem homo cogitat, ut som»no se impertiat, quod utique non potest cogitare cum dormit.» Quo exemplo utitur etiam S. Thomas. Scilicet, duplici modo ad actus illius delectationem potest ferri voluntas. Primo; ut illam solam appetens, illa sit propter quam actus perficitur: et hoc juxta Augustinum, supra, est servire malo concupiscentiae; talemque modum appetendi delectationem, negat D. Thomas (4) spectare ad perfectionem actus. Secundo; fertur voluntas ad actum et ad delectationem illius, secundum aliquam convenientiam rationis; inde actus est ratione praeordinatus simul cum delectatione ipsius (5). «Delectationes appetitus sensitivi non sunt re»gula bonitatis vel malitiae moralis, nam cibus communiter de»lectabilis est bonis et malis: sed voluntas bonorum delectatur in »eis secundum convenientiam rationis, quam non curat voluntas »malorum.»

33. Obj. 3.° Hieronymus (6) ait: quod a) «Nuptiarum finis «mors est; b) «Eos qui serviunt officio conjugali, quod prudentiam

---

(1) Suppl. 9, 49, a. 4 ad 2.m—(2) L. 5, contr. *Julian*, c. 10.—(3) Suppl. q. 41, a. 3 ad 6.m—(4) 1, 2, q. 33, a. 4.—(5) Ibid. q 34, a. 4.—(6) L. 1, adv. *Jovin* n. 37.

»carnis diligant, et in carne sint.» ideoque, juxta Apostolum (1) Deo placere non possunt. c) «Concedit quidem Deus nup»tias... Ergo quod concedit, nec bonum, nec beneplacens, nec per»fectum.»

Resp. Qua mente, quoque sensu haec dixit S. Doctor ex scopo intelligendum. Respondebat nempe Joviniano de quo dicit (2); «Vel»le eum ita nuptias praedicare, ut virginitati detrahat. Quando »enim minora majoribus coaequantur, inferioris comparatio supe»rioris est injuria.» Hoc posito, explico sententias illas. a) «Nuptia»rum finis mors est,» quatenus privant merito altiori vitae aeternae virginitatem consequentis; conc. Aliter; nego. b) «Qui ser»viunt officio conjugali... Deo placere non possunt;» id est, nequeunt placere quantum ii qui virginitatem colunt; conc. Absolute Deo non possunt placere; nego. c) «Quod Deus concedit, nec bo»num..:» id est, non ita bonum, beneplacens ac perfectum; conc. Absolute non bonum, seu malum; nego.

34. Obj. 4.° In illa Apostoli verba (3), *Unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat... Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* dicit Augustinus (4): «Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam.» Ergo non vacat culpa Matrimonii usus.

Resp. Dist. *conseq.* Usus matrimonii, qui habetur propter voluptatem capiendam, seu, ut loquitur ibi Augustinus, cum conjuges «lasciviendi voluptate exsaturandae cupidini inserviunt;» conc. Aliter; nego. Utrum autem indulgentiam illam, de qua Apostolus, proprie ac juxta litteram Augustinus interpretatus sit, omittimus: posset enim probabiliter et juxta contextum dici, non concessisse Apostolum indulgentiam propter illam levem culpam, de qua Augustinus, sed propter rem minus perfectam quam imperfectis suadebat.

Inst. Nequit in eo esse culpa, quod quis rem bonam concupiscat: sed delectatio, quae est actui conjugii adjuncta, bona est: ergo. *Min.* patet ex D. Thoma (5): «Delectationes bonorum opera»tionum sunt bonae, malarum vero malae.»

Resp. Dist. *maj.* Si concupiscat rem bonam moraliter; conc. Nequit esse culpa in concupiscendo rem bonam physice; nego. Et contradistincta *minori*, negatur *conseq.* Doctrina autem D. Thomae, circa bonitatem et malitiam delectationis, praepostere intelligitur et male adplicatur: qua autem ratione judicandum ex illa

---

(1) Rom. VIII, 8.—(2) L. 1, n. 3.—(3) I Cor. VII, 2, 5, 6.—(4) De *Peccato Orig.* c. 38.—(5) 1, 2, q. 34, a. 1, 2.

sit de bonitate vel malitia voluntatis, explicat ipse in a. 4 ejusdem quaestionis; quem sedulo perpendas, et interim vide verba ex eo desumpta, supra in Resp. ad Obj. 2.° Ambiguitas et fallacia istius difficultatis procedit ex confusione boni rationis, seu moralis, cum bono naturae, seu physico; de qua confusione vide D. Thomam (1).

35. Obj. 5.° Propagatio et conservatio speciei humanae est bonum in ordine naturae necessarium. Sed lex naturalis praecipit quidquid est in ordine naturae necessarium; ergo lex naturalis praecipit Matrimonium.

Resp. Dist. *maj.* Est necessarium simpliciter, seu ut connexum cum fine hominis; negatur. Necessarium secundum quid, id est, ut quam actu habet perfectionem retineat; conc. Et contradist. *min.*, negatur *conseq.*, vel *dist. conseq.* Ergo lex naturalis praecipit Matrimonium simpliciter; nego *conseq.* Praecipit lato sensu, quatenus de quolibet actu virtutis dici potest, pertinere ad legem naturalem (2): conc. Et quidem aliqua ad legem naturalem pertinent, quia rationis lumine cum fine naturae rationalis connexa dignoscuntur; et ista lege naturali praecipiuntur: alia autem ducentia ad finem ac utilia existunt; et ejusmodi a lege naturali, seu rationis dictamine, commendantur, non autem stricte urgentur. Neque sufficit ut mandata esse dicantur, quod ad perfectionem pertineant universi, neque quod Deus ea commendaverit, neque quod ea efficaciter voluerit: nam id rebus quoque illis convenire potest, quae sub consilio, non autem sub praecepto nobis proponuntur, uti in consiliis patet evangelicis. Non enim indiget Deus stricto et proprie dicto uti mandato, ut ea quae efficaciter fieri vult, perficiantur. Proinde, etiamsi perfectior existat mundus corporeus, si in illo non deficiant homines; et ostenderit Deus, iis fecunditatem impertiendo, sibi illorum propagationem placere; non recte inde infertur hoc fuisse mandatum.

36. Neque probandum videtur quod alii nonnulli putant, posse saltem societatis rectores obligare subditos ad procreandum, ne deficiat ipsa societas, seu ut propagetur. Nam aliud est, quod societas praesens nihil efficiat sine necessitate, quod nocere possit societati futurae; quod quidem debent societatis duces providere: aliud quod praesenti societati alia succedat; ad hoc enim non obligantur. Sicut enim non tenetur individuum curam habere, ut aliud ei succedat individuum; ita non obligatur societas ad providendum, quod alia ei subsequatur. Hoc ad Conditorem et Gubernatorem pertinet universi, ad cujus liberum spectat beneplacitum ad exis-

(1) 1, 2, q. 19, a. 1 ad 3.—(2) Vide D. Thom. 1, 2, q. 94, a. 3.

tentiam vocare, tum individuos, tum societates possibiles. Ille nullius eget (1); *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt* (2): *magnalia sapientiae suae decoravit; qui est ante saeculum et usque in saeculum; neque adjectum est, neque minuitur, et non eget alicujus consilio.*

THESIS IV.

Honesta amicitia, seu mutua bonorum et officiorum inter virum et mulierem communicatio, pertinet etiam ad actum seu usum Matrimonii.

37. Prob. 1.° Id pertinet etiam ad usum Matrimonii, ad quod Deus creationem et conjunctionem viri et mulieris ordinavit. Atqui propter mutuam bonorum et officiorum communicationem eos condidit et conjunxit: ergo. *Min.* prob. (3): *Dixit Dominus: non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi.* Et Adam dixit: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Ecce: pura illa ac vera amicitia, bonorumque communicatio, quam natura inter parentes et filios fecit, in conjugalem transfertur. Item, ajebat Adam (4): *Mulier quam dedisti mihi sociam.* Ita explicavit Paulus hanc a Deo statutam viri et uxoris societatem (5): *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea... Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam... Et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.* Vide etiam I Cor. VII, 23, 24.

38. 2.° Ambrosius (6) in illa verba Apostoli, *Ligatus es uxori? Noli quaerere solutionem*, ait: «Bene ait: ligatus es; quo»dam enim vir et uxor nexu inter se amatorio copulantur, et qui»busdam invicem sibi habenis amoris adstricti sunt.» S. Chrysostomus (7): «Vides quomodo omnia propter virum fiant? Con»dita enim creatura, productis brutis, et cibo..., formatus homo »indigebat aliquo confabulatore, et eo qui particeps ejus substan»tiae multum solatii afferre posset; ideo ex latere illius hoc ratio»nale animal format.... per omnia homini simile, id est, rationale »quod ei posset in necessitatibus et commodis hujus vitae subsidio »esse. Deus enim erat, qui omnia sapienti quadam ratione condidit

---

(1) Rom. IV, 17.—(2) Eccl. XLII, 21, 22.—(3) Gen. II, 18, 24.—(4) Ibid. III, 12.—(5) Eph. V, 24, 25, 28, 29, 33.—(6) De *Virginit.* c. 6, 32.—(7) In Gen. hom. 15.

»et moderatur.» S. Augustinus (1): «Consequens est conne-»xio societatis in filiis, qui unus honestus fructus est, non conjun-»ctionis maris et feminae, sed concubitus. Poterat enim esse in »utroque sexu. etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alte-»rius obsequentis amicalis quaedam et germana conjunctio.»

CAPUT II.

De essentia Matrimonii.

ARTICULUS I.

De naturali Matrimonii essentia.

39. **Nota.** In Matrimonio naturaliter perspecto plura concurrunt, quorum mutuum ordinem diversimode concipiunt AA., et inde, in quo sit Matrimonii essentia reponenda, non eodem modo decernunt: essentiam enim rei cujusvis illud dicimus, quod primum in ea concipimus, uti fontem ceterorum quae eidem attribuuntur. Inveniuntur, scilicet, in Matrimonio: 1.° externus aliquis contractus inter virum et feminam; 2.° internus utriusque partis consensus; 3.° mutua corporum traditio, quam duo illa priora praestant; 4.° quoddam vinculum exinde ortum; 5.° jus quod est in unoquoque ad alterutrum; 6.° mutua obligatio ad reddendum debitum; 7.° usus et consummatio Matrimonii.

De iis ergo disquirunt AA.. ac inde diverso modo quidditatem definiunt Matrimonii: de singulis ad illud concurrentibus vox matrimonii dicitur; de quidditate autem *proprie*, et de ceteris *analogice*.

THESIS V.

Matrimonii essentia non est in externo contractu solo, vel interno tantum partium consensu, sed neque in utroque simul.

40. **Nota.** Ex contractu externo dicitur Matrimonium Connu-

(1) De *Bono conjug.* c, 1.

bium, seu Nuptiae, «quod, ait Ambrosius (1), pudoris gratia »puellae se obnuberent:» inde etiam nomen *velationis*.

41. I.ª pars patet. 1.° Matrimonium est quaedam permanens societas. Sed solus externus contractus est aliquid cito transiens: ergo.

2.° Societas humana debet esse secundum voluntatem et rationem hominis. Sed Matrimonium est humana societas, et nihil habet rationis et voluntatis, si solus adsit externus contractus; ergo.

3.° Paulus (2) manifeste declarat Matrimonium liberum esse: *Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem; non peccasti: et si nupserit virgo non peccavit... Mulier cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.*

42. II.ª pars prob. 1.° Conjugium est humana et libera societas. Sed nequeunt homines consociari solis actibus internis: ergo requiritur externa conventio, seu contractus. *Maj.* ex I.ª parte elucet. *Min.* est evidens; nam interni actus nequeunt dignosci, nisi exterius manifestentur.

2.° Matrimonium ad actus externos tum procreationis filiorum, tum honestae amicitiae et mutuorum officiorum jus et obligationem importat; ut dictum est in Cap. I. Atqui per solum internum consensum jus et obligatio mutua ad actus externos perfici nequit: ergo. *Min.* patet: nam ex ignoratis obligatione et jure nulla externa societas oriri potest.

43. III.ª pars prob. 1.° Causa efficiens alicujus rei ab eadem necessario distinguitur. Atqui (3) «Causa efficiens Matrimonii regu»lariter est mutuus consensus per verba expressus:» ergo neque in utroque simul, externo et interno, contractu consistit Matrimonium.

2.° Matrimonium est quid permanens. Sed tum externus tum internus contractus transeunt: ergo.

3.° Retractato consensu, non cessat Matrimonium: ergo ejus essentia non stat in consensu.

44. Obj. Hugo Victorinus (4) ait: Matrimonium est «Duarum »idonearum personarum legitimus consensus.» Ergo.

Resp. Dist. et explico Hugonis definitionem: Matrimonium in fieri, seu ratione proximae causae illud determinantis ad existentiam, est «Duarum idonearum...» etc.; conc. Intrinsece et quoad quidditatem; nego.

---

(1) L. 1, de Abraham, c. 9, n. 93.—(2) 1 Cor. VII, 27, 28, 39, 40.—(3) Flor. Decr. pro *Arm.*—(4) L. 2, de Sacram. P. 2, c. 4.

THESIS VI.

Quidditas Matrimonii non invenitur in mutua traditione proprii corporis; neque in mutua obligatione et subjectione ad reddendum debitum.

45. I.ª pars prob. Traditio mutua proprii corporis est actus transiens. Sed Matrimonium essentialiter permanet; (1) *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit:* ergo.

Confir. Nihil aliud est traditio, nisi consensus unius partis in eo, quod proprio ejus corpore compars alia uti possit: ergo si consensus non constituit Matrimonii essentiam, neque traditio.

46. II.ª pars prob. In eo non stat Matrimonii essentia, quo cessante, Matrimonium adhuc subsistit. Atqui Obligatio ac Subjectio reddendi debitum transit aliquando, Matrimonio manente: ergo. *Min.* patet: nam si altera pars adulterium admittat, cessat alterius obligatio; similiter, si ex consensu in Religione profiteantur, uterque ab obligatione absolvitur.

Confir. Id quod essentiam consequitur, ab ea distinguitur: sed obligatio mutua conjugum in reddendo debitum ex Matrimonio procedit: ideo enim obligatur conjux, quia Matrimonio copulatur.

47. Obj. Matrimonium est societas conjugalis, seu in ordine ad generationem. Sed in mutua obligatione ad debitum conjugale talis habetur societas; ergo *Min.* prob. Mutua obligatio est simul ac essentialiter cum mutuo jure conjugum in invicem ad generationem. Sed in hoc habetur vera societas, tum activa, tum passiva in ordine ad generationem, seu conjugalis; ergo in mutua obligatione... etc.

Resp. Dist. ult. *minorem.* Habetur vera societas, quae est consequens ad Matrimonium et quasi ipsius proprietas; conc. *min.* Quae sit constituens Matrimonium et radix omnium proprietatum ejusdem; nego. Sicut in homine aliqua fiunt in anima per corpus, et aliqua in corpore per animam, verum non constituit hominem haec societas mutuarum actionum et passionum, sed alia radicalis unio ex qua illae profluunt; parili modo in Matrimonio quaedam est unio, seu conjunctio, ac radicalis societas, ex qua jura et obligationes, nisi quicquam impediat, procedunt. Haec unio, in qua radicaliter proprietates continentur Matrimonii, est vinculum illud quod immediate concipitur et efficitur, ex eo quod vir et mulier interius et exterius se tradunt efficaciter in ordine ad unum principium constituendum generationis legitimae.

---

(1) 1 Cor. VII, 39.

THESIS VII.

Consummatio, seu actualis usus Matrimonii, non est de essentia ipsius.

48. Prob. 1.° Inter Beatissimam Virginem et B. Joseph fuit verum coniugium: ergo. *Ant.* patet ex Scriptura (1): *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam:* et inde asserit Suarez, esse id fide certum (in 3.ᵐ p. q. 29, a. 2.)

2.° Ambrosius (2) ait, de conjugio agens B. V. Mariae: «Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio con»jugalis.» Pariter Augustinus (3): «Nec mendax manserat »appellatio conjugis, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis com»mixtio.» Item. Patres solent rationes afferre, cur voluerit Deus B. Virginem desponsari, ne, scilicet, per partum diffamaretur: oportebat ergo ut non mera sponsalia, sed verum conjugium inirent.

49. 3.° Patres verum agnoscunt conjugium inter primos parentes in paradiso; tamen nonnisi post peccatum cognovit Adam conjugem suam.

4.° Actus praesupponit potentiam, et potentia perfectam essentiam: sed usus Matrimonii est actus ipsius, et facultas utendi procedit ut potentia a legitimo et valido connubio: ergo usus non est de Matrimonii essentia.

5.° Institutum atque ordinatum fuit Matrimonium non solum ad propagationem, sed etiam ad honestam amicitiam, et mutuam bonorum et officiorum communicationem (4): ergo ob solum istum finem efficaciter assequendum verum Matrimonium, licet alter non exerceatur, contrahi potest. Hinc patres quoque docent, desponsationem B. Mariae V. Deum providisse, ut ei Joseph esset solatio.

50. Obj. 1.° Adam (5) praedixit Matrimonium et ait: *Et erunt duo in carne una.* Sed nequit hoc fieri nisi per conjugii usum: ergo.

Resp. Dist. *maj.* et explico. *Erunt duo in carne una*, in actu primo, vel in actu secundo; conc. Solum in actu secundo; nego. Duplicem quippe praedixit Adam Matrimonii unitatem: *adhaerebit uxori suae;* haec prima unio: *et erunt duo in carne una;* haec est prioris vel explicatio, vel effectus cum in actu secundo perficitur. In prima unione habetur essentia Matrimonii, quae, quia ordinem

---

(1) Matth. I, 20.—(2) De *Instit. virg.* c. 5.—(3) De *Nupt. et concupisc.* l. I, c. 11.—(4) Supra, Th. IV.—(5) Gen. II, 24.

habet ad copulam, jam efficit unam carnem jure: nam quisque conjux potestatem habet in corpus alterius: facto autem non est una caro in actu secundo, sed solum in actu primo proximo.

51. Obj. 2.° Si usus non sit de essentia Matrimonii, poterunt conjuges promissione vel voto obligari ad eo non utendum. Sed tale Matrimonium nequit habere ordinem ad generationem: ergo non est verum Matrimonium.

Resp. Dist. *Maj.* Poterunt obligari ad non utendum Matrimonio, quasi excludendo dominium mutuum in illius vinculo latens; nego. Obligari poterunt per superadditum vinculum quo usus proxime impediatur; trans. Insuper dist. *min.* Tale Matrimonium non habet ordinem intrinsecum ad generationem; nego. Non habet ordinem etiam extrinsecum, seu omnino expeditum; trans. *min.* et nego *conseq.* Unde si communi consensu conjuges se voto obstringant ad non utendum jure suo, non inde excluditur dominium mutuum, sed usus illius impeditur motivo religionis: si unus admittat adulterium, alter jus acquirit ad compensandam injuriam, et inde non obligatur ad debitum reddendum; non jure libertatis, seu dissolutionis vinculi et mutui dominii, nam si cum tertio congrederetur, adulter foret et injustus; sed jure sibi debitae compensationis.

THESIS VIII.

Essentia Matrimonii in eo vinculo stat, seu unione, quae immediate, ac veluti formaliter, ex traditione mutua proprii corporis in ordine ad generationem in viro ac muliere efficitur.

Ita D. Thomas, Vazquez, Sanchez, etc., estque communis sententia.

52. Prob. 1.° Debet essentia Matrimonii esse aliquid consequens ejusdem causam efficientem, seu consensum tum internum, tum externum; item, debet praeire usum ipsius; similiter non debet confundi cum eo quod se habet tamquam potentia sive activa, sive passiva ejusdem: ergo superest, ut Matrimonii essentia sit vinculum illud, seu socialis unio inter virum et feminam in ordine ad Matrimonium. Inde vocatur Conjugium et dicuntur conjuges, quasi unum jugum portantes.

2.° Adam a Deo inspiratus Matrimonium praedixit et explicavit dicens (1): *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una.* Item D. Jesus naturam illius indicans dixit (2): *Itaque jam non sunt*

---

(1) Gen. II, 24.—(2) Marc. X, 8, 9.

duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Sed eo ipso quod fit mutua adunatio ad generationem, existit et carnis unitas: ergo in hac unione traditionem consequente consistit Matrimonium.

53. 3.° Florentinum (1) docet, Matrimonium esse «Sig»num conjunctionis Christi cum Ecclesia.» Atqui id de illius natura intelligere oportet: ergo etiam in conjunctione, seu vinculo viri et mulieris sita est natura Matrimonii. Confir. Teste Tridentino (2), Christus fecit Matrimonium esse sacramentum, ut «Natu»ralem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confir»maret.» Sed censendum est ipsam essentiam Matrimonii voluisse Dominum perficere et confirmare: ergo unitas illa indissolubilis immediate orta ex naturali amore, seu traditione mutua conjugum est Matrimonii essentia. Vide etiam (3) supra Bonifacii VIII sententiam.

54. 4.° Illud dicendum est Matrimonii essentia, quod in illius esse primum intelligitur tamquam principium ceterorum constituentium. Sed talis est illa unitas, seu vinculum inter virum et feminam ex mutua coadunatione exortum in ordine ad generationem: ergo. *Min.* patet. Nam ex eo quod sint legitime uniti et vinculati in ordine ad generationem, procedit jus et obligatio mutua, honestas copulae, et individua vitae consuetudo.

55. Obj. Vinculum, seu unio conjugum oritur ex mutuo jure eorum in ordine ad generationem; ergo in illo mutuo jure, potius quam in dicto vinculo stat Matrimonii essentia. *Ant.* prob. Jus conjugum ad generationem nectit unum cum altero in ordine ad unum actum: sed hoc importat verum vinculum, veramque unionem; ergo vinculum, seu unio conjugum oritur...

Resp. Dist. *ant.* Vinculum primum, seu radicale, oritur ex mutuo jure... etc.; nego *ant.* Aliud consequens vinculum oritur...; conc. Inde patet solutio ad probationem adjunctam. Unde prior et essentialis conjugum unio perficitur cum ambo ad invicem efficaciter coadunantur in ordine ad generationem: illa enim ex se efficax ac mutua adhaesio in ordine ad unum creat quamdam unitatem, quae formale conjugium recte intelligitur: illa autem subsistente, concipiuntur et mutua conjugum jura, et consequenter mutuae obligationes.

---

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Sess. XXIV.—(3) Th. II, n. 9.

SCHOLION I.

Variae Matrimonii definitiones.

56. Ex traditis thesibus intelligere dabitur, cur variae prodantur de Matrimonio definitiones, prout sub uno vel alio perspicitur respectu, et quae illarum sit essentialis dicenda. Prout causam vel modum, quo perficitur, describunt, Matrimonium definitur: «Dua»rum idonearum personarum legitimus consensus:» ita Hugo Victorinus. Quatenus immediatum ejusdem effectum perpendunt, ajunt: «Jus inter virum et feminam, quo mutuo licet vita uti »ad liberorum procreationem:» sic aliqui quos laudat Victoria. Alii autem, ut refert D. Thomas (1), ex ultimo effectu, seu actu, describunt Matrimonium et ajunt: «Consortium communis »vitae, et communicatio divini et humani juris:» nam utroque jure regulatur vita conjugalis. Denique definitione, quam supra praemisimus (2), Matrimonii essentiam directe attingimus, eamque tradunt communiter AA. cum Magistro Sent., et approbat et exponit D. Angelicus (ibid.).

SCHOLION II.

De speciali ratione et materia contractus Matrimonii.

57. Quatenus Matrimonium secundum ejus causalitatem, seu, ut dici solet, in fieri, definitum est, rationem contractus prae se ferre manifestum est. Perficitur enim per duarum personarum consensum cum consequente traditione et obligatione mutua. Verum cum aliis contractibus minime totaliter assimilatur, et ejusmodi differentias paucis notare oportet.

Contractus est duorum consensus, quo libere et legitime uterque se vicissim, vel saltem, una pars se alteri acceptanti obligat, aliquo adhibito signo externo. Ita Busembaum. Matrimonium igitur est contractus; nam utraque pars se obligare et alterius pariter obligationem acceptare consentit in ordine ad procreationem prolis, et individuam vitae consuetudinem. Verum notanda est differentia sequens:

58. In hoc contractu id quod traditur, secundum eum usum ad quem traditur, pro priori ad contractum, seu ad consensum, non erat sub dominio contrahentis. E contra, qui opera sua locat, vel

---

(1) Suppl. q. 44, a. 3. —(2) Th. I.

equum aut domum tradit, nihil confert nisi quod prius sub ejusdem erat potestate; ejusmodi enim res, vel usus rerum plene ab uno possideri et exerceri possunt. Non autem ita se habent contrahentes Matrimonium, quoad eum usum ad quem invicem mutuo traduntur: nam talis usus nonnisi a duobus contrahentibus legitime unitis, ac simul, potest exerceri. Unde hic contrarium accidit ac in aliis donationibus; *quod datur id quod non habetur.*

Id intelligi poterit, si perpendamus, in contractu Matrimonii non tradi immediate a contrahentibus usum proprii corporis, quem quidem nullus antecedenter habet, vel possidet; sed dare se ipsos contrahentes in societatem conjugalem naturaliter a Deo institutam. Id sane significasse videtur Adam, cum a Deo inspirante ait: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Hac autem societate facta, seu ejusmodi constituto vinculo, exurgit jus et potestas mutua in corpus alterius, et quidem jure naturali, id est, a Deo ut auctore naturae.

Unde patet singularem omnino ac sui generis esse matrimonialem contractum; in illo enim contrahentes non obtinent plenum et expeditum dominium circa id quod traditur, nisi cum ad alterius transit dominium. Videtur id posse huic exemplo assimilari. Si daretur alicui a Deo triticum ad hunc praecise usum, ut illud posset in agro legitimo seminare, verum nullum haberet agrum; alteri autem traderetur ager ad istum unice usum, ut in illo legitimum seminaret triticum, quo tamen ille caret: sane nec prior vendere, edere, aut dare potest triticum, quia ad hunc usum ei datum non fuit; neque seminare, nam caret agro legitimo. Vel nullum igitur, vel solum inchoatum ac remotum habet dominium accepti tritici. Idem plane dicendum de altero qui agrum habet, sed unice ad seminandum triticum legitimum, quod non habet; vel nullum, vel remotum tantum habet agri dominium, quia carens tritico nullam habet in agrum potestatem. Si autem ambo societatem inirent et unum fierent, continuo primus agrum haberet legitimum et posset uti tritico, seu illud seminare; et vicissim, secundus triticum haberet quo agrum fecundaret: ambo autem simul assecuti essent dominium plenum tum tritici seminandi, tum agri fecundandi.

59. Ex dictis inferimus, dominium ad invicem conjugum non tradi, seu transferri, antecedenter ad societatem conjugalem; sed potius consequenter. Etenim, praeter id quod notavimus, nempe, conjugem non habere dominium sui corporis in ordine ad generationem, antecedenter ad Matrimonium, aliud esset incommodum: si enim ratio, qua nequit unus conjugum uti corpore alterius ante Matrimonium, est quia non acceperit ab eo dominium; post acceptum dominium, poterit, eadem ratione et simili jure, eidem denega-

re *usum actualem* corporis, cujus accepit dominium. Unde post illam suppositam translationem dominii in proprium corpus, non vera, sed apparens tantum et arbitraria unio subsistet. Aliter vero res se habet, si ab ipsa inita naturali societate conjugali, ad quam ineundam jus habent conjuges propter sexus a Deo distinctos, oriatur dominium mutuum in corpora. Deus enim est auctor talis dominii mutui, et inde, cum in utroque directe et pari ratione derivetur, neuter conjux ullum habet jus denegandi alteri utriusque corporis usum in ordine ad generationem. Pari ratione intelligitur quo pacto indissolubilis fit ea societas; nequit enim solvi societas, quam consignat et firmat, non simplex voluntas contrahentium, qui dominium transferant, sed ipse Deus auctor naturae, qui ipso facto, quod sponte et legitime ineatur societas, dominium illud mutuum compleri disposuit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

60. Dices: supra dictum fuit (1), iniri societatem conjugalem per mutuam conjugum traditionem: ex natura nunc exposita hujusce contractus contrarium deducitur; scilicet, consequi traditionem ex ipsa conjugali unione.

Resp. Traditio mutua conjugum vel est inchoata ac virtualis, vel completa et formalis: prima habetur cum sponte sociantur in ordine ad unionem conjugalem et ea quae inde consequuntur: secunda exurgit, tali legitima inita societate. Unde sicut a partibus convenientibus in unum oritur societas, ita ab ea inchoata traditione, seu spontanea coadunatione exurgit conjugium, ut clare explicat D. Thomas (2): «Respondeo dicendum, quod conjunc»tio adunationem quamdam importat: unde ubicumque est aduna»tio aliquorum, ibi est aliqua conjunctio. Ea autem quae adunantur »ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud; sicut multi homines »adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex »qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et »ideo cum per Matrimonium ordinentur aliqui ad unam generatio»nem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesti»cam; constat quod in Matrimonio est aliqua conjunctio, secun»dum quam dicitur maritus et uxor; et talis conjunctio ex hoc quod »ordinatur ad aliquid unum, est Matrimonium: conjunctio autem »corporum et animorum ad Matrimonium consequitur.»

Potest quidem proinde dici, quamdam fieri traditionem dum contrahitur conjugium; quatenus vir et mulier se tradunt ad unionem seu societatem conjugalem.

---

(1) Th. VIII. – (2) Suppl. q. 44, a. 1.

ARTICULUS II.

De Matrimonii Essentia supernaturali.

THESIS IX.

Matrimonium est verum Novae Legis sacramentum.

61. Est de fide catholica haec propositio, et prob. 1.° Conc. Tridentinum (1) definivit: «Si quis dixerit Matrimonium non esse vere »et proprie unum ex septem Legis Evangelicae sacramentis a »Christo D. institutum; anath. sit.» Idem prius explicite docuerat Florentinum (2).

2.° Ecclesiae, seu sectae orientales christianae, quae saeculo V et deinceps ab unitate catholica recesserunt, enumerant inter septem sacramenta et Matrimonium. Sed mirus ejusmodi consensus in re pertinente ad Ecclesiae constitutiva, seu substantialia, intelligi non potest, nisi quatenus a causa necessaria, id est, apostolica traditione procedat: ergo. *Min.* aperta est, tum a priori; quia nulla fingi alia causa potest universalis ejusmodi effectus: tum a posteriori; quia omnes illae sectae fuerunt suarum traditionum tenacissimae, et invicem oppositae et aversae, ac proinde admodum propensae ad catholicam Ecclesiam non imitandam, sed expugnandam.

62. 3.° Hujusce ecclesiasticae traditionis nonnulla notabimus testimonia. In saeculo XII, praeter Magistrum Sent., doctrinae theologicae pro eo tempore testem locupletissimum, habemus dogmaticam definitionem Lucii III (3), et in seculo XIII, Clementis IV, qui in *Confessione fidei* ait: «Tenet etiam et do»cet eadem Sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sa»cramenta, unum scilicet Baptisma..., aliud esse Matrimonium.» Innocentius I (4) de quodam qui secundam acceperat uxorem ait: «Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, »quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque se»cundae mulieris... nullo pacto posse esse legitimum.» S. Cyrillus Alex. (5): «Ipse invitatus (Christus) venit ad nuptias,

---

(1) Sess. XXIV, can. I.—(2) Decr. pro. *Arm.*—(3) Conc. Ver. c. *Abolendum*, de Haereticis.—(4) Epist. 9, ad *Prob.*—(5) In Joan. l. 2.

»ut generationis humanae principium sanctificaret, quod ad car»nem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam »hominis renovaturus erat.... non solum iis, qui jam in ortum vo»cati erant, benedictionem impertiretur, sed iis quoque, qui postea »nascituri erant, gratiam praestitueret et eorum ortum sanctum »efficeret...» Augustinus (1) ait: «In christianorum nuptiis »plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri.» Tertullianus amplissimis verbis laudat felicitatem et sanctitatem propriam Matrimonii christiani, supra (in Prooemio); et inter alia sacramenta illud recenset (2): «Ipsas quoque res sacramentorum »divinorum in idolorum mysteriis diabolus aemulatur. Tingit et »ipse quosdam... Expiationem delictorum de lavacro repromittit; »et si adhuc memini Mithrae, signat illic in frontibus milites suos, »celebrat et panis oblationem... Quid? quod et summum Pontifi»cem in unius nuptiis statuit?» Denique specialem gratiam ac benedictionem nuptiis a Christo fuisse impertitam, passim Patres docent. S. Epiphanius (3) ait: «Venerabiles esse nuptias, ac »Dei aspirante gratia coeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non »agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis »benediceret?» Etiam in Conc. Ephesino. Act. 1, dixerunt Patres: «Christum dispensatorie tunc ipsis benedixisse nuptiis, cum »in Cana Galileae, cum sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus »est.»

63. 4.° Ex SS. Litteris non parum hoc dogma elucidatur propter singularem ac supernaturalem excellentiam, quam Matrimonio concedunt. Conjunctio viri cum uxore imaginem gerere debet unionis Christi cum Ecclesia, et similiter invicem se diligant oportet, uti et Ecclesiam Christus. Sed nisi Matrimonium gratia sanctificaretur, talis significatio, seu tantum sacramentum, subsistere non posset: ergo. *Maj.* ex Apostoli verbis elucet (4): *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret..., ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc*

---

(1) De *Bono Conj.* c. 18.—(2) De *Praescript.* c. 40.—(3) *Haeres.* 67.—(4) Eph es. V, 22-32.

magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia; εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν: id est, indita fuit et adjuncta talis ac tanta significatio ut referret Christi cum Ecclesia unionem. Proinde, edocet nos Spiritus Sanctus, magnum esse in Matrimonio sacramentum referens unionem et dilectionem Christi in Ecclesiam vitamque conjugum illam practice referre oportere. Atqui, ut diximus, non poterat ejusmodi significationem, et quidem practicam, convenienter gerere Matrimonium nisi gratiam haberet adnexam, uti notavit Tridentinum (1): ergo. *Min.* prob. Dilectionem Christi et unionem cum Ecclesia, quam debet Matrimonium exhibere, dicit Paulus esse, quod: «Se ipsum tradidit pro ea... membra sumus de corpore »ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.» Sed ad tantam dilectionem, intimamque unitatem, praesertim supernaturalem, referendam, singularibus indigent conjugati gratiae auxiliis: ergo.

Confir. Matrimonio voluit Deus ab initio perficere et complere naturae humanae generativam virtutem, propagari homines non tantum quoad naturam, sed etiam quoad originalem justitiam. Atqui tanta Matrimonii munera postulabant, ut Christus illud etiam per gratiam innovaret et perficeret: ergo. *Min.* prob. a) Matrimonium erat primitus quoddam naturae complementum, etiam in ordine supernaturali: sed venit Christus salvare et restaurare universam naturam; ergo. b) Officia a conjugatis in Ecclesia, ratione sui status explenda, postulant peculiaria vitae spiritualis auxilia: ergo et conveniens erat, ut propriam sanctitatem Matrimonium fidelium haberet adjunctam. c) Christus instauravit in Lege Evangelica perfectionem illam Matrimonii, quam in statu innocentiae Deus constituerat, unitatis, nempe, et indissolubilitatis: ergo et particularia auxilia Matrimonio concedere in Evangelica Lege oportebat: etenim unicae uxori, et quidem in perpetuum, copulari, res est, in statu naturae corruptae, admodum hominibus difficilis.

64. 5.° Ex diversis Ritualibus pro administratione sacramentorum adhibitis, tum in Ecclesia latina, tum in Orientalibus Communionibus, constat, inter ritus ad cetera ministranda sacramenta, illos quoque describi qui pro Matrimonio adhibendi sunt. In omnibus hisce pro celebrando hoc sacramento ritibus, elucet communis omnium sensus necessitatis gratiarum supernarum pro muneribus conjugii sancte fungendis. Si ergo universae Ecclesiae hunc Spiritus Sanctus indidit sensum, non possumus dubitare, quin Christus D. vere voluerit gratia sua Matrimonii statum praemunire.

---

(1) Sess. XXIV, in Prooem.

65. Obj. 1.° Omnia sacramenta fuerunt a Christo D. instituta. Sed Matrimonium a Deo naturae auctore procedit: ergo nequit esse sacramentum, saltem Novae Legis.

Resp. Dist. *maj.* Fuerunt instituta formaliter, seu ad practice significandam gratiam; conc. Materialiter, seu ratione rei quae ad significandum adhibetur; nego.

Obj. 2.° Matrimonium non efficit id quod significat; scilicet, unionem Christi cum Ecclesia: ergo non est signum practicum et sacramentum.

Resp. Dist. *Ant.* Non efficit quod significat remote et speculative; conc. Quod significat immediate et practice; nego. Immediate significat gratiam, qua sancte uniantur conjuges, ad unionem Christi cum Ecclesia digne referendam.

66. Obj. 3.° Quae sunt de essentia Matrimonii, non semel fuerunt ab Ecclesiae statutis immutata. Sed nequit mutare Ecclesia sacramentorum essentiam: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Immutata fuere quae sunt essentialia Matrimonii, ut sacramenti; nego *maj.* In ratione contractus; conc. vel subd. Quae pertinent ad rationem contractus absolute; nego *maj.* Quae sunt de ratione contractus matrimonialis hypothetice; conc. Pariter dist. *min.* Quae pertinent ad sacramenti essentiam absolute, nequit mutare Ecclesia; conc. Ea quae tantum hypothetice pertinent; nego *min.* Scilicet, non Matrimonium quomodolibet conceptum fecit Dominus esse sacramentum, sed Matrimonium legitime contractum: hoc ergo spectat absolute ad substantiam hujus sacramenti, ut sit Matrimonium legitimum. Si ergo praescribat Ecclesia, vel dispenset circumstantiam aliquam, qua legitimitas alterius sit rationis, quin desinat Matrimonium esse legitimum, non mutatur absolute sacramenti essentia, id est, prout a Christo constituta; sed materialiter et hypothetice tantum.

67. Obj. 4.° Magister Sent. putavit Matrimonium non conferre gratiam, et similiter alii canonistae cum Durando: D. Thomas quoque incertus de hac re, dixit solummodo esse probabilius quod Matrimonium sit sacramentum: ergo non habetur traditionis argumentum pro thesi ista.

Resp. Dist. *ant.* seu explico: putarunt pauci cum Magistro et Durando, non esse sacramentum Matrimonium; nego. Censuerunt, et in hoc errarunt, non pertinere ad sacramenti essentiam quod gratiam causet sanctificantem; conc. Item D. Thomas dixit esse probabilius, quatenus non erat ab Ecclesia definitum, neque damnati qui aliter sentiebant; conc. Quasi doctrina haec definiri ac certa esse non posset; nego. Proinde, nego *consequen.* vel dist. Non habetur traditionis argumentum, quod evidentia intrinseca cogat mentem ad certitudinem independenter a magisterio Ec-

clesiae; permitto vel conc. Accedente Ecclesiae suffragio, cui adsistit Spiritus S. ut de tradita revelatione judicium ferat; nego. Unde fatemur, ante Ecclesiae judicium, non ita semper patere traditionem, ut apud omnes quodvis dubium excludat.

THESIS X.

Ante Christum D. non erat Matrimonium proprie dictum sacramentum.

68. **Nota.** Non pauci theologi, praesertim ex antiquioribus, censuerunt, ab initio mundi fuisse Matrimonium in verum sacramentum a Deo institutum. Ita cum aliis Petrus de Soto (1), et Catharinus, (2) qui putat, in statu innocentiae, et etiamsi homo non peccasset, futurum fuisse Matrimonium verum sacramentum: non ita autem post peccatum, nisi fuisset ex meritis Christi reparatus homo; quibus praevisis, Deus iterum illud instituit. Haec tamen probari jam nequit doctrina, et thesis est communis et catholice saltem, certa.

69. Prob. 1.° Tridentinum (3) docet: «Cum igitur Matri»monium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gra»tia praestet, merito inter Novae Legis sacramenta adnumeran»dum.» In quibus patet, in hoc differre connubium christianum a veteribus connubiis, quod gratiam conferat; deinde, sensu exclusivo, illud vocat sacramentum Novae Legis; scilicet, quia gratia eminet. Item Florentinum docuit (Decr. pro *Arm.*), esse septem sacramenta Novae Legis, inter quae recenset Matrimonium: deinde adjicit, haec differre ab antiquis, quod illa gratiam non causabant.

2.° Insuper damnavit Trident. (4), qui negaverint sacramenta Novae Legis fuisse omnia a Christo D. instituta; et rursus de ipso Matrimonio confirmavit, ut dictum est in Thes. praec. Atqui cum aliquid institui dicitur, prius non extitisse significatur; ergo.

70. 3.° Sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae vel contra peccatum, vel ut illis sublevetur homo et perficiatur per sensibilia ad insensibilia et spiritualia. Sed ante peccatum medicina homo non indigebat, nec ad illum pertinebat statum ut subderetur sensibilibus: ergo. *Min.* patet: nam in eo statu vires inferiores plene superioribus subdebantur. Sub Lege autem scripta, non fuisse vera et propria instituta sacramenta, in tract. de sacramentis in genere diximus.

---

(1) De Instit. Sacerd. l. 2.—(2) Opusc. de Matr. q. 3, 4.—(3) Sess. XXIV, Prooem.—(4) Sess. VII, can. 1.

71. Obj. 1.° Paulus, memoratis Geneseos verbis, *Erunt duo in carne una*, subjunxit, *Sacramentum hoc magnum est*. Ergo ab initio mundi fuit Matrimonium verum sacramentum.

Resp. Dist. *Consequens*. Fuit sacramentum aptitudine, scilicet, capax significandi conjunctionem Christi cum Ecclesia; conc. Actualiter; subd. Fuit sacramentum speculativum; permitto. Practicum; nego. Matrimonium, prout ab initio institutum a Deo, aptitudinem aliquam remotam, scilicet, propter indissolubilitatem, habuisse ad significandam Christi cum Ecclesia unionem, nemo negabit: quod autem actu ab initio mundi eam habuerit significationem, Apostolus non clare innuit, sed ad tempus praesens refertur dicendo: *Sacramentum hoc magnum est...*

Deinde; etiamsi actu significasset ab initio mundi unionem inter Christum et Ecclesiam, nam fatemur potuisse Deum talem significationem instituere, tamen neque inde fuisset Matrimonium verum sacramentum; quia ad hoc oporteret, quod praeter significationem illam speculativam, aliam quoque habuisset practicam sanctificationis actualis.

72. Obj. 2.° Innocentius III (1) ait: «Quod cum sacra»mentum conjugii apud fideles et infideles existat, etc.» Et Leo I (2): «Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut prae»ter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiae sa»cramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Ma»trimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.» Videtur igitur et extra religionem christianam, et ab initio, fuisse Matrimonium sacramentum.

Resp. 1.° Nego *conseq.*, si de sacramento proprie dicto, id est, practice significanti, intelligatur.

2.° Innocentii et Leonis verba explico, *sacramentum conjugii existit apud infideles:* societas nuptiarum ab initio constituta fuit ut haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, id est, sacramentum materialiter sumptum, seu indissolubilem unitatem; conc. Formaliter intellectum, nempe secundum actualem significationem; nego. Nam cum ad istam significationem sacramentalem statuendam sumpserit Christus indissolubilem Matrimonii unitatem; haec, consequenter, sacramenti nomen accepit, vel quatenus actu habet, ut in christianis, talem significationem, vel quia aptitudinem significandi prae se fert, et nos in ea Christi unionem cum Ecclesia perpendimus, ut apud Matrimonium infidelium, et priorum parentum evenit. Eo sensu locutum de infidelibus Innocentium, patet ex contextu; ostendit enim inveniri apud infideles

---

(1) Cap. *Gaudemus*, de *divortiis*.—(2) Ep. 90, (vel 92), c. 4.

sacramentum conjugii, quia Paulus praecepit: *Si quis frater uxorem infidelem habet... non illam dimittat:* jam vero haec Apostoli verba tantum vindicant indissolubilitatem. Simili de causa dicit Leo, habuisse nuptias ab initio in se Christi et Ecclesiae mysterium; sic enim appellat unitatem Matrimonii, quam sane ab initio habuit.

Inst. Si propter aptitudinem unitatis conjugii, ad Christi cum Ecclesia unitatem significandam, vocari potest sacramentum, idem potuit de sententia Pauli existimari; scilicet, non propter actualem Matrimonii significationem, sed propter aptitudinalem, illud *magnum Sacramentum* appellasse. Ergo ex verbis Apostoli non conficitur esse Matrimonium verum Sacramentum.

Resp. Nego *antec.* et *conseq.* Nam 1.° Posita sacramenti significatione propria in christiano Matrimonio, propter actualem et practicam significationem, obvium est, ac facile consequitur ut dicatur analogice de ipsa intrinseca unitate ejusdem: ideoque non proprie sed analogice vocatam fuisse sacramentum unitatem Matrimonii infidelium, vel primorum parentum, optime intelligi potest.

2.° Non ex voce sola *sacramentum* a Paulo adhibita, deducimus probationem de veritate sacramenti Matrimonii; sed maxime ex adjunctis, et praemissa traditione Ecclesiae et Patrum doctrina, juxta quam verus Scripturarum sensus est desumendus.

THESIS XI.

Materia sacramenti Matrimonii sunt vir et femina, ut tendentes ad conjugium, seu (perinde est) ad finem conjugii simul assequendum: forma autem sunt verba, vel aequivalentia signa, quibus eam coadunationem, seu conjunctionem actu inire significant.

73. **Nota.** 1. Cum sit Matrimonium res complexa, ut supra notavimus (1), inde valde AA. dissentiunt in assignanda materia et forma hujus sacramenti, sicut et in sacramentali evenit Poenitentia. Varias ejusmodi opiniones, brevitatis gratia, omittimus, quas apud Vazquezium (2), vel Tannerum (3), vel alios DD. Scholasticos videre licet. Praecipuas tantum innuemus. 1.ª est Melchioris Cani opinio, qui cum aliis putavit, verba Sacerdotis benedicentis esse formam, et actus contrahentium esse materiam. Aliqui notam temeritatis, vel erroris inurunt huic sententiae: verum dicere sufficiat, quod tempore Vazquezii, ut ipse

(1) Th. V.—(2) Tom. 8, de Matr. disp. 3.—(3) Disp. 8, q. 2, d. 2.

testatur, illi tota adversabatur schola, et nunc quoque ab omnibus rejicitur propter rationes infra, ubi de Ministro sermo erit, afferendas. 2.ª sententia docet, verba esse materiam, consensum autem formam, ut putat Major; vel, e converso, censet Valentia cum aliis, in consensu materiam et in verbis formam esse reponendam. 3.ª tandem ait, et quidem valde probabiliter, cum Suarezio (1), etc., actus externos contrahentium, sub diverso tamen respectu, dicendos vicissim et materiam et formam: scilicet, quatenus habent rationem traditionis sunt materia; et forma, secundum quod significant acceptationem.

II. Observat Vazquezius, ad definiendum quae sit hujus sacramenti forma ac materia, perspicere oportere quae sit forma et materia contractus conjugalis; nam ipse contractus elevatus fuit a Christo ad esse sacramentale. Verum, ut haec observatio recte ducat ad rem intelligendam, complenda videtur dicendo: perspicere quidem oportere, quae sit materia et forma contractus conjugalis, sed quatenus hic contractus significare potest unionem Christi cum Ecclesia, et sanctificationem unionis conjugalis.

III. Essentia Matrimonii, juxta D. Thomam supra (2), est adunatio, seu conjunctio viri et mulieris ad generationem et educationem prolis, et ad vitam domesticam.

74. I.ª pars prob. Illa pars hujus sacramenti habet vices materiae, quae: a) est Matrimonio intrinseca, b) significat supernaturaliter, et sacramentaliter, c) et determinanda est ad perfecte significandum. Atqui vir et femina ut tendentes ad finem conjugii pertinent essentialiter ad Matrimonium, ut patet ex dictis (3); significant etiam unionem Christi cum Ecclesia, et gratiam, quae datur, juxta Tridentinum (4), ut confirmativa et perfectiva hujusce unitatis et significationis; denique, haec significatio non est perfecta, donec se actu conjunctos, hanc ineundo conjunctionem, seu conjugalem societatem, significent: ergo.

Maj. perspicua videtur. Nam a) ipsum Matrimonium elevatum fuit ad esse sacramentale, estque verum sacramentum: ideoque in aliqua ejusdem parte intrinseca inveniendae sunt sacramentales partes: alia autem b) et c) quae in majori asserimus, ex communi conceptu sacramentorum elucent.

75. II.ª pars prob. Illa pars constitutiva Matrimonii dicenda est forma sacramenti, quae praeter dictas conditiones, primam, nempe, et secundam, pro materia requisitas, ultimo determinet sacramentalem significationem. Atqui verba, vel signa alia aequivalen-

---

(1) De sacram. in genere, Disp. 2. — (2) Thes. VIII, Schol. II, n. 60. — (3) Thes. VIII. — (4) Sess. XXIV, Prooem.

tia, quibus significant vir et mulier, se actu inire conjugalem societatem, ea omnia requisita complectuntur; ergo. *Minor* facile patet: a) In primis illa verba, vel signa, sunt essentialia, ut fiat societas conjugalis actu; quia talis societas est essentialiter externa, et ideo tum actualiter, et non per aliquam tendentiam tantum, tum extrinsece ineunda est. Item b) hanc actualem conjunctionem effectum supernaturalem significare patet; et quidem c) perfectius, nam significationem sacramentalem debere esse practicam manifestum est.

76. Obj. 1.° Materia et forma simul sunt causa gratiae: ergo si ipsi contrahentes sunt materia sacramenti, sunt quoque causa suae sanctificationis.

Resp. Dist. *consequens*. Sunt causa immediata; nego. Mediante sacramento; conc. Scilicet, causant gratiam, quatenus illam significant practice, seu extrinsecus significant tendere ad finem conjugii, talemque inire associationem. Verum, nonne defendunt adversarii, contrahentes causare gratiam tamquam ministros? Quid ergo habent scrupuli in hoc, quod illam causent tamquam signum, seu sacramentum constituentes?

77. Obj. 2.° Materia Sacramenti debet esse materia ex qua, seu constitutiva; non autem materia circa quam. Atqui contrahentes conjugium, seu vir et mulier, sunt materia circa quam versatur contractus: ergo non possunt esse materia sacramenti. *Min.* patet ex natura contractus: cum quis vendit, vel dat equum, ex gr., venditio vel donatio non constituitur ex equo, sed versatur circa aequum.

Resp. 1.° cum Vazquezio, negando majorem: nam Florentinum Conc. (1) docet tantum, sacramenta constare materia et forma; non autem dicit ex materia et forma. Proinde cum Matrimonium sit contractus, hujus sequi debet naturam, et proinde habere materiam circa quam. Praeterea, observat acute ipse Vazquezius, licet in contractu res data, vel vendita, sit materia circa quam respectu consensus, est etiam materia ex qua respectu totius contractus: quo pacto, sane, constitui essentialiter potest donationis, vel venditionis contractus absque re donata vel vendita?

Resp. 2.° Matrimonium non est simile venditioni, vel donationi, sed contractui societatis, ut satis supra declaratum est (2): jam vero in personarum societate, quis dubitat hanc ex personis constitui? Proinde si recte et juxta veritatem objectio reformetur, thesim potius confirmat.

78. Obj. 3.° Si ipsi conjuges sunt materia Matrimonii, erit sacra-

---

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Th. VIII Schol. II.

mentum permanens. Sed id absurdum videtur; tunc enim, sicut in Eucharistia, in usu Matrimonii infunderetur gratia.

Resp. 1.° Nego *majorem;* tum quia non sufficit permanentia unius constitutivi, si cetera deficiant, ut permaneat sacramentum: tum quia non dicimus cum Vazquezio, solos contrahentes esse materiam, sed quatenus per actus aliquos tendunt ad conjugalem societatem: sic enim inchoatur significatio unionis Christi cum Ecclesia, et gratiae qua perficitur.

Resp. 2.° Nego *minorem.* Non est enim absurdum, quod Matrimonium, quatenus est permanens vinculum conjugale, sit sacramentum significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, et gratiam illam quam causat *cum contrahitur.* Nec inde sequitur, in quolibet Matrimonii usu gratiam infundi; quia non in actu utendi, sed in actu contrahendi fuit adnexa a Christo significatio practica. Vide Sanchezium (1) et Bellarminum (2).

79. Obj. 4.° Obvia videtur ac sufficiens materia consensus internus contrahentium, et forma verba, vel alia signa illum significantia: nam ille determinatur ut validus sit contractus per signa externa.

Resp. Nego assertum. Nam internus consensus est quid insensibile, ideoque, ut distinctus a signis externis, inepte dicitur materia. Quod si dicatur fieri sensibilis per externa signa, et ea de causa esse materia, tunc confunduntur in unum materia et forma sacramenti. Quod ne accidat, dicendum externam significationem consensus conjugum, quo ad conjugium, seu finem conjugii, tendunt, esse materiam; formam autem, externam significationem consensus quo actu coadunantur. Quia vero Matrimonium est societas viri et feminae, ipsi quoque sunt materia illius, remota scilicet, quae fit materia proxima, cum illa dicta accedit significatio ordinationis seu tendentiae eorum ad conjugium.

80. Obj. 5.° Consensus conjugum externe manifestatus habet duplicem rationem, seu respectum; nempe traditionis et acceptationis corporum. Atqui acceptatio determinat, seu efficacem constituit traditionem: ergo clare et opportune dici potest, in hoc contractu, traditionem esse instar materiae, acceptationem vero instar formae; ita Bellarminus et alii non pauci.

Resp. Duplex invenitur in hoc systemate incommodum 1.m: in donationibus traditio et acceptatio ita pariter concurrunt, ut non una plus quam alia contractum determinet: si prius tradas, deinde alius acceptet, determinatio ad acceptationem pertinet; si autem prius acceptes, seu petas, deinde tibi tradatur, traditio habebit de-

(1) De Matr. l. 2, d. 5, n. 7.—(2) L. 1, de Matr. c. 6.

terminationis honorem. Unde ad quemdam ludum rem deducere videmur: ut si quis diceret, anima est forma corporis, quia, hoc formato et praeexistenti, ei infunditur anima; cum autem resurget corpus et animae unietur praeexistenti, tunc illud determinabit animam et erit hujus forma. Quapropter, materiae et formae non ex ordine aliquo extrinseco definiendae sunt, sed ex propria earum potentialitate, vel actuatione.

2.m incommodum est, quod supponatur, perfici Matrimonium per mutuam corporum traditionem, quod supra rejectum est. Perficitur autem per ordinationem ad unum, seu associationem; ex qua consequitur jure naturae, seu a Deo creatore, dominium commune in utroque conjuge, tum in proprium, tum in alterius corpus. Proinde in illa associatione, seu ordinatione ad unum (1), distinguendae sunt forma et materia hujus sacramenti; non autem in illa supposita traditione et acceptatione rei, cujus, antecedenter ad conjugium, nullus conjugum verum habet dominium.

81. Obj. 6.° Contrahentes Matrimonium, eatenus tendere ad conjugium et actualiter associari significant, quatenus sponte interioris intentionis et consensus aliquod exterius exhibent signum. Sed hujusmodi interni consensus ac intentionis manifestatio non potest ad formam et materiam sacramenti matrimonii intrinsece pertinere; ergo. *Min.* prob. Causa efficiens rei nequit esse ejusdem intrinsecum constitutivum: sed juxta Florentinum (2), consensus verbis expressus est causa efficiens Matrimonii; ergo.

Resp. Nego 1.m *min.* et ad probationem, dist. *min.* Consensus... est causa efficiens Matrimonii ratione vinculi, seu quoad ejus naturam; conc. Ratione sacramenti; subd. Quatenus sacramentum completur gratia, quae vinculum perficit ac sanctificat ad significandam unionem Christi cum Ecclesia; seu quatenus nomine sacramenti venit non solum sacratum tantum, sed etiam Res et Sacramentum et res tantum; conc. Consensus est causa efficiens sacramenti presse sumpti; iterum subdist. Si in fieri accipiatur consensus, eo modo, nempe, quo actio est causa actus; concedo. Si in facto esse, seu formaliter, intelligatur; nego *min.*

82. Obj. 7.° Angelicus Doctor (3) docet, formam hujus sacramenti esse verba, quibus exprimitur consensus matrimonialis; materiam autem non esse nisi actus, sensui subjectos, illius qui utitur hoc sacramento.

Resp. Dist. seu explico mentem Angelici. Materia sunt actus, quatenus isti exhibent ipsas personas contrahentes, ut in the-

---

(1) Supra, Th. VIII, Schol. II.—(2) In Decr. pro Arm.—(3) 4, dist. 26, a. 1, ad 1 et 2.

si dictum est; conc. Aliter; nego. Hoc sensu locutum S. Doctorem, patet ibidem (1): «Debita materia sunt personae legitimae ad con»trahendum: et debita forma sunt verba de praesenti consensum »exprimentia.» Et infra: «Consensus expressus per verba de prae»senti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium »facit, quia haec duo sunt de essentia sacramenti.» Et iterum repetit in Resp. ad 4.

83. **Nota**. Exposita Matrimonii essentia, intelligitur facile, in hoc sacramento distingui etiam posse *sacramentum tantum*, nempe, illud quod in thesi diximus esse materiam et formam ipsius: *rem tantum*, id est, gratiam sanctificantem: et *rem ac sacramentum simul*, videlicet, vinculum perfectum ac sanctificatum. Nam conjuges, societatem ineuntes conjugalem, significant quidem internum vinculum ac sanctificationem, sed non significantur; gratia e contra, secundum se, significatur et non significat; vinculum autem sanctificatum significat unionem Christi cum Ecclesia, et ipsum exterius significatur.

THESIS XII.

Infidelium, vel fidelis cum infideli Matrimonio non inest ratio sacramenti.

84. I.ª pars est communis ac certa contra Adrianum. Prob. 1.° Juxta Florentinum (2): «Primum omnium sacramento»rum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua »est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ec»clesiae.» Atqui si Matrimonium infidelium foret sacramentum, Baptismum aliud praecederet sacramentum, neque ille omnium esset janua, neque esset necessarius, ut quis fieret membrum Christi et Ecclesiae: ergo.

2.° Per Baptismum renascimur in vita spirituali, et per Matrimonium aliquod incrementum in eadem suscipitur: sed prius est renasci, quam perfici in supernaturali vita; ergo.

Vide quae supra (3) de subjecto Ordinis diximus, quae ad rem etiam praesentem faciunt.

Contrariam autem sententiam, jure Vazquezius opinionem absurdam esse dicit (4).

85. II.ª pars est longe communior adversus Sotum et Catharinum; de nostra autem, suo tempore, ajebat Vazquez: «Quam sententiam omnes recentiores theologi in schola sine con»troversia sequuntur.» Sed ante probationem.

---

(1) Dist. 28, a. 3, sed contra, 2; et resp. dicend. et ad 4.—(2) Decr. pro *Arm.* —(3) Disq. VII, De saer. Ordinis, Thes. XIII, n. 88.—(4) De Matr. disp. 2, c. 10.

Nota. Matrimonium inter fidelem et infidelem esse jure ecclesiastico invalidum, non autem jure naturae, supponimus cum communi DD. sententia, adversus Chatarinum qui jure *divino* dicit esse invalidum. Proinde quaestio praesens in hypothesi procedit, quod Ecclesia in isto impedimento dispenset, nam apertum est, non posse Matrimonium invalidum esse simul verum sacramentum, et in hypothesi quod unus conjugum ad fidem convertatur.

86. Prob. Tridentinum (1) docet, instituisse Christum hoc sacramentum, ut «naturalem illum amorem (duorum conjugum) »perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque »sanctificaret.» Sed in uno tantum conjuge nequit hic Christi scopus compleri: ergo neque sacramentum potest in uno tantum conjuge perfici, cum ad hoc non fuerit institutum. *Min.* patet. Nam quod voluit Christus sanctificare, confirmare, ac indissolubile efficere, est essentialiter in utroque conjuge simul; ideoque nequit esse sanctum in uno et naturale in altero, firmum et insolubile in hoc, solubile in illo, hinc repraesentare unionem Christi cum Ecclesia, illinc minime.

Confir. 1.° Illud quod est materia et forma hujus sacramenti, ex aequo pertinet ad utrumque conjugem, ab utroque pendet, in utroque recipitur: si ergo ex altera parte nequit esse sacramentum, simpliciter sacramentum esse nequit. *Ant.* patet ex thesi praec. Nam ipsi conjuges, ut tendentes, vel actu ineuntes externis signis conjugium, constituunt Matrimonii sacramentum.

Confir. 2.° Matrimonium fidelis cum infideli non habet, ut dicemus, plenam indissolubilitatem: ergo non est sacramento confirmatum.

87. Obj. 1.° Innocentius Matrimonium infidelium sacramentum esse dicit.

Resp. De hac re vide quae supra, in thesi X, n. 72, dicta sunt; non enim de sacramento proprie dicto sermo est.

88. Obj. 2.° Ait Apostolus (2): *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Ex his deducit Catharinus, sufficere unum conjugum esse fidelem ut Matrimonium sit sanctum, seu sacramentum.

Resp. 1.° In his non est sermo de fideli contrahente cum infideli, de qua re praesens est quaestio; sed de conjuge qui ab infidelitate conversus est, cujus Matrimonium, utrum sacramentum fiat, infra dicendum.

Resp. 2.° Nego *consequentiam:* non enim sermo est de sanctifica-

---

(1) Sess. XXIV, Prooem.—(2) I Cor. VII, 14.

tione ex opere operato. seu sacramentali; sed agit Paulus de sancta conversatione conjugis fidelis, quae disponit alterum ad fidem, et filios perducere ad Baptismum debet, uti exponit Tertullianus (1): *Sancti sunt*, «quasi designati sanctitatis, et per »hoc etiam salutis.»

THESIS XIII.

Matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur, non videtur fieri sacramentum, eisque conferre gratiam.

89. **Nota.** I. Cum infideles conjuges convertuntur, non opus est, ut iterum coram parocho et duobus testibus contrahant; haec enim contrahendi forma pro fidelibus denuo contrahentibus est a Tridentino praescripta (2): at infideles conversi non contrahunt prius initum Matrimonium, sed perseverant in eo quod contraxerunt.

II. Auctorum doctrina de hac quaestione ad duas, vel potius tres pertinet opiniones. 1.ª tenet Matrimonium infidelium evadere verum sacramentum, cum post Baptismum renovant formaliter, vel virtualiter consensum, seu contractum: ita Bellar. (3), Capreolus, etc. 2.ª defendit, ipso facto Baptismi, absque novo consensu: sic Sanchez (4) etc. 3.ª denique censet, non posse effici sacramentum ejusmodi Matrimonium. Hanc tuetur Petrus de Ledesma (5), quam, dicit, defendi a multis discipulis D. Thomae; et Sanchez appellat valde probabilem; eamque late probat Vazquezius (6), et priorum rationes dissolvit.

90. Prob. 1.°, arguendo contra 2.ᵐ sententiam. Ut fiat sacramentum, opus est signo aliquo practico gratiae sacramentalis. Sed eo quod conjuges infideles suscipiant Baptismum, non habetur signum ullum practicum gratiae sacramenti Matrimonii: ergo eorum conjugium nequit evadere sacramentum. *Maj.* patet ex natura sacramentorum Novae Legis. *Min.* patet etiam: nam susceptio Baptismi solum significat gratiam regenerativam. Nec dicas: vinculum Matrimonii evadit per Baptismum vinculum duorum fidelium: atqui talis nexus jam eo ipso repraesentat unionem Christi cum Ecclesia: ergo. Nam ad hoc facile respondetur: dist. *min.* Talis nexus repraesentat speculative et remote; transeat. Practice; nego. Ut enim supra, cum doctrina communi, probatum est, non vincu-

---

(1) De *anima*, c. 30.—(2) Sess. XXIV c. 1.—(3) De Matr. l. 1, c. 5, in fine.—(4) De Matr. l. 2, d. 9.—(5) De Matr. q. 59, a. 2, d. 3.—(6) De Matr. d. 2, c. 10.

lum, sed effectio vinculi constituit materiam et formam, seu signum practicum hujus sacramenti, quatenus nempe conjuges tendunt exterius, et se actu tradunt ad societatem conjugalem; inde enim, sicut causatur vinculum, ita et gratia unitiva conjugum et vinculi confirmativa. Jam vero talis significationis practicae nihil exhibet Baptismus; ergo eo ipso quod suscipiatur, nequit accedere Matrimonio infidelium ratio sacramenti: sine forma enim et materia proxima sacramentum dari nequit.

91. 2.° adversus 1.^{m} opinionem. Ut fieret Matrimonium illud infidelium sacramentum, deberet formaliter, vel saltem virtualiter, fieri conjugalis contractus; id fatetur 1.^{a} opinio, quia in contractu duorum conjugum stat signum practicum, seu sacramentum. Sed talis contractus fieri non potest: ergo. *Minor* prob. Contractus verus non stat in verbis solis; sed in eo, quod ex consensu verbis expresso, aliqua obligatio et vinculum revera inducatur: sed nihil obligationis et vinculi inducere possunt conjuges legitime conjuncti, ex eo quod centies repetant et significent consensum; sicut, si millies, cum donaveris equum, dicas: tibi do, tibi do... Ergo.

Confir. Si sufficeret iterare formaliter, vel virtualiter, contractum jam initum, ad faciendum sacramentum, possent quotidie, imo centies in die, conjuges denuo sacramentum Matrimonii repetere, et novam gratiam recipere: nam, docente Tridentino, ea solum sacramenta repeti nequeunt, quae characterem imprimunt. Atqui nemo id excogitavit vel concedet. Ergo si Matrimonium iterari nequit, inde procedit, quia iteratio contractus est actus inanis, et nullius significationis practicae, adeoque nequit esse materia ac forma sacramenti.

92. Obj. 1.° Docuit Pius IX (1): «Inter fideles Matrimonium »dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum..., »ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari non posse.» Atqui daretur, aut dari posset Matrimonium fidelium quin esset sacramentum, si in conversione infidelium, non fieret eorum conjugium sacramentum: ergo.

Resp. Dist. *minorem* et simul expono sensum obvium ac genuinum *majoris*. Daretur fidelium Matrimonium ratione contractus, seu in fieri, quin esset sacramentum; nego *min.* vel etiam nego suppositum: agimus enim de Matrimonio quod factum et contractum fuit inter infideles conjuges. Daretur fidelium Matrimonium, id est vinculum conjugale, quod non esset sacramentum; conc. Verum tale vinculum, in infidelitate contractum, improprie dicitur Matri-

(1) Allocut. 27 sept. 1853.

monium fidelium; quemadmodum circumcisio a christianis in judaismo suscepta, improprie appellaretur christianorum circumcisio, quia character illius post conversionem perseverat. Jam vero agebat Pius IX de Matrimoniis fidelium, id est, quae inter fideles contrahuntur, seu de ipso foedere conjugali. Similiter et Leo XIII, qui in Litt. Encycl. (10 Febr. 1880) ait: «Christum D. effecisse ut »conjuges... sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur... Non »potest hujusmodi distinctio, seu potius distractio (sacramenti a »contractu) probari; cum exploratum sit in Matrimonio christiano, »contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non »posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso »sacramentum.» Quae quidem doctrinae intelligentia ex subjecta materia clare fluit: agunt enim Pontifices de illo regalistarum et naturalistarum, seu liberalium, errore, quem sic S. P. Leo XIII describit dicens: «Nec quemquam moveat illa tantopere a regalis»tis praedicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacra»mento disjungunt, eo sane consilio, ut Ecclesiae reservatis sacra»menti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque »principum civitatis.»

Atqui sicut apertum est, non posse in Matrimonio christiano validum fieri contractum praeter leges Ecclesiae, et tantum juxta leges civiles initum; ita certe constat, infideles verum Matrimonii contractum perficere posse, licet Ecclesiae legibus non subdantur: incassum proinde trahitur ad praesentem quaestionem doctrina illa Rom. Pontificum.

93. Obj. 2.° Consensus in Matrimonium perseverat moraliter in conjugibus infidelibus: ergo cum conversi ad fidem baptizantur, poterit consensus ille olim exterius manifestatus materiam et formam sacramento praebere. *Ant.* patet exemplis: consensus conditionatus, vel per procuratorem exhibitus, moraliter permanet, ita ut contractum et sacramentum perficiat, impleta conditione, vel procuratore contrahente: etiamsi tunc nihil de contrahendo Matrimonio conjux recordetur, vel etiam dormiat. Item: cum impedimentum dirimens dispensatur in radice, non oportet, ut validetur Matrimonium, consensum iterare; sed sufficit prior moraliter perseverans: hoc, quidem, plurimi negant, sed supponimus rem ita se habere.

Consequentia iisdem elucet exemplis: nam si in aliis circumstantiis efficax existit consensus moraliter permanens, cur similem efficaciam negabimus infidelium conjugum consensui, quem numquam fuisse retractatum supponimus?

Resp. Nego *consequentiam*. Exempla autem proposita nihil conficere, apertissimum est: in iis enim expositis casibus, cum in suspenso existat effectus, nihil obstat quominus tandem effectus mo-

ralis per causam moraliter durantem compleatur, et inde etiam aliqua significatio practica locum habeat. At consensus conjugum infidelium totum olim habuit suum possibilem effectum, cum Matrimonium contraxerunt: consequenter, sive tempore Baptismi permaneat moraliter, sive non, quod fuerit, vel non fuerit retractatus, nihil in praesenti potest efficere in ordine ad vinculum conjugale, et ideo nulla nunc habetur significatio practica, quae sacramentalis significationis materia existat, vel forma. Si enim, ut in probationibus dictum est, formalis repetitio consensus non sufficit, ut perficiatur sacramentum; quo pacto id praestare poterit consensus olim habitus et moraliter perseverans, nullumque habens in ea morali existentia effectum?

94. Obj. 3.° Matrimonium infidelium, accedente Baptismate, evadit ratum, majoremque assequitur indissolubilitatem. Sed ejusmodi indissolubilius vinculum, seu obligatio, potest esse objectum novi et efficacis consensus; ergo sufficiens materia, seu significatio practica, praesto existit ut illud Matrimonium evadat sacramentum.

Resp. Nego *min.* Est enim omnino falsa: sicut enim dissolubilitas Matrimonii infidelium, non ab inefficacia, vel limitatione procedebat consensus conjugalis, sed a dispensatione divina in favorem fidei concessa: ita, illa post Baptismum major indissolubilitas, non est effectus alicujus consensus, sed ab eo solum procedit, quod cum cessaverit causa dispensandi, ipsa et cessavit divina dispensatio. Unde nihil ad hunc effectum potest novus, vel prior moraliter permanens, praestare consensus: quemadmodum, cum alicui conditionata conceditur voti dispensatio, cessante conditione, cessat et dispensatio, urgetque tota voti obligatio, quin novum fiat votum, a quo talis effici possit obligatio. Quod potiori ratione in vinculo matrimoniali concedendum est, cum indissolubilitas vinculi nullo pacto a contrahentibus limitari unquam valeat.

THESIS XIV.

Sacramenti Matrimonii minister ipsi sunt contrahentes.

95. **Nota.** De ministro Matrimonii duplex habetur sententia; alii cum Cano, Estio, Sylvio, Tournely, etc. censent Sacerdotem esse ministrum, et quidem necessarium hujus sacramenti: ceteri, fere communiter, tum theologi, tum canonistae, docent non alium, praeter contrahentes conjuges, ministrare hoc sacramentum.

96. Prob. 1.° Florent. concilium (1) docet: «Septimum est »sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi »cum Ecclesia secundum Apostolum: causa efficiens Matrimo»nii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expres»sus.» Ex his arguimus. a) In perficiendis sacramentis minister exercet munus causae efficientis proprie dictae. Atqui contrahentium consensus est causa efficiens sacramenti Matrimonii: ergo contrahentes sunt ministri. *Maj.* patet. Nam ipsum concilium ait: «Haec omnia sacramenta (proinde et Matrimonium) tribus perfi»ciuntur, videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam for»ma, et persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione »faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perfi»citur sacramentum.» Patet igitur, ministrum esse necessarium, tamquam facientem, seu causantem extrinsece; res autem et verba, tamquam constitutiva, id est, intrinsecus causantia. b) Concilium tradit pro singulis sacramentis quis eorum sit minister; initio autem asserit, velle redigere «Ecclesiasticorum sacramentorum ve»ritatem pro ipsorum Armenorum faciliori doctrina.» Atqui si ipsi contrahentes non forent Matrimonii sacramenti ministri, omisisset quod pertinet ad ejus necessitatem, seu veritatem, et caruissent Armeni doctrina ad tale perficiendum sacramentum: ergo. Unde, his perpensis, non abs re colligit Vazquez (2): «Qua ratione »recte expensa, non dubitarem sententiae Cani notam aliquam »inurere, praesertim hoc tempore quo tota schola ei manifeste ad»versatur.»

97. Prob. 2.° Concil. Trid. (3) explicans quomodo differat Matrimonium naturaliter institutum, et ut a Christo elevatum, non aliam tradit differentiam, nisi quod Christus per gratiam, quam meruit, ejus «indissolubilem unitatem confirmavit, et conjuges »sanctificavit.» Sed Matrimonii naturaliter instituti non alia est causa efficiens et ministerialis praeter conjuges: ergo nec alia est causa, seu minister, Matrimonii, ut sacramenti, nisi ipsi conjuges.

98. Prob. 3.° a) Cum Matrimonium juxta leges civiles, at praeter leges Ecclesiae celebratur, neque est sacramentum, neque verum Matrimonium, sed impurus concubinatus: b) e contra, si contrahatur juxta Ecclesiae statuta et magisterium, tunc est necessario verum sacramentum, et Matrimonium. Atqui permittit aliquando Ecclesia absque Sacerdote a solis conjugibus contrahi Matrimonium: ergo. *Minor* patet: nam ante Tridentinum non erat praescriptum pro validate contractus ante Sacerdotem contrahere

(1) Decr. pro *Arm.*— (2) De Matr. d. 3, c. 4.— (3) Sess. XXIV, Prooem.

Matrimonium; post concilium autem neque requiritur ubi non fuerit promulgatum.

Major a) ergo prob. ex doctrina a Pio IX tradita (1) ad Matrimonium civile, uti dici solet, reprobandum. Primum describit Pontifex ejusmodi matrimonium dicens: «Nihil dicimus de illo alio »decreto, quo Matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate »omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata, »et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum potestate prorsus spreta »proponebatur.., ut Matrimonium tamquam civilis tantum contrac»tus haberetur:» deinde reprobat tale civile Matrimonium; «cum »nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit Matrimonium esse »vere et proprie unum ex septem sacramentis a Christo D. institu»tum, ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin »uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet »aliam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, »conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil »aliud esse posse *nisi turpem atque exitialem concubinatum;* ac »proinde a conjugali foedere sacramentum separari numquam »posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decer»nere, quae ad idem Matrimonium quovis modo possint pertinere.»

Major b) ex eadem elucet doctrina. Nam ideo illud civile Matrimonium non est sacramentum, estque *turpis concubinatus*, quia celebratur *tantum* ut *civilis contractus*, penitus spreta Ecclesiae in sacramentum idem potestate: ergo e contra, si celebretur Matrimonium juxta ea omnia, quae decernat Ecclesia, ad illud quovis modo pertinere erit necessario sacramentum.

Confir. Eamdem licet confirmare doctrinam ex litteris encyclicis Leonis XIII (2). Primum, describit et reprobat Matrimonia quae civilia dicuntur, et errorem liberalium ex quo orta sunt, scilicet: «Ut principibus reipublicae jus in connubia omne tribuerent, »nullum Ecclesiae esse decernerent. Hinc illa nata, quae Matrimo»nia civilia vulgo appellantur.» Secundo, vindicat legitimam in Matrimonium potestatem: «Igitur cum Matrimonium sit sua vi, »sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac »temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Eccle»siae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consi»deranda sacramenti dignitas est cujus accessione Matrimonia »christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem »statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet »Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam par»tem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.» Tertio, de-

(1) Consistor. 27 sept. 1852.—(2) *Arcanum.* 10 Febbr. 1880.

clarat non posse rationem contractus a ratione sacramenti dissociari: «Nec quemquam moveat illa tantopere a regalistis praedicata »distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjun»gunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti ratio»nibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum »civitatis. Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius dis»tractio probari; cum exploratum sit in Matrimonio christiano con»tractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non »posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso »sacramentum. Nam Christus D. dignitate sacramenti auxit Matri»monium; Matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit »factus jure. Huc accedit, quod ob hanc causam Matrimonium est »sacramentum, (nota bene) quia est sacrum signum et efficiens »gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi »cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur »summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conli»gantur, quodque aliud non est, nisi ipsum Matrimonium. Itaque »apparet, omne inter Christianos justum conjugium in se et per se »esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse »sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allap»sam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum »arbitratu queat.»

Patet igitur nullatenus posse negari *majorem* supra positam: a) cum Matrimonium juxta leges civiles tantum celebratum sit, neque est sacramentum, neque verum Matrimonium; b) e contra, si contrahatur juxta Ecclesiae statuta ac magisterium, tunc est necessario verum sacramentum et Matrimonium.

Nota. Aliae nonnullae pro hac thesi probanda afferri solent rationes, quas consulto praetermittimus, utpote parum efficaces, et facile solutioni obnoxias. Eadem de causa tertiam probationem paulo aliter elucidavimus, quam ab aliquibus exponi soleat AA.

99. Obj. 1.° Verba Florentini «Causa efficiens...» possunt ad Matrimonium, ut contractum, referri; ergo nihil de ministro decernunt sacramenti.

Resp. Nego *ant.* Mirum sane id foret, voluisse concilium docere, quis sit contractus minister et causa, de qua re nemo unquam dubitare potuit; de ministro autem sacramenti tacuisse, cum praemisisset, velle doctrinam de sacramento tradere.

Obj. 2.° Sacramenta, juxta Florent., constant verbis tamquam forma. Sed contrahentes Matrimonium possunt valide uti solis nutibus, non verbis: ergo requiritur minister alius verba formae proferens.

Resp. Dist. *maj.* Constant verbis, vel signis aequivalentibus, juxta sacramenti naturam; conc. Aliter; nego. Nam contractus so-

lent etiam alis nutibus perfici: jam vero hoc sacramentum ipse est matrimonialis contractus, ut saepe dictum est.

100. Obj. 3.° S. Paulus ait (1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo Matrimonii, ut sacramenti, sóli Sacerdotes sunt ministri.

Resp. Dist. *maj.* seu explico: in ministeriis hierarchicis, et illis mysteriis, quae consecratum postulant ministrum; conc. In quovis ministerio; nego. Sic ex. gr. potest valide, et nonnumquam licite a laicis ministrari Baptismus: in Matrimonio autem, cum conjuges non mere passive, sed etiam active unionem Christi cum Ecclesia exhibere debeant, convenienter iisdem non tantum contractus administratio, quae naturaliter ad eos pertinet, sed etiam sacramenti committitur.

101. Obj. 4.° Tridentinum (2) praescribit ut Parochus dicat conjugibus contrahentibus: «Ego vos in Matrimonium con»jungo, in nomine Patris, et Filii, et Sp. Sancti.» Sed haec verba esse falsa vel inania non est dicendum: ergo vere conjungunt tamquam forma sacramenti, et Parochus est verus minister.

Resp. Dist. *maj.* Ea praescribit verba quasi necessaria; nego. Juxta consuetudinem et ritum cujusque loci; conc. Dein, concessa *min.*, dist. *consequens.* Vere conjungunt tamquam forma, videlicet, tamquam testificantia formae effectum; conc. Quasi ipsa formam exhibeant; nego. Quemadmodum testes alicujus contractus dici possunt illum perficere, quia ad ejus robur cooperantur; ita absque falsitate dicit Parochus: «ego vos conjungo...»

Obj. 5.° Patres benedictioni nuptiarum a Sacerdotibus impertitae efficaciam sanctificationis tribuunt: sed nisi esset Sacerdos sacramenti minister, ejus benedictio non sanctificaret: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Tribuunt efficaciam ex opere operato; nego. Ex opere operantis, ad modum sacramentalium, quia scilicet nomine Ecclesiae deprecantur; conc. Et contradistincta *minore*, negatur *conseq.*

Obj. 6.° In nonnullis Ritualibus verba illa sacerdotis: «Ego vos »in Matrimonium conjungo...» forma sacramenti dicuntur; ergo et ipse sacerdos est minister.

Resp. Dicuntur forma in sensu proprio; nego. Analogia quadam; conc.

102. Obj. 7.° S. Thomas (3) ait: «Matrimonium, secun»dum quod est in officium naturae, et Poenitentia, secundum quod »est virtus, non habent aliquam formam verborum: sed secundum »quod utrumque est sacramentum, *in dispensatione ministrorum*

---

(1) I Cor. IV, 1.—(2) Sess. XXIV, c. 1.—(3) 4, Dist. 1, Q. 1, a. 3, ad 5.

»*Ecclesiae* consistens, utrumque habet aliqua verba.» Ergo ministri Ecclesiae, seu Sacerdotes, dispensant Matrimonium, illorumque verba sunt ejusdem forma.

Resp. Nego *conseq.*, cujus falsitas elucet ex verbis quae immediate S. Doctor subjungit: «Utrumque habet aliqua verba; sicut in »Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, et iterum bene»dictiones ab Ecclesia institutae; in Poenitentia autem est absolu»tio Sacerdotis verbo tenus facta.» Haec omittit Canus cum suis, cum tamen exinde eluceat obvius sensus prioris sententiae, scilicet, verum et essentialem ministrum esse illum qui verbis consensum declarat; verba autem benedictionis sacerdotalis esse institutionis ecclesiasticae, ideoque accidentalia, ut explicite tradit, in 4. dist. 26, Q. 2, a. 1, ad 1.

Inst. Ipse D. Thomas (1) probat, Matrimonium esse sacramentum, dicendo: «Ea autem quae populo per ministros Ecclesiae »dispensantur, sacramenta dicuntur.» Ergo.

Resp. Dist. et explico. Haec dixit de dispensatione Matrimonii, quoad substantiam; nego. Quoad solemnitatem; conc. Tamquam signum, ut notat commentator Ferrariensis, quod non esset Matrimonium civilis tantum ac profanus contractus, sed aliquid sacrum, hanc tradidit rationem, nempe, quod dispensatur per Ecclesiae ministros; quam interpretationem, ibidem post illa verba, clare indicat: «Matrimonium igitur, secundum quod consistit in »conjunctione maris et feminae intendentium prolem ad cultum Dei »generare et educare, est Ecclesiae sacramentum: unde et quae»dam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae adhibetur.» Quibus clare distinguit id quod est substantiale, ab eo quod accidentaliter adjicitur: sacramentum est ipsa conjunctio maris et feminae; benedictio autem est quoddam consectarium ad majorem sacramenti solemnitatem adhibitum.

103. Obj. 8.° Cum non opus erat solemnitate a Tridentino praescripta ad validum Matrimonium, docebant juristae, transire sponsalia in verum Matrimonium per copulam affectu maritali factam. Ergo si ipsi contrahentes sunt sacramenti ministri, peccato fiebat sacramentum, nempe, copula, tamquam signo sacramentali: sed peccatum nequit esse signum sacrum; ergo.

Resp. Dist. *ant.* Per copulam praecise inspectam sponsalia fiebant Matrimonium; nego. Quatenus alia affectus maritalis signa copulam comitabantur, idque conjecturaliter supponebant juristae; conc. *ant.* et distinguo *consequens*. Peccato comitante fiebat sacra-

(1) L. 4, contra Gent. c. 78.

mentum; conc. Peccato perficiente; nego. Sane non repugnat quod indigne et sacrilege aliquod perficiatur ac suscipiatur sacramentum, puta, Baptismus, vel Eucharistia; ideoque et in Matrimonii susceptione id poterit evenire.

CAPUT III.

De proprietatibus, quae matrimonium consequuntur.

ARTICULUS I.

De unitate Matrimonii.

THESIS XV.

Per se licitum est ac honestum successive plures contrahere nuptias, prioribus per mortem alterius conjugum solutis.

104. **Nota** I. Antiqui haeretici hanc catholicam negarunt doctrinam, uti refert Augustinus de montanistis (1). Hunc errorem secutus est Tertullianus (2) increpans catholicos, et tribuens vitio luxuriae secundas et ulteriores nuptias.

II. Dicimus in thesi, per se licitas esse secundas et ulteriores nuptias; nam ex Ecclesiae disciplina possent prohiberi. Et quidem in Ecclesia graeca, a decimo seculo, quartae numquam conceduntur nuptiae, ita ut invalide contrahantur; tertiae vero nonnisi in quibusdam circumstantiis permittuntur.

105. Prob. 1.° Paulus ait (3): *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat.* Haec facultas est illimitata, cum non dicat, «vir pri»mus, vel secundus.» Quapropter jure arguebat Augustinus (4): «De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis so»lent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respondeam, »nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerosi»tatis afferre... Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec

(1) De *Haeres.* c. 26.—(2) De *Monogam.* c. 1.—(3) 1 Cor. VII, 39.—(4) De *Bono viduit.* c. 12.

»Apostolum video definivisse? ait enim: *Mulier alligata est, quam-»diu vir ejus vivit.* Non dixit primus; aut secundus; aut tertius; »aut quartus... Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem atti-»neat, addi vel detrahi possit, ignoro.»

2.° Innocentius II (Ep. ad Ottonem legat.) praescripsit: «Quia vero, secundum Apostolum, mulier, mortuo viro, »ab ipsius est lege soluta... secundas et tertias ac ulteriores etiam »nuptias graeci non reprehendant aliquatenus, nec contemnant, »sed potius illas approbent.» Quod mandatum confirmavit, in Decreto pro *Jacobitis*, Eugenius IV. Scilicet, noluerunt Roman. Pontifices, ut lex graecorum prohibens tertias et quartas nuptias, ullam haberet vim in illis regionibus ad Patriarchatum Romanum pertinentibus.

106. 3.° Ambrosius (De *viduis*, c. 11) ait: «Non prohibe-»mus secundas nuptias; sed non probamus saepe repetitas; neque »enim expedit quidquid licet; *omnia mihi licent*, dicit Aposto-»lus, *sed non omnia sunt utilia.* Et vinum bibere licet, sed pluri-»mum non decet.» S. Hieronymus (1): «Ego etiam nunc »libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam; imo »trigamiam: et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo et se-»cundo marito nubere; sed quomodo non damnantur istae nuptiae, »ita non praedicantur. Solatia miseriae sunt, non laudes continen-»tiae.» Gregor. Naz. (2): «Anne juvenibus quidem viduis, »propter aetatis lubricum, ineundi matrimonium potestatem facis? »At Paulus hoc facere minime dubitavit... Verum, inquis, haec »minime post Baptismum. Quo argumento id confirmas? Aut rem »ita se habere proba: aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res »dubia est, vincat humanitas et facilitas.»

107. 4.° Ratione etiam, qua supra utitur Gregor. Naz., patet, non esse illicitas secundas, imo et saepe repetitas successivas nuptias. Oportet, ut aliquid sit illicitum, quod lege aliqua positiva, vel naturali prohibeatur: «Aut rem ita esse proba, aut si id nequis, »ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facili-»tas.» Atqui lex positiva divina, vel humana, nulla profertur: lex naturalis nullatenus vetat; ergo. *Min.* prob. Quod nulla exhibeatur lex positiva, experientia testatur. Quod non opponatur connubii iteratio naturali legi, patet: nam iteratum connubium, per se, non minus ducit ad finem Matrimonii, quam primum: ergo nullam prae se fert intrinsecam inordinationem. Priori autem conjugio nullam infert injuriam; non enim amplius existit, soluto vinculo per alterius conjugis mortem.

---

(1) Ep. ad *Pammach.* n. 18.—(2) Or. 39, nn. 18, 19.

108. Obj. 1.° Ecclesia graeca secundas non concedit nuptias, nisi poenitentia imposita, majori autem pro tertiis: ergo non sine peccato contrahi existimat.

Resp. Dist. *ant.* Imposita poenitentia proprie dicta; nego. Late sumpta, scilicet, pro satisfactione aliqua, quatenus parum continentes se exhibere videntur; conc.

109. Obj. 2.° Gregorius Naz. (2) ex Apostoli verbis *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*, infert: «Hoc sermone secundas nuptias mihi dissuadere vide»tur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, et duae uxo»res: si autem unus Christus, unum Ecclesiae caput, una caro sit, »secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat, de tertia »quid dicendum? Primum lex est, secundum venia, tertium iniqui»tas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est, utpote »ne multa quidem vitii exempla habens.»

Resp. Dist. et expono: haec dicit Gregorius hypothetice et oratoria arte ad suadendam continentiam; conc. Dixit absolute et proprio sensu; nego. Hoc pacto locutum Gregorium ex contextu elucet. Ait enim: «Si secundam prohibeat, de tertia quid di»cendum?» Atqui secundam non prohiberi, ut rem plane certam ipse tuebatur adversus Novatum, ut in thesi dictum est. Praeterea, ipse sanctus, primum sub dubio aiebat: «Secundas nuptias mihi »dissuadere videtur:» quod sane verissimum est, quatenus omnes ad continentiam, quae perfectior est, hortatur Apostolus. Ergo cum postea dicit, prohibere Paulum secundum; tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, etc.: nihil aliud sensu proprio intendit, quam istos a perfecta continentia multo magis recedere. Insuper, ii qui tot nuptiis copulantur, suspicionem ingerere videntur, quod se concupiscentia abripi sinant, quod sane reprehensibile est, ac venia et poenitentia dignum.

THESIS XVI.

Polygamia simultanea legi divinae positivae opponitur; necnon naturali, scilicet, quoad praecepta secundi ordinis.

110. **Nota.** I. Monogamia dicitur conjunctio unius cum una, et polygamia, e contra, unius cum pluribus uxoribus; polyandria est conjunctio unius mulieris cum pluribus viris.

II. Omnes consentiunt, polyandriam simultaneam juri naturae adversari, et quidem, ratione finis principalis Matrimonii: nam fe-

(1) Or. 37, n. 8.

cunditati opponitur, et prolis educationi, nec non subjectioni, quam uxori indicit lex naturalis erga maritum. De polygamia et polyandria successiva egimus in praecedenti thesi, et nunc de polygamia simultanea sermo est.

III. Pars 1.ª theseos est doctrina catholica certo adversus Lutherum tenenda: 2.ª autem est communissima, et jure ut certa defenditur.

111. I.ª pars prob. 1.° Tridentinum docet (1): «Si quis di»xerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla »lege divina esse prohibitum; anath. sit.» Unde, fide tenendum polygamiam legi divinae opponi, naturali vel positivae.

2.° Ex constanti Ecclesiae consensu idem elucet: numquam enim permisit, numquam dispensavit Ecclesia in hac lege; etiam exigentibus potentibus Principibus et gravissima in Ecclesiam intentantibus mala, noluit hujus legis infractionem tolerare: ergo divinam esse semper judicavit. Confir. Innocentius III (2) docuit: «Sane veridica haec sententia probatur etiam de testimo»nio Veritatis testantis in Evangelio: *Quicumque dimiserit uxorem »suam ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Si ergo uxo»re dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta: per »quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad »imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.»

112. 3.° Christus D. (3) a judaeis interrogatus de liceitate repudii, ad primitivam institutionem Matrimonium revocavit, dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Unde: Christus praescripsit celebrandum Matrimonium, prout fuit ab initio institutum: sed instituit Deus conjugium unius cum una: ergo. *Major.* patet; nam cum judaei opponerent primae illi institutioni permissionem Moysis de repudio, Dominus declaravit: *Ab initio non fuit sic,* et consequenter, non licere.

Confir. a) Item ait Christus (4): *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur.* Ergo vivente prima, non licet ducere alteram.

Confir. b) S. Paulus aequale jus habere ad invicem utrumque conjugem docet (5). Atqui ait (6): *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro:* ergo pariter, si vir fuerit cum alia muliere. Deinde: numero singulari semper de utroque

---

(1) Sess. XXIV, can. 2.—(2) C. 8, de Divortiis.—(3) Matth. XIX, 4-6.—(4) Luc. XVI, 18.—(5) I Cor. VII, 3, 4, 5.—(6) Rom. VII, 3.

agit conjuge, et de liceitate agens Matrimonii inter christianos, ait (1): *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat. et unaquaeque suum virum habeat.*

113. 4.° Pontifices ac Patres hanc tradiderunt doctrinam. Nicolaus I (2) ait: «Duas tempore uno habere uxores nec ipsa ori»go humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla per»mittit.» PP. Conc. Milevit. 1, can. 17, decreverunt: «Placuit »ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam nemo di»missus ab uxore. neque dimissa a marito, alteri conjungantur; »sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.» Et conc. Triburiense, can. 38: «Paternam sequentes auctoritatem... statuimus; »ut quisquis liber libertam... legitime in Matrimonium duxerit, »quamdiu illa vivat, nullam accipiat.» Augustinus (3): «Mu»lier alligata, quamdiu sive moechus, sive castus vir ejus vivit, »moechatur, si alteri nupserit; et vir alligatus, quamdiu sive moe»cha, sive casta uxor ejus vivit, moechatur, si alteram duxerit.» Id confirmat evangelicis verbis: *Omnis qui dimittit uxorem...* (Luc. XVI, 18). S. Jo. Chrysostomus (4) ait: «Tunc (Patriar»charum tempore) quia principia erant, permissum fuit cum dua»bus, vel tribus, vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus »propagaretur. Nunc vero quia per Dei gratiam humanum genus »valde multiplicatum est, virtus quoque incrementum accepit: ad»veniens enim Christus, et virtutem in hominibus plantans, An»gelos, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem »consuetudinem abolevit.» Ambrosius (5): «Vinctus es uxori, »noli quaerere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxo»rem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est »adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege »quaerendam.» Excusans autem Abraham, quod accepit ab ancilla filium, dicit, quod hoc «ante Evangelium fuit;» innuens aperte in Evangelio nunc prohiberi. Clemens Alex. (6): «Dominus, dum vetera renovat, non amplius concedit polyga»miam, sed monogamiam introducit...» Tertullianus (7), dum erat catholicus, quale esse debeat omnis christiani conjugium. docebat: «Christianus uxori suae soli masculus nascitur.»

His positis, elucet, non posse sine errore defendi Cajetani opinationem, quod nulla existat divina prohibitio de pluralitate uxorum: qua de re, vide Sanchez (8).

114. II.ª pars. **Nota.** Utrum ante Evangelium extiterit lex divi-

---

(1) I Cor. VII, 2.—(2) Consult. *Bulg.* c. 51.—(3) De *conjugiis adulter*, l. 2, c. 13.—(4) Hom. 56 in Gen.—(5) De Abrah. l. 1, c. 7.—(6) *Strom.* l. 3, c. 12.—(7) *Apolog. pro Christ.* c. 46.—(8) De Matr. l. 7, disp. 80.

na naturalis vel positiva, polygamiam prohibens, non ita constans est Doctorum sententia. Aliqui cum Durando, Gersonio, Cajetano, etc., negant. Alii, e converso, putant ita legi naturali adversari, ut nullo modo possit verum Matrimonium cum pluribus uxoribus iniri. Verum communior sententia tenet; non quidem opponi polygamiam primis legis naturalis principiis, quibus numquam exceptio fieri valet; sed iis conclusionibus, quae sunt quidem supra cujusvis creaturae potestatem, subduntur tamen dominio creatoris, uti occisio innocentis, etc.: scilicet, damnum quod naturae irrogatur per uxorum pluralitatem, potest a Deo naturae humanae auctore et domino compensari, vel etiam dispensari, et inde polygamiam permittere; homines vero, cum illo non fruantur dominio, dispensare nequeunt.

115. Prob. 1.° Cum prohibuit Christus ducere aliam uxorem, priore viventi, deduxit Matrimonium ad primaevam institutionem (1): *Ab initio*, ait, *non fuit sic. Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Atqui, ut supra diximus (2), institutio Matrimonii, divina quidem fuit, sed naturalis: ergo et monogamia est de jure naturali. Et quidem, sola natura et creatione sexuum perspecta, protulit Adam sententiam illam: *erunt duo in carne una*.

116. 2.° Traditio mutua conjugum ac dominium in ordine ad generationem non praecedit, sed consequitur vinculum conjugale, seu essentiam Matrimonii, ut explicatum fuit (3); ideoque illa dominii traditio est a Deo, Auctore naturae. Ergo sicut tale vinculum est naturale, a solo Deo dependens, aequale et unum in utroque conjuge; ita dominium mutuum in ordine ad generationem est naturale unum et aequale et a solo Deo, non a conjugibus dependens et limitabile.

3.° Finis est etiam Matrimonii honesta amicitia conjugum, et mutua bonorum communicatio. Sed haec non coeunt per se, seu juxta communiter accidentia, cum pluralitate uxorum: ergo. *Min.* factis et exemplis elucet, etiam in illis sanctis uxoribus patriarcharum; deinde, singulis uxoribus videtur subtrahi ac denegari amorem, qui aliis impenditur, cum cordis affectus sit limitatus, et dum in unum calescit objectum, in alia frigescit.

117. 4.° Teste Paulo (4): *Sui corporis vir potestatem non habet, sed mulier*. Ergo si plures uxores petant quod suum est, omnibus vir tenebitur satisfacere; quod repugnat.

5.° Si sola evangelica lege vetita est polygamia, libera erit infidelibus, non enim Evangelio subduntur, nisi suscepto Baptismo.

---

(1) Matth. XIX, 8, 5, 6.—(2) Th. I.—(3) Thes. VIII.—(4) 1 Cor. VII, 4.

Atqui tenet Ecclesia ad monogamiam adstringi infideles, et invalide contrahere cum pluribus, et inde separandos conjuges cum convertuntur; ergo.

Unde hanc defendunt doctrinam D. Thomas, D. Antoninus, Bellarminus, Valentia, Sanchez, Suarez. (1), etc. Quae sane sententia, pace paucorum illorum DD., qui eam negari posse putarunt, videtur certa dicenda. Praeter rationes enim expositas, aperte illam confirmat Innocentius III (2): «Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores ha»bere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.» Igitur semper jure divino fuit prohibitum plures simul habere uxores: atqui nullum invenitur jus divinum positivum ab initio latum; ergo fuit jus naturale.

118. Obj. 1.° Dominus non dixit absolute, adulterum esse qui secundam ducat uxorem; sed *quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam;* ergo secundae nuptiae non prohibentur, sed quod prior uxor injuste dimittatur. Ita Cajetanus.

Resp. 1.° Negatur *conseq.* Quia malitia adulterii in hoc stat, quod habens uxorem accedat ad non suam; si autem secundae nuptiae licerent, non plus illis obstaret uxor dimissa, quam uxor non dimissa: si enim permanentia prioris uxoris non obstat quod altera evadat sua et legitima, multo minus obstabit illius dimissio et absentia. Alias facile foret viro iniquo eam adulterii malitiam praecavere; scilicet, ducendo secundam uxorem, et ea legitime ducta, tunc priorem dimittere. Unde verius arguisset Cajetanus, si, juxta communem interpetrationem, cum Innocentio III dixisset: «Si ergo, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius »et ipsa retenta.»

Resp. 2.° Explico sensum verborum Christi. Non propter injustam reprobandam dimissionem ea verba dixit Dominus: hoc enim clare et absolute fecerat; *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet:* sed quia spes aliam accipiendi uxorem poterat ad divortium potissimum allicere, adjunxit esse prorsus illicitas et adulterinas secundas nuptias.

119. Obj. 2.° Ob finem generationis institutum est Matrimonium. Sed si fuerit prima uxor sterilis, solum per secundas nuptias generatio perfici poterit: ergo tunc priores non excludunt, sed exigunt potius ulteriores.

Resp. dist. *maj.* Unice ob finem generationis, vel propter illum necessario assequendum; nego *maj.* Propter generationem libere,

---

(1) De legib. l. 2, c. 12.– (2) Cap. *Gaudemus*, de Divortiis.

et non unice, perficiendam; conc. Deinde *minorem* conc., et dist., *consequens*. Non excludunt primae nuptiae, sed exigunt secundas, ratione finis secundarii Matrimonii; nego *conseq*. Perpenso fine principali; subd. Non excludunt alias nuptias; trans. Eas exigunt; nego: nam, ut diximus, non est actualis generatio necessaria.

120. Obj. 3.° Augustinus (1) excusat Patriarchas, quod plures duxerint uxores, quia tunc non erat contra legem, neque contra consuetudinem. Sed legi naturali non potest per ullam consuetudinem derogari: ergo polygamia non opponitur juri naturae.

Resp. Dist. *maj*. seu explico. Praesupposita divina dispensatione, excusantur Patriarchae ratione consuetudinis; conc. Aliter; nego.

Inst. Quae legi naturali adversantur sunt intrinsece mala, et nequeunt a Deo dispensari; uti lex prohibens blasphemiam, etc. Ergo vel polygamia non opponitur juri naturae, vel nulla a Deo habetur de illa dispensatio.

Resp. dist. *ant*. Quae universim naturali legi adversantur, seu ratione principiorum legis naturae, nequeunt a Deo dispensari; conc. Quae partim tantum, seu quoad aliquam remotam conclusionem, legi naturali opponuntur, non possunt divinitus dispensari; nego.

Nempe, si id quod legi naturae opponitur, excludat ordinationem creaturae ad Deum, finem omnium supremum et necessarium, nequit ullo modo dispensationi subesse: si autem solum adversetur, quia bonum naturae particularis excludit, poterit sane a Deo, auctore et Domino cujusvis creaturae et bonitatis ipsius, lex illa dispensari; vel potius materiam legis ita immutare, ut non amplius legi naturae adversetur. Jam vero Matrimonium est naturalis contractus, et in bonum naturae institutum: nequeunt ergo homines naturam immutare Matrimonii, cum iis humana natura non subdatur. Deus autem naturalem contractum immutando, vel nullum malum naturae infert, quia potest bono ipsius aliter providere, vel si nocumentum aliquod inferat, non est injustus, quia supremus est naturae Dominus.

---

(1) De *Bono conjug.* c. ult,

SCHOLION I.

De divina dispensatione in polygamia.

121. Ex dictis infertur, non esse probandam eorum AA. sententiam, qui putarunt, adeo legi naturali opponi polygamiam simultaneam, ut neque divinitus legitima fieri valeat; ita ut antiqui Patriarchae peccaverint, nisi eos excusaverit ignorantia, plures ducendo uxores. Nam praeterquam quod Innocentius III explicite dicat divinam factam fuisse dispensationem, et SS. Patres passim doceant, illos ea in re non peccasse; responsionibus factis ostenditur, dispensationem legis illius non esse impossibilem. Neque his obstat, quod secundae uxores nonnumquam, in SS. Litteris, concubinae appellentur: non enim haec vox eamdem, quam nunc communiter prae se fert, habet significationem. Honoris namque causa, vel ratione auctoritatis qua in domo fruebantur, in duos ordines distinguebantur uxores, et quae ad inferiorem pertinebant, concubinae communius dicebantur; licet legitimae essent uxores, et subinde etiam hoc nomine insigniuntur et absolute appellantur.

SCHOLION II.

Quando ea coeperit dispensatio.

122. Quando coeperit ejusmodi dispensatio, et quibus fuerit concessa, non clare liquet. Alii censent ante diluvium locum habuisse: verum nullum datur hujus opinionis sufficiens judicium; Noë quidem et ejusdem tres filii unam tantum singuli habebant uxorem. Tempore Abrahae, cum populum electum coepit Deus sibi segregare, eam dispensationem fuisse primum Patriarchis inspiratam verisimilius dicitur. Utrum autem ad solum Dei populum, vel etiam ad ceteras concessa fuerit gentes, dissentiunt AA. Sanchez, Estius et alii defendunt, non fuisse largitam; tunc enim potius legis illius naturalis abrogatio, quam dispensatio facta fuisset. Et quidem, rationes quae solent pro ea licentia cohonestanda afferri, non fuisse illimitate concessam suadere videntur. Alii tamen cum Bellarmino putant, polygamiam omnibus fuisse Gentibus permissam.

SCHOLION III.

Quando abrogata.

123. Verum postquam Christus Dei Filius ad primitivam et naturalem institutionem Matrimonium revocavit, fateri necessum est, polygamiam simultaneam pro omnibus esse abrogatam: sublata enim dispensatione, vim suam erga omnes lex naturalis necessario exercet.

ARTICULUS II.

De indissolubilitate Matrimonii.

THESIS XVII.

Matrimonii vinculum est jure divino indissolubile, et quidem naturali; scilicet, quatenus jus naturae respicit secundi ordinis praecepta.

124. **Nota** I. Dicimus indissolubile, quatenus nequeunt ipsi contrahentes a Matrimonio recedere, quod aliqui vocant indissolubilitatem intrinsecam; et quatenus nulla humana potestas tale potest vinculum dissolvere, nisi accepta a Deo potestate; quam quidem dari posse, imo et fuisse concessam deinde elucebit. Proinde, quo pacto jus naturae hic intelligitur, vide superius (1).

II. Inter catholicos certum omnino est, saltem indissolubile esse jure divino Matrimonium consummatum: verum de rato etiam id tenendum, deinde paucis vindicabimus. Illud dicitur consummatum, quod in actum conjugalem, seu copulam, deductum est: ratum autem est Matrimonium inter fideles, ante consummationem; quod si conjuges sint infideles, non ratum, sed legitimum dicitur; non enim tanta donatur firmitate.

125. I.ª pars prob. 1.° Tridentinum (2) docet: «Matrimonii »perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis »parens, divini Spiritus instinctu, pronuntiavit cum dixit: *Hoc »nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: quamobrem relinquet »homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo »in carne una.* Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et con»jungi (en monogamiam), Christus Dominus apertius docuit, cum

(1) Th. XVI, in praenot. partis. II.—(2) Sess. XXIV, Prooem.

»postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens, dixit: *Itaque »jam non sunt duo, sed una caro.* Statimque ejusdem nexus firmita»tem ab Adamo tanto antea pronuntiatam, his verbis confir»mavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*» Quam apertum et ineluctabile sit hoc testimonium facile vides. Nexum perpetuum et inelissolubilem Matrimonii pronuntiatum instinctu divino: deinde, a Christo confirmatum: et quidem, duplici titulo confirmatum: a) attestante Christo, quod tale vinculum est a Deo: *quod Deus conjunxit;* et b) ipso Domino iterum mandante: *homo non separet.*

2.° Secunda ratio sit, hoc ipsum a Christo D. editum mandantum (1): *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Jam vero Christi praeceptum jus creat divinum: ergo. Ex eo etiam mandatum Christi patet, quod, opponentibus Pharisaeis legem Moysis concedentis repudiandi uxorem facultatem, respondit illis: *Ab initio non fuit sic;* etc. Item Paulus (2): *His qui Matrimonio juncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus: uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat.*

126. 3.° S. Jo. Chrysostomus, Christi responsionem ad Phariseos expendens, ait (3): «Deinde quia id quod dixerat one»rosum erat, admodumque illos carpebat, ad veterem rursus legem »sermonem cito transfert, repetens id quod supra dixit: *A principio »autem non fuit sic;* id est, quia ex rebus ipsis contraria Deus a »principio statuit. Ne dicerent enim: Unde palam nobis erit, ob du»ritiam nostram hoc dixisse Moysem? hinc illos rursum com»primit. Nam si haec lex praecipua, utilisque fuisset, non illa alia »a principio data fuisset; nec sic efformasset Deus, neque talia di»ceret.» Vide et Augustinum supra, in Thes. XVI, n. 113. Ambrosius aperte loquitur (4): «Dimittis ergo uxorem quasi »jure, sine crimine; et putas tibi licere quia lex humana non prohi»bet: sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum vere»re. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: »*Quae Deus conjunxit, homo non separet.*» Bonifacius VIII (5) docet: «Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiae capite rerum om»nium conditore, ipsum in paradiso et in statu innocentiae insti»tuente, unionem et indissolubilitatem accepisse.» Aliis denique praetermissis testimoniis, Leo XIII (6) docet: «Illa viri et mulie-

---

(1) Marc. X, 9.-(2) 1 Cor. VII, 10, 11, 39.-(3) Hom. 62. (a. 63), in Matth.—(4) In Luc. l. 8, n. 5.—(5) 6 Decr. l. 3 tit. 15, de *voto et voti adimpl.*—(6) Encycl. *Arcanum.*

»ris conjunctio (Adae et Evae) duas potissimum... prae se »tulit proprietates, nimirum, unitatem et perpetuitatem. Idque de- »claratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divi- »na Jesu Christi auctoritate; qui judaeis et Apostolis testatus est, »Matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse »debere; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum »sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quo- »piam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit uxo- »ri suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una »caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*»

127. II.ª pars. **Nota**. Nonnulli AA. putarunt Matrimonii indissolubilitatem ex jure tantum divino positivo procedere, cum permiserit Deus in veteri lege, dare libellum repudii: ita Abulensis. Alii, quoad Matrimonium ratum, dixerunt, esse indissolubile solum ex jure ecclesiastico: sic Medina, et nonnulli alii. Verum improbabiles esse has opiniones censemus.

128. Prob. 1.° Pius IX (1) propositionem hanc proscripsit: «Jure naturae Matrimonii vinculum non est indissolubile.»

2.° Indissolubilitas convenit Matrimonio ex ejusdem a Deo institutione. Atqui haec institutio est juris divini naturalis; ergo. *Maj.* patet ex doctrina Tridentini, Bonifacii VIII, Leonis XIII, Chrysostomi, et Ambrosii, in I.ª parte Thes. tradita. *Min.* probata fuit supra (2).

129. 3.° Adam divino instinctu pronuntiavit indissolubilitatem Matrimonii: et quidem non aliud tunc positivum a Deo erat praeceptum, nisi de fructu arboris non edendo: ergo jure naturae erat indissolubile Matrimonium.

130. 4.° Matrimonium est naturae complementum in ordine ad ejusdem propagationem principaliter, et ad mutuam bonorum et officiorum communicationem secundario. Sed quod ad naturam pertinet, debet, ut ipsa natura, esse permanens: ergo et Matrimonium semel initum debet esse permanens natura sua, seu indissolubile. *Major* elucet ex dictis superius (Th. I et IV). Ad rem Chrysostomus: «Neque simpliciter mulierem ad virum addu- »xit, sed jussit et matrem et patrem relinquere. Neque mulierem ac- »cedere tantum jussit, sed et illi adhaerere; ex modo dicendi, dis- »jungi non posse declarans. Neque id satis habuit, sed et aliam ma- »jorem conjunctionem exquisivit: *erunt duo in carne una*, inquit... »Sicut ergo carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere ini- »quum. Neque hic stetit, sed Deum quoque attulit dicens: *Quod ergo*

---

(1) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Aug. 1851; et in Syll. prop. 67.—(2) Th. I.

»*Deus conjunxit, homo non separet;* ostendens illud et contra naturam »et contra legem esse: contra naturam, quia una caro dissecatur; »contra legem, quia, cum Deus conjunxerit et jusserit non separa- »re, vos id facere tentatis (1).»

5.° Per Matrimonium efficitur potentia, seu actualis et completa virtus ad bonum speciei humanae per se directe ac principaliter pertinens. Atqui solus Deus dominium habet in humanam speciem, ut possit ei nocumentum aliquod inferre: ergo a solo Deo dissolvi potest Matrimonium, ideoque est naturaliter indissolubile. *Major* patet. Nam a) solum per Matrimonium potest humana species honeste et legitime conservari et propagari: ergo ejusmodi naturalis contractus pertinet per se, directe ac principaliter ad bonum speciei humanae. b) Perspicue id explicat Ambrosius (2): «Verum si consideres, quia Deo universitatis est cura, invenies »plus placere Domino debuisse id in quo esset causa universitatis, »quam condemnandum fuisse id in quo esset causa peccati. Et ideo »quia ex viro solo non poterat humani generis esse propagatio, pro- »nuntiavit Dominus, *non esse bonum solum esse hominem... Facia- »mus, inquit, ei adjutorium simile sibi.* Adjutorium ad generatio- »nem constitutionis humanae intelligamus.» c) Clare etiam confirmat D. Thomas (3): «Matrimonium principaliter ordinatur »ad bonum commune, ratione principalis finis, qui est bonum pro- »lis.» *Minor* etiam perspicua est; bonum enim speciei non potest ulli alii individuorum bono postponi, neque alicui individuo subjici. Sic constat, ex. gr., humanum semen non nisi ad generationem adhiberi posse, et quemvis alium usum legi naturali adversari; scilicet, quia datum a natura propter speciem. Inde et D. Thomas (4) ait: «Et ideo in legibus Matrimonii magis attenditur quid »omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo »Matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homi- »ne, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter.»

131. 6.° Ex unione conjugali oritur jus et obligatio mutua conjugum in ordine ad generationem eos in ea unione vinculans. Sed nullus praeter Deum potest ab eo jure et obligatione conjuges solvere: ergo vinculum Matrimonii est indissolubile naturaliter. *Maj.* constat ex superius traditis (5). *Min.* prob. Jus illud et obligatio mutua in corpora, in ordine ad generationem et propagationem, datur immediate a Deo, ut totius humanae naturae auctore et gubernatore. Sed jus et obligatio ejusmodi a nullo alio praeter Deum

---

—(1) Hom. 62 in Matth.—(2) De *Paradiso*, c. 10, n. 47.—(3) Suppl. q. 67, art. I, ad 4.—(4) Ibid.—(5) Thes. VIII, Schol. II, n. 57...

solvi potest: ergo. *Maj.* patet ex ibidem expositis. *Minor* autem, quia nequit inferior in superioris lege dispensare.

7.° Ex sacramentali Matrimonii significatione, exurgit etiam alia veluti naturalis indissolubilitas. Matrimonium est a Christo elevatum in signum unionis ipsius cum Ecclesia. Sed ad hoc oportet ut non possit dissolvi: ergo. Ad rem D. Thomas (1): «Insepa»rabilitas competit Matrimonio, secundum quod est signum per»petuae conjunctionis Christi et Ecclesiae, et secundum quod est »in officium naturae ad bonum prolis ordinatum. Sed quia separa»tio Matrimonii magis directe repugnat significationi sacramenti, »quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat, ut dictum est; »inseparabilitas Matrimonii magis in bono sacramenti intelligitur »quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit: et se»cundum quod pertinet ad bonum prolis, erit de lege naturae, non »autem secundum quod pertinet ad bonum sacramenti.»

132. 8.° Dissolubilitas Matrimonii est per se: a) iniqua alteri conjugum; b) adversa amori conjugali; c) nociva educationi filiorum; d) ordini sociali contraria. Sed adverse, Matrimonium, natura sua, pro bono conjugum et mutuo amore, pro bono prolis, et propter commune bonum est institutum: ergo Matrimonium est natura sua indissolubile. *Maj.* prob. quoad. a) Mulier corrupta et dimissa manet despecta et odibilis. b) Si possint separari conjuges, jam se non esse *unam carnem* vident, ideoque frigescit amor; quantum enim unitas juvet, testatur Paulus (2): *nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, et fovet.* c) Filii ab utroque parente unite geniti, et ab utroque, unitis viribus, educandi; sed non ita fiet, soluto Matrimonio; imo, saepe a nullo educabuntur. d) Haec ipsa mala, ut patet, in societatem redundant. Sed insuper, cum dissolubile Matrimonium turpi concubinatui assimiletur, et ejusdem trahit mala: illud praesertim quod pravae concupiscentiae facilem spem concipiunt aliorum assequendi conjuges; et inde insidiae, jurgia, et infinita odia, tum ante, tum post turpissimi propositi assecutionem.

133. Obj. 1.° Matrimonium solvi multi principes, etiam christiani, concesserunt. Ergo legi divinae non videtur adversari.

Resp. 1.° cum Hieronymo (3): «Aliae sunt leges Caesarum, »aliae Christi: aliud Papianus, aliud Paulus noster praecipit. »Apud illos, viris impudicitiae frena laxantur... Apud nos, quod »non licet feminis, aeque non licet viris; et eadem servitus pari con»ditione censetur.»

---

(1) Suppl. q. 67, a. 1, ad 2.—(2) Eph. 5, 29.—(3) Ep. 77, ad *Ocean.*

Resp. 2.° De principibus christianis censere oportet, divortium tolerasse, non autem concessisse.

134. Obj. 2.° Ecclesia graeca solvi Matrimonium concedit adulterii causa, et ad novas transire nuptias: ergo saltem pro casu adulterii non est jure divino indissolubile Matrimonium.

Resp. 1.° Transeat *antec.* et nego *conseq.* Aliud est factum, aliud jus; et quidem Romana Ecclesia, unitatis centrum, licentiam illam numquam approbavit, sed aperte reprehendit.

2.° Dist. *conseq.* Non est indissolubile jure divino per se; nego. Per accidens, nempe, si forsan alicubi, Dei nomine et particulari inspiratione, a legitima auctoritate fieret dispensatio; transeat. Non enim puto simpliciter concedendum, peculiarem Ecclesiam auctoritate donari ad declarandum, quod jus divinum in quibusdam circumstantiis non urgeat.

135. Obj. 3.° Agens de Matrimonii indissolubili vinculo, Dominus causam adulterii excepit (1): *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat.* Et iterum: *Quicumque dimiserit, moechatur.* Ergo, e contrario, qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, non moechatur: et proinde per adulterium solvitur Matrimonium. Ita Lutherus, Calvinus, Erasmus, ac passim lutherani, calvinistae, anabaptistae; atque e catholicis Catharinus, Cajetanus, et alii nonnulli.

Resp. 1.° Nego *conseq.* Nam Christus docet quidem crimine moechiae turpari illum, qui, extra casum fornicationis, uxorem dimittat et repudiet; adulterum quoque esse si aliam ducat; nec non illum qui dimissam duxerit. Quid autem censendum sit, si propter fornicationem dimissa fuerit uxor, non declaravit in hisce verbis Christus; adeoque aliunde definiendum est. Ita respondet Augustinus (2). Jam vero, non solum extra fornicationis causam, sed numquam licere, soluto vinculo, uxorem dimittere; tum ex ipsis Evangeliis, tum ex Paulo, tum ex doctrina Ecclesiae clare evincitur. Quod haeretici clara ac universalia testimonia, et quidem plura, per aliud ambiguum putaverint esse interpretanda ac restringenda, non miramur; haec est enim constans eorum ad fidem evertendam iniqua ars: quod autem in hac quaestione Erasmus, Launojus, et alii pauci catholici eam secuti fuerint interpretandi rationem, prorsus reprehendendi sunt.

Resp. 2.° Alia est verborum Matthaei intelligentia, quam saepe adhibent Patres. In pharisaeorum sententia et interrogatione duplex inerat quaestio: alia explicita, de dimissione, seu repudio;

(1) Matth. V, 32; XIX, 9.—(2) De *adult. conjug.* c. 9.

alia implicita, de solutione Matrimonii et ducendo secundo connubio. Jam vero dissolutio vinculi a Domino universim reprobatur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (1): dimissio autem uxoris non absolute prohibetur; exceptionem autem significavit verbis illis: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* (cap. V. Matth.): denique, ad utramque simul quaestionem responsio habetur in secunda Matth. (c. XIX) sententia, sic intellecta: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, (en primum casum); *et quicumque aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Unde patet, nullam intercedere oppositionem inter illas Christi generales sententias, apud Matthaeum (2), Marcum (3), et Lucam (4) statutas, et istam S. Matthaei. Illae enim respiciunt vinculum, ejusque indissolubilitatem: exceptio autem ista apud S. Matthaeum, *nisi ob fornicationem*, attingit tantum primam partem sententiae, nempe, dimissionem uxoris: non autem secundam, quae de vinculo agit, seu de alia ducenda uxore.

136. Obj. 4.° S. Paulus (5) permittit, conjugem ad fidem conversum ab infideli recedere, si hic recedat: quod Innocentius III (6) ita intelligit, ut possit fidelis, si nolit alter cohabitare sine injuria Creatoris, alias inire nuptias: ergo non videtur Matrimonium jure divino indissolubile.

Resp. Nego *conseq.* Etenim Paulus divino instinctu, ideoque auctoritate a Deo accepta, exceptionem illam in favorem fidei concedi agnovit, ac promulgavit.

Inst. Apostolus fatetur, propria, non Dei, duci auctoritate in ea tradenda doctrina; ait enim: *Nam ceteris ego dico, non Dominus; etc.* Ergo non e divina procedit auctoritate dispensatio illa.

Resp. Dist. *ant. Ego dico, non Dominus*, tamquam per se et immediate statuens; conc. Quasi id mediate, per ipsum Apostolum, non dicat Dominus et concedat; nego. Nam deinde, quae docuerat confirmans Apostolus, subjicit (7): *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.*

137. Obj. 5.° Per professionem solemnem religionis potest Matrimonium ratum, et non consummatum solvi. Sed solemnitas professionis est juris ecclesiastici: ergo Ecclesia potestatem habet dissolvendi Matrimonium ratum, ideoque non est jure divino indissolubile. *Maj.* patet praecipue ex Tridentini definitione (8): «Si »quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solem-

---

(1) Matth. XIX, 6.—(2) XIX, 6.—(3) X, 11.—(4) XVI, 18.—(5) I Cor. VII, 15.—(6) Cap. *Quantum.* de Divort.—(7) I Cor. VII, 40.—(8) Sess. XXIV, can. 6.

»nem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anath. »sit.»

Resp. Dist. *min.* Solemnitas est juris Ecclesiastici, quoad factum existentiae solemnitatis illius; conc. Quoad quemlibet effectum talis solemnitatis; subd. Est juris ecclesiastici, intercedente speciali Christi dispensatione ad talem inducendum effectum; conc. Aliter; nego. Scilicet, quemadmodum revelatum fuit Apostolo, Matrimonium consummatum infidelium ob majus fidei bonum posse, Deo concedente, solvi; ita traditione didicit Ecclesia fuisse a Christo provisum et concessum, ut ad honorandam speciali solemnitate castitatem, summe in Evangelio commendatam, posset per votum ipsius dissolvi Matrimonium ratum, si statueretur ab Ecclesia ejusmodi solemnis honor. Unde fatetur Alexander III (1), hoc deduci ex sacri eloquii interpretatione; et insuper asserit (2), sanctos ex revelatione divina, quae superat omnem legem, transisse a Matrimonio rato ad statum perfectiorem.

SCHOLION I.

De indissolubilitate Matrimonii rati.

138. Indissolubilitatem Matrimonii in praec. Thes. vindicatam, non solum de consummato, sed etiam de Matrimonio tantum rato debere intelligi, pronum est inferre. Omnia enim fere argumenta procedunt de Matrimonio secundum se et simpliciter sumpto: jam vero, usum, seu consummationem Matrimonii non esse de ejus essentia, supra ostensum fuit (3). At quidem, cum de aliqua re judicium fertur, magis intelligendum de eo quod est per se et formaliter, quam de eo quod est per accidens (4), ut observat D. Thomas.

SCHOLION II.

De potestate S. Pontificis in Matrimonium ratum.

139. Utrum possit Matrimonium ratum Ecclesiae, seu Summi Pontificis solvi auctoritate, disputant auctores. Et alii quidem negant; quorum sententiam probabilissimam esse concedit Sanchez (5), et pro ea plurimos laudat AA. tum theologos, tum jurisperitos: uti Bonavent., Scotum, Sotum, qui ait, op-

---

(1) Cap. *Ex public.* De conver. Conjug.—(2) Ibid. c. *Ex parte.*—(3) Thes. VII.—(4) 1, 2, q. 110, a. I.—(5) De Matr. l. 2, d. 14.

positam nec probabilitatis umbram trahere; Ledesma, qui putat etiam, aliam non esse probabilem; etc., etc. Pro hac laudantur etiam aliqui Sum. Pontifices, qui noluerunt umquam dispensare, dicentes: se tali carere potestate. Alii tamen affirmant, quorum opinionem tuentur, ut probabiliorem, Sanchez, Suarez, et communius recentiores. Potissima ratio ea est, quam urgebat Sanchezius; quia plures Pontifices, qui regimen totius Ecclesiae, et ad hoc Spiritus Sancti speciale subsidium habent, ea usi sunt potestate. Alia veluti a priori ratio est: quod aliquando magni momenti rationes, et commune Ecclesiae bonum, illud bonum indissolubilitatis Matrimonii rati superare videntur. Sicut ergo pro bono fidei, Matrimonium infidelium, et pro castitatis evangelicae honore, in professione religiosa, voluit Christus ut solvi posset Matrimonium ratum; idem sentiendum concessisse Christum D. suo Vicario in terris, ut posset tale Matrimonium dirimere, cum majus Ecclesiae bonum id postulare videtur. Sic Summi Pontifices vota etiam dispensare valent, intercedente rationabili causa, etiamsi juris divini ac naturalis vinculum inducant. Nec inde inferas, quod et Matrimonium consummatum dispensare valeant. Nam, 1.° ex ea dispensatione damnum irreparabile, propter carnis divisionem consummatam, sequeretur. 2.° Summi Pontifices non usi sunt tali potestate: ergo non est, sine sufficienti indicio, juris naturalis praesumenda derogatio.

SCHOLION III.

Quid de errore sentiendum graecorum pro casu adulterii.

140. Diximus graecos ex causa adulterii dissolutionem permittere conjugii, et ad alias transire nuptias. Utrum hic abusus dogmati fidei adversetur, disquirunt AA.; et alii quidem affirmant, alii autem negant.

Certo sane respondendum est, doctrinae catholicae ejusmodi abusum et errorem opponi: nam praeter rationes universim traditas pro Matrimonii indissolubilitate, docuit Concil. Florentinum (1): «Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori se»parationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas »est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.» Deinde Conc. Trident. (2) definivit: «Si quis dixerit Ecclesiam »errare cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam »doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vin-

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Sess. XXIV, can. 7.

»culum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui »causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, »aliud matrimonium contrahere, moecharique eum qui, dimissa »adultera, aliam duxerit; et eam quae, dimisso adultero, alii nupse»rit; anath. sit.»

141. Ad hujus canonis intelligentiam scire oportet; prius ita fuisse propositum, ut anathema directe infligeretur cuicumque dicenti, adulterio alterius conjugum dissolvi Matrimonium: deinde tamen, rogantibus oratoribus Venetis, fuit, prout nunc legitur, reformatus; quia, ajebant oratores, cum numquam graeci fuissent anathemate damnati, licet propter adulterium Matrimonium dissolverent, non videbatur expediens eos tunc anathematizare. Jam vero, in praeparato prius canone, directe definiebatur indissolubilitas Matrimonii, dum error oppositus damnabatur. Nunc autem directe damnantur ii, qui dicant errare Ecclesiam docentem, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, non posse vinculum propter adulterium dissolvi.

His perpensis, dicendum videtur. 1.°: non definivisse Concilium *tamquam dogma fidei* Matrimonii indissolubilitatem adulterii causa: tum quia priorem reformavit canonem, in quo ea definitio intendebatur; tum etiam, quia non debet Ecclesiae infallibilitas restringi ad sola fidei dogmata; ideoque jure damnari posset qui diceret, illam errare in ea docenda doctrina, etiamsi non sit definita uti dogma fidei. 2.° Haec doctrina saltem certa et catholica est dicenda, et *fidei proxima*, juxta hujus canonis Tridentini sensum. Nam asseritur in hoc canone duplex factum dogmaticum: primo, quod Ecclesia tenet ac docet doctrinam hanc, scilicet, non posse propter adulterium solvi Matrimonii vinculum: secundo, id doceri ab Ecclesia juxta evangelicam et apostolicam doctrinam. Haec duo igitur certa sunt; nam Concilium Oecumenicum circa facta dogmatica est infallibile: atqui doctrina quam docet Ecclesia, et quidem juxta Christi et Apostolorum doctrinam, est saltem doctrina catholica; ergo.

142. Dices: doctrina quam docet Ecclesia, et quidem juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, est fidei doctrina: si ergo est doctrina catholica, est etiam fidei catholicae.

Resp. Dist. *Ant.* Est fidei, vel cum fide connexa; conc. Est fidei praecise et formaliter; nego ant. et dist. *conseq.* Si eam doctrinam docet Ecclesia definiendo ut fide credendam; conc. Si aliter doceat; nego conseq.

SCHOLION IV.

De libello repudii.

143. Judaeis libellum dare repudii uxoribus permissum erat in Veteri Lege (1); et mulier rejecta libere cum alio viro contrahere nuptias poterat. Inquirunt AA. utrum in foro externo tantum licentia illa concederetur, vel etiam ante Deum. Scholastici antiquiores communius censebant, non veram fuisse permissionem a culpa excusantem, sed a poena solum. D. Thomas et Scotus utramque sententiam probabilem reputant. Verum plurimi tuentur veram fuisse dispensationem a Moyse, nomine Dei, factam, et ideo absque culpa, si sufficiens daretur causa, repudium dedisse judaeis, et solutum esse Matrimonii vinculum: ita Bellarminus, Maldonatus, Sanchez, Suarez (2), etc. Quo pacto autem id Matrimonii naturalis juris indissolubilitati congruere possit, videas quae supra praenotavimus, in Parte II, Thes. XVI.

ARTICULUS III.

De subjectione Matrimonii ad potestatem tum ecclesiasticam, tum civilem.

THESIS XVIII.

Potest Ecclesia impedimenta Matrimonium dirimentia statuere; et ad ipsam spectant jure proprio causae matrimoniales vinculum Matrimonii respicientes.

144. **Nota** I. Impedimenta Matrimonii dicuntur circumstantiae illae, quae illud vel nullum, vel illicitum faciunt: si quidem nullum reddant, vocantur impedimenta dirimentia; si autem illicitum tantum, impedientia. Cum autem omne impedimentum dirimens sit etiam impediens, sufficit de dirimentibus disserere, ut eluceat potiori jure posse Ecclesiam mere impedientia praescribere.

II. Huic catholicae fidei doctrinae qui ubique obsistant apertissimum est; omnes enim liberalium multiplices sectae, parentis sui

(1) Deut. XXIV.—(2) De Leg. l. 9, c. 6, n. 11.

Lutheri vestigia sectantes, qui huic etiam errori pertinaciter adhaesit, Matrimonium ab Ecclesiae potestate subtrahere conantur.

145. I.ª pars prob. 1.° Trident. (1) definivit: «Si quis dixe»rit. Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimo»nium dirimentia, vel in illis constituendis errasse; anath. sit.»

146. 2.° Non majoris est potestatis impedire ne validum fiat Matrimonium, quam illud valide factum dissolvere. Sed cum majus Ecclesiae bonum id postulat, facultatem habet Ecclesia dissolvendi Matrimonium ratum, ut superius dictum est (2); ergo.

3.° Ecclesia, constanti et antiquissima traditione, usa est potestate impediendi ac irritandi Matrimonium: ergo censuit Ecclesia eam accepisse a Christo potestatem, idque censere nos debemus. *Ant.* pluribus elucet factis, quorum aliqua, ex. gr., innuemus. Et quidem de Trident. Concilio patet, et post Trident. passim Pontifices, praesertim Pius VI, Pius IX, Leo XIII, tum factis, tum documentis, hujus potestatis praebent testimonia. Sec. XII, Concil. Lateran. II, Oecum X, can. 17, ait: «Sane »conjunctiones consanguineorum omnino fieri prohibemus: hu»jusmodi namque incestum... Sanctorum Patrum instituta, et sa»crosancta Dei detestatur Ecclesia.» Item Lateran I. Oecum. IX, can 21: «Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus et »Monachis... matrimonia contrahere penitus interdicimus; con»tracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, juxta »sacrorum canonum definitionem, judicamus.»

Sec. VII, Conc. Trullan. impedimentum statuit spiritualis affinitatis: «Si qui autem post praesentem canonem hoc facere de»prehensi fuerint, ii quidem primo ab illicito matrimonio desis»tant, deinde et fornicatorum poenis subjiciantur.» Sec. IV, Conc. Carthag. IV, cui adfuit Augustinus, reprobat adulterii crimine viduas contrahentes secundas nuptias, postquam religiosum induerant habitum: «Nam si adulterae conjuges reatu suo »sunt viris suis obnoxiae, quando magis viduae, quae religiosita»tem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur... si ad seculares »nuptias transitum fecerint?» Eodem seculo S. Basilius (3) ait: «Primum itaque, quod in ejusmodi rebus maximum est, mo»rem nostrum objicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod »nobis a viris sanctis traditae sunt regulae. Mos autem ille est ejusmodi, ut si quis impuritatis vitio aliquando victus in illicitam dua»rum sororum conjunctionem inciderit, neque in Matrimonium »existimetur, neque omnino in Ecclesiae coetum admittantur,

---

(1) Sess. XXIV, can. 4.—(2) Thes. XVII, Schol. II, n. 130.—(3) Epis. 160, ad *Diodor.* n. 2.

»priusquam a se invicem dirimantur.» Ejusdem sec. initio (a. 314) Conc. Neocaesar., can. 2, ait: «Femina, si duobus nupserit »fratribus, abjiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humani- »tatem, in extremis suis, sacramentis reconciliari oportet; ita ta- »men, ut si forte sanitatem recuperavit, Matrimonio soluto, ad poe- »nitentiam admittatur.»

147. 4.° Matrimonium, postquam a Christo fuit in sacramentorum numerum relatum, directe ad bonum spirituale fidelium ordinatur. Sed quae pertinent ad fidelium supernaturale bonum, subordinari debent Ecclesiae potestati: ergo potestas fidelium ad Matrimonium contrahendum Ecclesiae subjicitur potestati, ideoque ab eadem potest impediri et invalidari. Confir. Bonum commune et spirituale Ecclesiae multum dependet a modo quo conjugia contrahantur; inde enim sancti mores, pax familiarum, filiorum educatio, impediri vel juvari magnopere possunt: ergo pertinet ad plenam potestatem regendi ac gubernandi Ecclesiam, quod possint Matrimonia efficaciter impediri. Et quidem, si talis conceditur facultas principibus circa civiles contractus pro bono civitatis; quo pacto eadem auctoritate careret Ecclesia pro aeterna fidelium salute?

148. Obj. 1.° Antecedenter ad Ecclesiae stututum, Matrimonium est jure naturae validum: sed jus naturae est invariabile; ergo.

Resp. Dist. *maj.* Si consensus fuerit legitimus, id est, ab ea potestate cui subjicitur non irritatus; conc. Aliter; nego *maj.* et dist. *min.* Jus naturae est invariabile, formaliter sumptum; conc.: sic enim non variatur. Materialiter; nego. Quod enim fiat consensus cum his vel illis circumstantiis est materiale, idque mutari valet; quod autem sit legitimus, est formaliter, intentum a lege naturae, idque mutari nequit.

149. Obj. 2.° Non potest Ecclesia mutare sacramentorum materiam: ergo neque Matrimonii contractum, qui est hujus sacramenti materia.

Resp. Dist. *ant.* Si sacramenti materia sit pura res materialis; conc. Si fuerit actus aliquis legitimus; subd. Nequit Ecclesia talem mutare materiam formaliter; conc. Materialiter; nego. Potest quidem Ecclesia efficere ut talis vel talis consensus sit legitimus; nequit autem hoc facere ut non sit materia sacramenti omnis legitimus consensus, sicut efficere non potest, quod quaevis aqua naturalis non sit Baptismi materia.

150. II.ª pars prob., quae indefinite sumpta est de fide catholica. 1.° Trident. (1) definivit: «Si quis dixerit causas matrimonia-

(1) Sess. XXIV, can. 12.

»les non spectare ad judices ecclesiasticos; anath. sit.» Jam vero id saltem intelligere oportet de causis pertinentibus ad essentiam, seu vinculum Matrimonii: cum enim judicium absolutum de re aliqua profertur, debet de eo quod est per se saltem intelligi.

151. 2.° Christus D. Ecclesiae caput, sententiam de causis polygamiae et repudii, ut notat S. P. Leo XIII (1), protulit; item Paulus (2), a fidelibus interrogatus, plura de Matrimonio edocuit, et divortia ac incestas nuptias edixit non licere. Ecclesia constanter de ejusmodi causis judicavit, et quidem saepe adversum civilia statuta; ut Ignatius Martyr. (Ep. ad Polycar.), Justinus (3), Athenagoras (4), Tertullianus (5), qui tamquam injustas et adulterinas publice improbarunt nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatorum favebant leges. Deinde in pluribus antiquis conciliis, *Illiberitano* (6), *Arelatensi*, *Chalcedonensi*, *Milevitano II* (7) et aliis, multa statuta sunt circa Matrimonium.

152. 3.° Matrimonium, post Christum, est res sacra, scilicet, verum et proprium sacramentum. Sed res sacrae subjiciuntur Ecclesiae auctoritati; ergo. Hinc ait Leo XIII (ibid.): «De sacra»mentis statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest »et debet Ecclesia, ut absonum sit plane... etc.

153. III.ª pars prob. 1.° Pius VI (8) damnavit, ut haereticam, prop. 59 Conc. Pistor. qua dicebatur: «Supposito assensu vel »conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere im»pedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii;» de qua ait Pontifex: «Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in chris»tianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae »Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad »vinculum... canonum concilii Tridentini eversiva, haere»tica.»

154. 2.° Ecclesia ab initio et constanter usa est hac in Matrimonium potestate. Atqui id fieri nequivisset, nisi proprio jure eam habuisset potestatem: ergo. *Min.* aperte patet; etenim, ut observat S. P. Leo XIII (9): «Illud enim quam incredibile, quam absur»dum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inve»teratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel »a principe judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum »divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut

---

(1) Litt. *Arcanum*.—(2) I Cor. VII.—(3) *Apolog. maj.* n. 15.—(4) *Legat. pro Christ.* nn. 32, 33.—(5) De *Coron. mil.* c. 13.—(6) De Aguirre, Conc. Hispan. to. I.—(7) Harduin. Act. Conc. t. I.—(8) Const. *Auctorem fidei*.—(9) Litt. *Arcanum*.

»tacite consentientibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud un-»quam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et fir-»mitudine conjugii, de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab »Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus Ro-»manis, inimicissimis nomini christiano.»

3.° Ab ipso Christo habet Ecclesia potestatem in res sacras; scilicet quia ministerium Christi habet et dispensationem mysteriorum Dei. Sed ideo potestate gaudet in Matrimonium, quia est res sacra: ergo jure nativo, seu ex Christi institutione, ea donatur Ecclesia autoritate.

155. Obj. 1.° S. Ambrosius (1) interrogatus, an liceret quoddam connubium, respondit tantum quid in Levitico, quid in lege civili, quid juxta aequitatem naturalem praescriberetur: ergo nullam in Ecclesia agnoscebat potestatem.

Resp. Nego *conseq.* Tantum enim deducitur de eo casu nihil adhuc Ecclesiam praescripsisse. Potius inde thesis confirmari potest: nam Paternus, qui Episcopum suum, et deinde Ambrosium consuluit, vir apprime eruditus, optime noscebat quid ea de re leges statuerant Imperatorum: tamen Ecclesiae sanctionem inquirebat, censens inde rem esse definiendam, non autem ex lege civili.

Obj. 2.° Athenagoras (2) ait: «Christianos uxorem ducere »secundum leges Imperatorum.» Ergo de Matrimonio non judicabat Ecclesia.

Resp. Nego *conseq.* Duplici namque modo servari leges civiles possunt; primo, independenter ab Ecclesia, uti servant infideles: secundo, assentiente et approbante, cum id fieri expediat, ipsa Ecclesia: non autem semper eas leges adprobasse testantur Patres supra laudati.

156. Obj. 3.° Contractus naturalis et civilis ad potestatem naturalem et civilem jure proprio pertinet: ergo solum a pietate principum gaudet Ecclesia in Matrimonium auctoritate, ut docet Petrus Soto, Launojus, Van Espen, etc.

Resp. Dist. *ant.* Contractus pure civilis pertinet...: conc. Contractus sacer ac supernaturalis a Christo effectus...: nego *ant.* nec non *consequens* et *conseq.* Etenim opinatio ista nequit jam ulla probabili ratione fulciri, post absolutos et dogmaticos Tridentini Canones, et Romanorum Pont. decretorias sententias.

---

(1) Ep. 60 ad *Paternum.* – (2) *Legat. pro Christ.*

THESIS XIX.

Circa fidelium Matrimonium nihil efficere Principes civiles possunt quod vinculum afficiat; possunt tamen de effectibus civilibus Matrimonium consequentibus leges statuere.

157. **Nota.** Est haec catholica et certa doctrina adversus Lutherum, jansenistas non paucos, liberales fere omnes, et nonnullos catholicos qui aliter opinati sunt, quorum tamen jam non potest tolerari error.

I.ª pars prob. 1.° S. P. Leo XIII (1) docet: «De Sacramentis »statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et de- »bet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam »partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam... Quapro- »pter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur »potestatem in Matrimonia christianorum ad principes reipublicae »esse jure traductam. Quod si hac in re alienum violatum jus est, »nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.»

Item: Pius VI (2) declarat, canonem 12 Trid. sensu exclusivo intelligendum: «Quo quidem canone certum est, non eos »modo comprehendi, qui docent esse summarum potestatum hujus »seculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque qui factis hoc ipsum »confirmant, quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate, »et qui causas nullitatis Matrimonii tamquam regii delegati de- »finiunt.»

158. 2.° Ideo spectat Matrimonium ad Ecclesiae potestatem, quia est sacramentum: ergo eadem ratione, non subjicitur principum auctoritati. *Conseq.* patet: nam accessorium sequitur principale; sicut ergo propter potestatem in res sacras, extenditur Ecclesiae potestas in Matrimonium; ita propter illius potestatis carentiam, nequit civilis potestas illud attingere.

3.° Vel par esset et independens utriusque auctoritatis potestas; vel impar et cum subjectione unius ad alteram. Si primum; validum et invalidum, legitimum et illegitimum evadet simul Matrimonium: atqui hoc est absurdum. Si secundum; non poterit subjecta dici ecclesiastica potestas, cum sit superioris ordinis et respiciat finem ultimum: ergo eidem subjicietur potestas civilis, et nihil potest contrarium statuere, cum Ecclesia sibi causas Matrimonii reservaverit.

---

(1) Litt. *Arcanum.*—(2) Ep. ad episc. *Motulen.*

159. II.ª pars prob. 1.° Leo XIII (ibid.) docet: «Jure civili res »tantummodo ordinari atque administrari posse, quas Matrimonia »efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifes»tum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet, nuptiale vin»culum, existat.» Quae verba et I.m theseos partem confirmant, et hanc II.m clare docent.

2.° Officia vel jura quae non sunt sacra, neque cum re sacra necessario conjuncta, sed pure civilia, ad principes pertinent rei civilis. Sed ejusmodi sunt plures effectus Matrimonium consequentes: puta, quod caput familiae possit haec vel illa munera in societate exercere, quod testamentum in filios haeredes valeat sub hac vel illa forma tradere, etc. Ergo ejusmodi Matrimonium consequentes effectus possunt principes jure proprio ordinare et statuere.

160. Obj. 1.° Ad principes civitatis spectat proprio jure leges ferre circa valorem contractuum, prout expedierit ad societatis bonum; illudque jus integrum servari voluit Christus (1) et mandavit Paulus (2). Atqui Matrimonium summopere spectat ad societatis pacem et bonum: ergo possunt principes..., etc.

Resp. Dist. *maj.* Circa valorem contractuum mere civilium, seu naturalium; permitto, vel conc. Si fuerint sacri contractus, vel rem attingentes sacram; nego *maj.* vel subd. Concedente Ecclesia; conc. Repugnante; nego. Unde extra rem sunt laudata testimonia, quae de iis agunt ad civilem potestatem pertinentibus.

Obj. 2.° Quilibet potest aquam suam, vinum, panem pro libito immutare, etiamsi materiae sint sacramentales: ergo et principes suorum subditorum conjugia immutare et invalidare valent, etsi sacramenta evaserint.

Resp. Conc. *ant.* et nego *conseq.* ac paritatem. Etenim aqua, panis, etc., sunt materia remota, et per se indifferens ut evadat actu sacramentum: quodlibet autem conjugium est materia proxima, et forma etiam sacramenti actualis, a quo, ex Christi voluntate, non potest separari; ideoque est necessario sacrum.

Obj. 3.° Possunt principes certa connubia, etiam inter fideles prohibere: sed hoc ostendit Matrimonium jurisdictioni illorum subjacere; ergo eadem ratione possunt illa invalidare.

Resp. Dist. *maj.* Prohibere possunt potestate directa; nego. Potestate indirecta, puta, ne quis impediatur a militia, ne praetergrediatur mandatum justum parentum, etc.; subdist. Id possunt lege aliqua poenali, et effectus civiles attingente; conc. Lege conscientiam obligante; iterum subd. Consentiente Ecclesia; conc. Aliter:

---

(1) Matth, XXII, 21.–(2) Rom. XIII, 1.

nego. Deinde contra distincta *min.*, negatur *conseq.* Ejusmodi enim leges nequeunt vinculum ipsum Matrimonii afficere.

161. Obj. 4.° cum Launojo. Canones Tridentini, de potestate Ecclesiae in Matrimonium, intelligendi de Principibus et Gubernatoribus Reipublicae, qui sunt pars Ecclesiae et potestate illa fruuntur: ergo talis potestas potius civilis quam Ecclesiastica dici debet.

Resp. Nego assertum plane absurdum Launoji. Et quidem, etiamsi demus potuisse Launojum tale opinamentum bona fide effingere, nunc post tot Rom. Pontificum authenticas declarationes, non posset sine pertinacia id excogitari. Verum ipsorum canonum tridentinorum sensus obvius aperte eam rejicit interpretationem. Nam primo: ibi sermo est de potestate Ecclesiastica. Atqui eo nomine non veniunt principes seculares, sed ii qui constituti sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, praesertim Apostolica Sedes. Secundo: ibi errores Lutheri et aliorum sectariorum damnabat concilium: atqui non principum, sed ecclesiasticam proprie dictam potestatem, praesertim Rom. Pontificis, haeretici negabant; unde et dicebat Lutherus (1): «Duodevinginti causas in suo jure effinxit »Papa, quibus Matrimonium vel dissipet, vel impediat, quas tamen »ferme omnes rejicio et condemno, etc.»

162. Obj. 5.° Concilium Trid. non definivit, causas matrimoniales spectare ad solos judices ecclesiasticos; ergo possunt etiam principes seculares de iis judicare.

Resp. Dist. *ant.* Non definivit hisce explicitis verbis; conc. Implicite et quoad sensum; nego *ant.* Deinde, nego *consequentiam;* etenim ex declarationibus authenticis Pii VI, Pii IX, et Leonis XIII, quae sit Ecclesiae mens et doctrina perspicue elucet. Vide laudata in thesi verba Leonis XIII. Pius autem VI dixit (2): «Scimus etiam hanc captiunculam et fallax hoc cavil»landi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita »generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur. »Spiritus vero, sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptio»ni aut limitationi locum reliquat: si enim hae causae non alia »ratione pertinent ad unum Ecclesiae judicium, nisi quia contrac»tus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evan»gelicae sacramentis, sicut haec sacramenti ratio communis est »omnibus causis matrimonialibus; ita omnes hae causae spectare »unice debent ad judices ecclesiasticos.»

---

(1) Serm. de Matr.—(2) Ep. ad episcop. *Motulen.*

THESIS XX.

Praecisa sacramenti ratione, ut in Matrimonio infidelium, jus suum retinent principes seculares, ut possint de causis matrimonialibus judicare, et impedimenta dirimentia constituere.

163. **Nota.** I. Hac de re quatuor adnumerantur sententiae. I.ª est paucorum existimantium, Matrimonii contractum esse ex natura sua, quoad valorem, omnino exemptum a principum civilium potestate; ideoque nulla civili lege irritari posse. 2.ª quam Pontius, Schmalgrueber, et alii tuentur, ait ex adjecta ratione sacramenti subtractum fuisse Matrimonium fidelium, ipso facto, vel saltem voluntate Christi, e principum potestate, ita ut illud invalidare nequeant. 3.ª autem sententia est, quod ex perfectione quidem sacramenti Matrimonio supperaddita subordinetur Ecclesiae potestas principum, atque aequum ac justum sit, ut a sola Ecclesia regatur; et inde ex ea tantum ratione sibi Ecclesia reservavit omnem potestatem circa vinculum Matrimonii: ita Bellarminus (1), Sanchez, Ledesma, Valentia, Lessius, Becanus, Salmanticenses, Gotti, Layman, Henriquez, Bonacina, Coninck, et alii plurimi, ut recte communior sent.ª dicatur. 4.ª denique defendit, etiam nunc competere principibus potestatem statuendi impedimenta dirimentia: sic Petrus de Soto, et alii non plures, quos laudat Carrière, controversiam tamen non dirimens.

II. Quartam sententiam in thes. praec. rejecimus: secundam et tertiam, brevitati studentes, non perpendemus; primam autem his paucis repellemus, cui etiam tres aliae adversantur.

164. Prob. 1.° Pius VI docet (2) a ratione sacramenti oriri quod ad «Solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concre»dita, jus omne ac potestas pertinet suam assignandi formam huic »contractui, ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac »proinde de Matrimoniorum validitate aut invalidate judicium fer»re.» Et rursum inferius: «Si enim hae causae non alia ratione per»tinent ad unum Ecclesiae judicium nisi quia contractus matrimo»nialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacra»mentis...» Similiter Leo XIII ex eodem fonte desumit, potestatem hanc in Matrimonia soli Ecclesiae convenire (3): «Itaque »apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se

(1) De Matrim. l. 1, c. 21.—(2) Ep. ad episc. *Motulen.*—(3) Const. *Arcanum.*

»esse sacramentum... Quapropter nec ratione efficitur, nec teste »temporum historia comprobatur, potestatem in Matrimonia chris- »tianorum ad principes reipublicae esse jure traductam.» Suppo- nunt ergo Pontifices, sacramenti ratione sublata, eamdem illam po- testatem ad principes civiles pertinere.

165. 2.° Valent quoque in hac re eaedem rationes, quibus uni- versim ostendunt AA. posse principem, seu rempublicam, condi- tiones praescribere, sine quibus contractus validi non existant. Sic, ex gr., argumentatur Suarez (1): «Ratio autem, cur hoc »possit facere lex humana, est quia non repugnat legi naturali, et »alioqui expedit ad commune bonum reipublicae, ut talis potestas »sit in republica, seu ejus principe.»

«Prior pars constat; quia licet potestas contrahendi valide sit na- »turalis homini, tamen potest illa privari, sicut potest privari li- »bertate: neque id est contra jus naturae praeceptivum, sed negati- »vum, ut supra, l. 2. declaratum est. Posterior autem pars constat »experientia: quia ad vitandas fraudes, et alia incommoda, saepe »hoc est necessarium; et ideo sicut data est reipublicae potestas »praecipiendi, ita et irritandi actus. Item, quia pars communitatis »est magis reipublicae, quam sua, et ideo habet operationes suas »dependentes a republica, quando tales sunt, ut in commune bo- »num vel damnum cedere possint; ergo caput reipublicae habet po- »testatem in membra sua, ut possit operationes eorum irritare, vel »modum eis praefigere, sine quo invalidae sint, quoad morales »effectus, qui per eas fieri possent.» Quae quidem rationes, licet ur- geantur a Suarezio, tum pro irritatione Matrimonii, tum pro ceteris humanis contractibus, tamen pro priori fortius urgere de- prehenduntur.

166. 3.° Et sane; Matrimonium enim est familiae vinculum et principium; est reipublicae pars organica ac fundamentum, et ejus- dem conservandae causa necessaria. Quod quidem gravissimis ex- plicat verbis S. P. Leo XIII (2): «Si consideretur quor- »sum Matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentis- »simum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publi- »cae uberrimos fontes. Et sane, praeterquam quod propagationi »generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent ut meliorem »vitam conjugum beatioremque efficiant... Eadem vero plurimum »possunt ad familiarum salutem... Ab ejusmodi autem conjugiis »expectare civitates jure possunt genus et sobolem civium qui pro- »be animati sint. Deique reverentia atque amore assueti, sui officii »esse ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos

(1) De Leg. l. 5, c. 19. — (2) Const. *Arcanum*.

»diligere, laedere neminem.» E converso, ex vitiosis connubiis magna sequuntur incommoda: «Hoc fonte multiplex derivata perni»cies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates in»fluxit.» Igitur si ad alios irritandos impediendosque contractus inest reipublicae potestas, ad Matrimonium simili modo impediendum non est ei deneganda.

4.° Quod inde etiam confirmatur: quia ceteri contractus, si perniciose initi fuerint, possunt saltem deinde dissolvi, et mala inde orta partim devitari. Atqui Matrimonium valide initum dissolvi vetat jus naturae: ergo potestatem efficiendi ne ab initio valide contrahatur debet respublica habere.

167. Obj. 1.° Principis auctoritas bona tantum subditorum, non eorum personas et voluntates, potest attingere: ergo nequit irritare Matrimonia.

Resp. Nego *ant.* Potest enim personas juste ad militiam et alia socialia cogere officia; potest justis legibus moraliter obligare, et inde moralem libertatem ad plurimos actus demere.

168. Obj. 2.° Matrimonium est contractus divinus, id est, naturaliter, Deo auctore, institutus: sed in jure divino nihil possunt principes; ergo.

Resp. Dist. *ant.* Secundum suam speciem seu naturam est Matrimonium contractus divinus; conc. In fieri, seu secundum ejus causalitatem; nego. Celebratur enim Matrimonium, sicut ceteri contractus, partium consensu: consensus autem est humanae libertatis actus, non naturae institutum. Non ergo contractum divinum seu naturalem mutat legislator, sed humanum ac positivum, dum conditiones praescribit, sine quibus consensus externus contrahentium moralem obligandi effectum non habeat.

CAPUT IV.

De causa et praeparatione Matrimonii.

Natura cognita Matrimonii, ejusdemque proprietatibus, planior via erit ad causam et praeparationem ipsius explicandam: cognitio enim effectus ad causae notitiam obvie ducit. Jam vero causa immediata Matrimonii non alia est quam conjugum consensus.

ARTICULUS I.

De consensu necessario ad Matrimonium.

THESIS XXI.

Ad Matrimonium requiritur: a) consensus mutuus conjugum; b) deliberatus, seu liber; c) exterius significatus; d) et de praesenti.

169. a) I.ª pars patet. 1.º Floren. Concilium (1) ait: «Causa »efficiens Matrimonii est mutuus consensus.»

2.º Essentia Matrimonii, ut supra (2) dictum est, in illo vinculo stat, quod ex associatione viri et mulieris in ordine ad generationem exurgit. Atqui associatio hominum ad finem aliquem communiter assequendum exigit consensum, et quidem mutuum, quatenus alter alterum in socium acceptat, et se in socium tradit; ergo.

3.º Absque mutuo consensu repugnat amicitia, et mutua officiorum communicatio: atqui haec pertinet etiam ad Matrimonium: ergo.

170. b) II.ª pars prob. 1.º Homines non obligantur naturaliter ad Matrimonium et gravissima onera ipsius, ut diximus (3): imo majoris est perfectionis ab eo abstinere. Atqui onera et obligationes non necessaria debent libere acceptari: ergo.

2.º Matrimonium est contractus, ut supra probatum est, ex quo alter alterius evadit dominus et quidem jure naturae. Sed ad omnem contractum opus est consensu libero, ut moralis oriatur subjectio: ergo.

3.º Ex priori parte sequitur. Nam requiritur consensus: sed consensus humanus est per se liber; ergo.

4.º Ecclesia invalidum fecit Matrimonium ex gravi et injusto initum metu: ergo libertas summe necessaria est ad Matrimonii contractum.

5.º Matrimonium directe et per se ad bonum commune speciei, id est, conservationem et propagationem naturae humanae pertinet. Sed Deus, ad quem spectat bono speciei humanae providere, noluit homines ad Matrimonium cogere, nec obligare: ergo multo minus poterunt principes quicumque, quibus speciei humanae cura nulla-

---

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Thes. VIII, n. 52.—(3) Thes. III, n. 21.

tenus fuit commissa, homines ad Matrimonium cogere vel etiam obligare.

171. c) III.ª pars prob. 1.° Florentinum docet (1): «Causa »efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba expressus.»

2.° Debent conjuges per Matrimonium exterius uniri, ad actus scilicet externos: sed id fieri nequit nisi consensus, qui est naturaliter occultus et internus, exterius prodatur; ergo.

3.° Praescribit Ecclesia pro valore contractus, ut etiam solemniter et coram testibus consensum suum conjuges explicent. Ergo potiori jure oportet ut ad invicem et exterius consentire in societatem conjugalem declarent.

172. d) IV.ª pars prob. 1.° Ait Florentinum (ibid.): «Con»sensus per verba de praesenti expressus.»

2.° Ut actu fiat Matrimonium, debet et actu, physice vel moraliter, ejusdem existere causa. Sed causa est consensus exterius manifestatus de ipso contrahendo Matrimonio; ergo consensus et manifestatio ipsius debet actu fieri, seu de praesenti.

Confirm. Matrimonium ex se indifferens est ut sit nunc, vel in posterum, vel numquam. Ergo debet a sua causa, id est, consensu determinari: sed consensus in posterum de Matrimonio nullam habet connexionem cum eo quod sit nunc; ergo ut fiat actu matrimonium, consensus debet esse de praesenti, et proinde, ejusdem etiam manifestatio.

173. Obj. Deus habens supremum omnium dominium potest plenam conferre potestatem mutuam viro et mulieri, nullo praecedente eorum consensu; sicut cuique usum et potestatem dedit suarum facultatum et membrorum. Sed, ea accepta potestate, habebitur Matrimonium, et legitimus erit usus ipsius: ergo consensus non est necessarius. Similis urget ratio pro principe societatis, qui altum habet dominium erga cives, eorum corpora, vitam et bona, quatenus necessum fuerit societatis conservationi.

Resp. Concessa *maj.* Dist. *min.* Habebitur Matrimonium essentialiter et adaequate sumptum; nego. Inadaequate et quoad effectum, seu legitimitatem actus; conc. Facile distinctio intelligetur ex iis quae de essentia diximus Matrimonii (2). In vinculo ex associatione in ordine ad propagationem orto stat essentia Matrimonii; ex eo autem vinculo nascitur, jure naturali, potestas mutua inter virum et mulierem nexum illum perficiens. Proinde, si ejusmodi potestas a Deo immediate procederet, non autem ab illa associatione, quae per mutuum viri et mulieris perficitur consensum, non fieret proprie dictum Matrimonium. *Relinquet homo patrem et*

---

(1) Decr. pro *Arm.*—(2) Thes. VIII, Schol. II, n. 57.

matrem. et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una: hoc quidem est Matrimonium, quod plane ab eo differt: «Divelletur »homo a patre et matre, et tradetur ab alio uxori suae.»

Deinde nego paritatem et illationem pro civilibus principibus. Non enim potestatem habent in corpora civium in ordine ad propagationem speciei, ut possint tale dominium ab uno ad alium transferre: regimen quippe societatis ipsis est commissum, non autem speciei propagatio; atqui Matrimonium secundum se non est actus societatis civilis, neque actus individui per se sumpti, sed actus naturae in duobus diversi sexus individuis ab bonum speciei tendens: pendet ergo directe ab Auctore naturae, ut causa extrinseca; et a duobus diversi sexus individuis, ut principiis intrinsecis. Si ergo Deus consensui, seu amori libero conjugum, concessit societatem conjugalem perficere, ut vere et permanenter et naturaliter fierent una caro; a fortiori principes civiles, ad quos speciei cura non pertinet, debent libertati civium omnino sinere Matrimonii ineundi facultatem. Nihil enim ad id conferre potest altum dominium. Non quidem directe in ipsum Matrimonium; cum sit vinculum ex mutua viri et feminae associatione formaliter ortum: neque in jus ad corpora pro conjugali actu; quia tale jus non est in civibus nisi consequenter ad legitimam sexuum unionem, ideoque caret fundamento, seu materia ex qua, dominium altum, nisi legitimum praesupponatur Matrimonium. Illud quidem prae oculis in hac re firmiter tenendum: jus in corpora in ordine ad generationem, non inesse individuis, neque ab iisdem oriri aut communicari; sed a Deo procedere Auctore naturae, legitime peracta sexuum unione, seu associatione, ut de natura agentes Matrimonii explicatum fuit.

THESIS XXII.

Metus etiam gravis et injustus non ita opponitur libertati consensus, ut invalidum jure naturae efficiat Matrimonium.

174. **Nota.** I. Duplex habetur de hac re sententia probabilis: prior tenet jure naturae invalidari Matrimonium ex tali metu initum; ita Scotus, S. Bonaventura, S. Antoninus, etc. Altera ait, solo jure ecclesiastico fieri invalidum: hanc tuentur Sotus, Navarrus, Enriquez, Sanchez (1), etc.

II. Actus violentus, seu coactus, duplici modo dicitur: absolute et conditionate. Absolute violentus est qui ab extrinseco procedit;

(1) De Matr. l. 4, disp. 14.

ut si christianus ante idolum rapiatur, et impulsu eum prosternant: hoc violentum definitur ab Aristotele: «Quod fit ab extrinseco, pas-»so non conferente vim.» Hoc modo nullus actus voluntatis est violentus, ut omnes docent cum D. Thoma (1), cum sit vitalis, ideoque ab intrinseco; verum alii actus, qui a voluntate imperantur, ut ambulare, etc., possunt quidem coacti existere. Violentus secundum quid dicitur actus, qui absolute quidem est voluntarius, et ideo ab intrinseco procedit, sed nisi metus impelleret, voluntas illum nollet. Haec quidem violentia non impedit libertatem et rationem culpae, ut communiter cum D. Thoma (2) docent theologi.

III. Metus est fuga, cum mentis perturbatione aliqua, mali imminentis. Multiplici modo potest accidere, quod videre licet apud Sanchez (3); sed praecipue solet, ad rem praesentem, dividi metus in eum qui cadit in virum constantem, et cadentem in virum inconstantem. Prior solet etiam appellari metus justus, probabilis, gravis; secundus, e contra, injustus, improbabilis, levis seu vanus: etenim ille talis est, ut possit etiam cum virtute constantiae et fortitudinis sociari; e contra, posterior cum hisce virtutibus stare nequit.

175. Prob. 1.° Non minus libera est voluntas consentiens propter gravem metum injuste incussum, quam si juste terreatur a causis liberis, vel naturalibus: ergo si in hoc casu, vere ac libere vult ac valide contrahit Matrimonium, ut omnes fatentur, idem dicendum, perpenso jure naturae, licet metus sit injustus.

2.° Aliqui homines vitiosae indolis non minus saepe perturbantur metu aliquo levissimi mali, quam viri constantes metu gravi: puta, avarus, levis lucri amittendi timore, se aliosque frequenter non parum exagitat. Atqui metum ejusmodi levem ac injustum invalidare Matrimonium nemo dicit; ergo neque metus gravis, quatenus imminuit consensus libertatem, potest illud invalidum jure naturae reddere.

Confir. Baptismus etiam exigit, ut valide suscipiatur, liberum adulti consensum. Atqui si metu gravi, etiam injusto, suscipiatur, non ideo est invalidus (4): ergo neque Matrimonium, jure naturae perpenso.

176. Obj. 1.° Quod metu acceptatur est violentum, et violentum nequit esse perpetuum. Sed Matrimonium debet in perpetuum durare: ergo metus ejus naturae opponitur, et ideo est jure naturae nullum, si metu gravi contrahatur.

---

(1) 1, 2, q. 6, a. 4.—(2) Ibid. a. 6.—(3) De Matr. Disp. 1, lib. 4.—(4) Cap. *Majores*, de Baptismo.

Resp. Dist. *maj.* Violentum absolute nequit esse perpetuum; conc. Si sit violentum tantum secundum quid; nego, vel subd. Non potest ita commode esse perpetuum; conc. Non potest simpliciter durare; nego. Id igitur ostendit, recte ab Ecclesia ea Matrimonia invalidari.

Obj. 2.° Donationes, quibus transfertur dominium, debent esse plene liberae; et inde donationes metu extortae obligant ad restituendum. Sed Matrimonium est quaedam traditio, qua transfertur corporis dominium: ergo jure naturae debet esse plene liberum, ut validum fiat.

Resp. Dist. *maj.* Obligant ad restitutionem, quia invalidae sint; nego. Quatenus irritari possunt; conc.

177. Obj. 3.° Lex naturae postulat ut cujusvis injuriae fiat compensatio. Sed injuria Matrimonii coacti nequit resarciri nisi illud irritando; nam deinde dissolvi non potest: ergo ex ipsa lege naturae debet esse irritum Matrimonium metu gravi celebratum.

Resp. Dist. *maj.* Ut fiat compensatio per bona ejusdem; ordinis; nego. Compensatio qualis fieri valeat; conc. Sic, ex. gr., occisio hominis, defloratio virginis, Baptismus coactus, etc., per bona ejusdem generis resarciri non possunt, imo saepe nullo modo.

ARTICULUS II.

De consensu conditionato.

THESIS XXIII.

Matrimonium contrahi potest consensu conditionato, ita ut, conditione purificata, non opus sit alio consensu.

178. **Nota.** I. Consensus potest, praeter ipsum Matrimonium, aliquid aliud simul attingere cum eodem connexum: quae connexio talis esse potest, ut suspendat consensus efficaciam, ideoque et Matrimonium; vel, e contra, ut sit tantum concomitans.

Sic: a) potest consensus respicere modum alicujus obligationis; puta, duco te, ut divitias tuas conferas mihi. b) Per modum causae; sicut si dicat, contraho tecum, quia nobilis es. c) Demonstrando qualitatem aliquam; ut, duco te, quae es primogenita, virgo, etc. d) Per modum conditionis, seu rei suspendentis contractum, quia sine illa non vult contrahere; ut, tecum contraho, si parentes annuerint, etc.

II. Conditiones variae existunt. Aliae sunt generales, quia intrinsece supponuntur in omni contractu. Inter speciales, aliae sunt necessario implicitae; ut, contraho si non sis consanguinea. Quaedam sunt extrinsecae. Quae vel necessario eveniunt; ut, duco te, si mane elucescat: vel impossibiles sunt; ut, si manu coelum tetigeris. Aliae sunt contingentes et possibiles: et quidem vel indifferentes, vel honestae, vel turpes. Si autem sint turpes, aut adversantur substantiae, et bonis Matrimonii; ut, contraho tecum, si obligeris ad impediendam generationem; aut non adversantur; ut, duco te, si favorem praestiteris ad furtum faciendum.

III. Regula generalis est: quotiescumque verus absit consensus, quamvis in foro externo praesumatur extitisse, non est Matrimonium.

179. I.ª pars prob. 1.° In aliis contractibus, et quibusvis donationibus, validus et efficax est consensus conditionatus: ergo idem dicendum de contractu Matrimonii.

2.° Qui conditionate consentit in Matrimonium, non minus consentit, quam ille qui absolute assentitur. Si ergo absolutus assensus perficit Matrimonium, pari ratione et conditionatus. *Ant.* prob. Ideo minus consentiret qui sub conditione consentit, quia vel talis solum vult conditionem; vel minus vult Matrimonium qui illud non nisi cum illa conditione vult; vel quia consensus manet suspensus. Sed ex nullo capite dici potest quod minus velit: ergo. *Min.* patet. Nam primum dici nequit, quod solum velit conditionem: quis enim dicit, nolle eum vendere, qui non vult nisi tanto pretio vendere? Neque secundum dici potest; nam potest Matrimonium, sub illa conditione, esse tam appetibile, imo magis, quam sine illa. Nec tertium quicquam probat; quia suspensio, posita conditione, cessat; ergo tantum exinde deduci potest, non posse fieri Matrimonium, donec conditio non ponatur, quod fatemur.

180. II.ª pars. **Nota.** Plures, gravesque AA. putant, posita conditione, iterandum esse consensum; quia hic debet, in contractu Matrimonii, esse de praesenti: dum autem conditio contingenter se habet, consensus respicit futurum, nempe, casum quo purificetur conditio. Ita sentiunt D. Thomas (1), D. Bonaventura, Durandus, Victoria, Enriquez, Suarez (2), et alii plures tum ex theologis, tum ex jurisperitis; quam opinionem jure vocat Sanchez probabilissimam. Nostram autem ipse tuetur, ut multo probabiliorem, et communiorem inter DD. juris; multi etiam theologi eam tenent.

---

(1) 4, dist. 29, Q, un. a. 3, q. 3.—(2) De Relig. tom. 3, l. 6, c. 12, n. 18.

181. Prob. 1.° Ceteri contractus cum consensu conditionato initi, impleta conditione, perficiuntur, ut omnes fatentur: ergo idem censendum de Matrimonio. Nec dicas: hic contractus est sacramentum. Nam frivolam esse rationem hanc, recte respondet Sanchez, idque fatetur Suarez (ibid.) dicens: «Haec ratio non sa»tisfacit, quia in sacramento Matrimonii ex jure divino nihil »requisitum est, ex parte consensus et significationis ejus, ad »valorem sacramenti, nisi quod est requisitum ad valorem con»tractus.»

2.° Si dicat alter conjux, te accipio si tu me accipias, alio acceptante, fiet Matrimonium; atqui tamen ille consensus erat e conditione futura pendens; ergo non aliud requiritur, posito consensu conditionato, nisi ut purificetur conditio. Major patet; nam ea conditio semper implicite supponitur in conjuge prius consentiente, quin cogatur rursus consentire: ergo si exprimatur eadem conditio, non minus perficietur Matrimonium.

182. 3.° Testatur Fagnanus (1), hanc sententiam declarasse et adprobasse Pium V et Clementem VIII.

SCHOLIA.

De conditione praesenti vel praeterita et necessaria.

183. I.ª Si conditio consensui adjuncta non sit de re futura, sed praesenti vel praeterita; non suspenditur Matrimonium.

Aperte patet; nam talis conditio non est contingens, sed determinata: ergo et determinatur Matrimonium cum eadem connexum, ita ut sit vel non sit, quatenus est, vel non est conditio e qua dependet.

184. II.ª Si fuerit conditio necessaria, statim, per se loquendo, valet Matrimonium.

Nam talis conditio est jam natura sua in unum determinata: ergo et consensus ab ipsa pendens, ideoque et Matrimonium: hinc judicatur in foro externo poni talem conditionem, non ad suspendendum consensum, sed ad ejus firmitatem innuendam.

Dixi *per se*. Nam si contrahens nesciret esse conditionem necessariam, vel mens ipsius foret Matrimonium cum existentia actuali conditionis connectere; suspenderetur etiam consensus et Matrimonium.

185. Obj. 1.° Multo magis obstant determinationi consensus

(1) In c. *Super eo*, L. 5, n. 56.

conditiones physice impossibiles, vel etiam moraliter, seu turpes, quam honestae et indifferentes. Atqui illae ex jure non suspendunt consensum et Matrimonium, habenturque ut non adjectae: ergo neque suspendunt ceterae conditiones.

Resp. Dist. *Maj.* Si tales conditiones serio apponantur, et animo suspendendi consensum juxta illarum actuationem; conc. Si joco statutae fuerint, vel mere concomitanter ad consensum: nego quod magis obstent. Jam vero id in foro externo supponitur, et ideo sententia fertur in favorem, seu pro existentia Matrimonii, nisi probetur, serio fuisse eas conditiones indicatas. Notat autem Sanchez, necessum esse, quod contrahentes sciant has conditiones turpes vel impossibiles haberi ab Ecclesia ut non adjectas: sic enim tamquam joco appositae tunc jure censentur.

186. Obj. 2.° Rogatus Pontifex (1), an qui contraxit sub conditione, si pater voluerit, sit, impleta conditione, cogendus consummare Matrimonium? Respondit: non esse cogendum ad contrahendum, nisi voluntas patris intercedat. Ergo e contra, posita conditione, cogendus erat contrahere, ideoque renovare consensum.

Resp. Dist. et explico: cogendus ad contrahendum, id est, ad perficiendum et consummandum Matrimonium; conc. Aliter; nego. Nam juxta interrogationem intelligenda responsio, et juxta causam propositam interpretanda sententia: jam vero quaestio proposita fuerat, an ille cogendus esset consummare Matrimonium?

THESIS XXIV.

Conditiones substantiae Matrimonii oppositae, aut ejus bonis, consensum irritum reddunt.

187. **Nota.** Essentia Matrimonii in vinculo stat; ideoque in consensu ad societatem conjugalem: hinc tria bona sequuntur ad quae tacite obligantur; scilicet, ad perpetuam societatem, ad fidem mutuo sibi servandam, prolemque suscipiendam, seu non impediendam, si Deus dederit.

188. Prob. 1.° In Jure (2) ex Gregor. IX, expresse habetur: «Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta, si »alter dicat alteri: contraho tecum si generationem prolis evites, vel »donec inveniam digniorem, aut si pro quaestu adulterandam te »tradas; Matrimonialis contractus, quamtumcumque sit favorabi»lis, caret effectu.»

2.° Sine substantia nihil perfici potest: sed in praedictis bonis

(1) C. *Super eo*, de Cond. appos.—(2) Cap. fin. de Cond. appos.

stat Matrimonii substantia (1): ergo, non consentit in Matrimonium, qui ea excludit bona.

Confir. Ceteri contractus annullantur quoque, si quicquam apponatur contra eorum substantiam; ut in societate, si lucra et damna non sint communia; in mutuo, si non transferatur rei mutuatae dominium, etc. Ergo idem dicendum de Matrimonio.

189. Corollarium. Patet proinde non solo jure ecclesiastico, sed naturali irritari Matrimonium conditionibus dictis; nam ex ipso contrahendi modo excluditur contractus substantia.

190. Obj. 1.° Contrahentes cum intentione vitandi prolem, non servandi fidem, etc., valide contrahunt: ergo etiamsi exterius haec in conditionem et pactum deducantur, stabit Matrimonium: si enim intentio interna non excludit consensum, neque pactio externa excludet.

Resp. Nego *conseq.* Nam quidem, intentio non standi obligationi, illam non impedit, sed potius supponit: illam autem omnino excludit pactum se obligandi ad oppositum. Jam vero obligatio ad illa bona est de substantia Matrimonii: si ergo in ipso contractu quis velit ad oppositum obligari, non se obligat ad Matrimonium, seu non illud contrahit.

Obj. 2.° Si homini existenti accidat aliquid contra ejus substantiam, ipse perit. Atqui si existenti Matrimonio adjiciantur dictae conditiones, non illud annullant; ergo nec si apponantur prius.

Resp. Dist. *min.* Illud non annullant, quia est indissolubile, nec proinde retractari potest; conc. Quia non sunt contra ejus substantiam; nego.

191. Obj. 3.° Conditiones turpes, imo et impossibiles, non vitiant contractum, sed rejiciuntur tamquam non positae: ergo idem dicendum de dictis conditionibus substantiae Matrimonium contrariis.

Resp. Dist. *Ant.* Conditiones... non impedientes consensum ad unionem conjugalem non annullant contractum; conc. Aliae conditiones; nego ant. et inde negatur paritas et consequentia.

---

(1) Cap. *Omne*, 27, q. 2.

SCHOLION.

De conditionibus honestis bono Matrimonii adversis.

§. I.

De contrahentibus cum promissione perpetuae castitatis.

De conditione adversus bona Matrimonii adjecta, quae quidem honesta existat, quaeri solet, an illud irritet, et primo quidem de adjecta perpetuae castitatis servandae promissione seu conditione.

192. Si enim aliqui contraherent ea lege, seu conditione, ut perpetuam servarent castitatem, impediretur, vi ipsius contractus matrimonialis, bonum prolis; quo casu censent aliqui non vitiari Matrimonium, quia conditio illa est honesta, et aliunde usus non est essentialis; ita aliqui cum Abulensi, censentes ea conditione contraxisse B.am Virginem cum B. Joseph. Hanc opinionem vere probabilem dicit esse Sanchez (1). Alii autem affirmant annullari contractum: sic D. Thomas (2), S. Bonavent., Sotus, Navarrus, Sanchez, qui eam multo probabiliorem censet, etc. Hujus sententiae rationes sunt.

193. 1.° Sum. Pontifex (Thes. praec.) absolute asserit, conditionem contrariam bono prolis irritare Matrimonium, quin distinguat inter honestam vel turpem: ergo.

2.° Bona Matrimonii, ideoque et jus ac obligatio conjugum, non sequuntur illud pro libitu contrahentium, sed ex ipsa Matrimonii essentia, seu ex Deo auctore naturae: ergo conditio quae his bonis adversatur repugnat intrinsecis et necessariis ad Matrimonium, et ideo illud irritat.

194. Prior opinio ait. 1.° Copula carnalis non est de essentia Matrimonii, sed vinculum: ergo conditio excludens copulam non irritat illud.

Alii respondent. Copula in actu secundo non est essentialis; conc. In actu primo, seu quoad jus; nego. Item dist. *consequens*. Conditio excludens copulam et jus ad illam non irritat; nego *conseq*. Si non excludat obligationem et jus ad copulam, non vitiat Matrimonium; conc. vel potius nego suppositum. Si enim sub conditione non petendi, vel reddendi debitum, seu servandi castitatem,

---

(1) De Matr. l. 5, d. 10.—(2) 4, dist. 28, Q. un. a. 4, ad 3.m

contrahatur Matrimonium, intenditur ut vi ipsius contractus excludatur jus et obligatio.

195. 2.° Dicunt: Duo qui voto castitatis obstricti sunt, valide contrahere possunt. Atqui tamen jus et obligationem mutuam ad copulam non acquirunt: ergo talis obligatio non est intrinseca.

Ad haec autem reponunt alii: Obligatio erga Deum non habendi copulam praescindit ab eo, quod sit jus et obligatio erga conjugem ad eam habendam: votum enim castitatis non est traditio proprii corporis, vel juris ad alienum corpus, sed promissio non utendi proprio vel alieno corpore; si ergo voto obstrictus Matrimonio se tradat, infidelis quidem erga Deum erit, cum non stet promissis, sed traditio valida existet.

196. Si autem certus fieret, puta, speciali Dei instinctu, quod Matrimonium nihil voto castitatis obstaret, tunc sane conjux, qui castitatem vovisset, nullatenus peccaret in Matrimonio contrahendo. Sic explicat D. Thomas, (1) agendo de B. Virgine: «Co»pula carnalis cecidit implicite sub consensu B. Virginis, sicut »actus implicite continetur in potentia. Potentia autem ad carnalem »copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de pu»ritate ipsius nisi ratione actus, qui quidem numquam fuit in pro»posito beatae Virginis, sed erat jam certificata, quod actus num»quam sequi deberet.» Similiter explicat Suarezius (2): «Di»cendum ergo est, cum Hugone Victor. (l. de Virg. M.), »quem S. Thomas, Albertus M. et ceteri scholastici secu»ti sunt, et fuit etiam sententia antiquorum Patrum (ut supra vi»dimus), B. Virginem ex divina revelatione contraxisse Matrimo»nium. In omnibus enim rebus speciali Spiritus Sancti directione »regebatur, praesertim in re gravissima, et quae ad statum totius »vitae pertinebat, et ad mysterium Incarnationis proxime ordina»batur. Eadem autem revelatione intellexit B. Virgo suum sponsum »libenter in perpetuam virginitatem fuisse consensurum, nullum»que detrimentum perfectioni suae virginitatis allaturum. Et hinc »etiam intelligitur, potuisse B. Virginem consentire in verum Ma»trimonium, non consentiendo actualiter et explicite in carnalem »copulam, neque absolute, neque sub illa conditione, si S. Jo»seph debitum petiisset. Quia jam erat certa, illum numquam »petiturum: unde supervacaneus et otiosus fuisset talis actus. »Dico autem actualiter et expresse; quia in radice, et in causa, vi»detur habuisse hunc consensum, consentiendo in Matrimonium.»

197. 3.° Adjiciunt primae opinionis AA. Si post Matrimonium se obligent conjuges ad continentiam, stat simul cum ea obliga-

(1) 4, dis. 30, Q. 2, a. 1, q. 2 ad 3. – (2) 3, p. q. 29, a. 2, sec. I.

tione vinculum Matrimonii: ergo ab initio potuit validum esse Matrimonium cum conditione non utendi.

Ad haec respondent alii: dist. *ant.* Si se obligent ex fidelitate; conc. Si se obstringant quasi remittendo jus et obligationem e Matrimonio contractam; nego ant. vel potius suppositum: procedit enim obligatio a Deo auctore naturae, quam dissolvere nequeunt conjuges. Item negant *consequentiam:* quia fit essentialiter in Matrimonio corporum traditio; et ideo fieri non potest, quin verum justitiae jus ab utroque conjuge acquirātur.

Ejusmodi sunt utriusque opinionis fundamenta, quae lectoris prudenti criterio committimus. At «D. Thomas et ejus di»scipuli communius opinantur» cum 2.ª sent. Suarez (ibid.).

§. II.

De contrahentibus cum obligatione non petendi debitum.

198. Si unus conjugum intenderet alterum obligare dicendo: «Contraho tecum, si voto castitatis te obliges ad non petendum ne»que reddendum debitum;» quidam censent, non irritari Matrimonium; quia religione tantum erga Deum obligatur, non justitia erga conjugem. Sed verius affirmat Sanchez cum Soto et aliis, invalidari contractum: nam illa obligatio opponitur quidem bono prolis, et vi ipsius substantiae contractus matrimonialis. Qui enim vi pacti matrimonialis tenetur ad votum, et tenetur ad id quod connaturaliter sequitur votum: unde talis conditio repugnat naturae Matrimonii.

Idem dicendum, si conditio tantum adjiciatur, *non petendi debitum.* Quia Matrimonium, ob bonum prolis, consequitur jure naturae mutuum et aequale jus ad corpus alterius: ergo si quis contendat, vi ipsius contractus matrimonialis, jus alterius conjugis limitare, intrinsecis Matrimonii bonis opponitur.

THESIS XXV.

Si quis ea conditione vel modo Matrimonium contrahere voluerit, ut contractum mere civilem ineat, seu ut praescindat omnino a ratione sacramenti, irritum erit tale Matrimonium.

199. **Nota.** I. Ratio sacramenti fuit a Christo D. Matrimonio adjecta, ita ut per se non sit eidem intrinseca; hinc infidelium Matrimonia non sunt sacramenta, etiamsi vera et legitima existant. Verum dubitari potest, utrum perfectio ista sacramentalis ad sub-

stantiam pertineat Matrimonii christiani. ita ut, illa remota, Matrimonium verum esse nequeat.

II. Sacramenti ratio est complexa, et potest considerari secundum ea, quae ipsum comitantur, praecedunt et consequuntur. Comitantur quidem quae sunt constitutiva, praeeunt dispositiones necessariae, sequuntur effectus et omnia ei connaturaliter connexa. Quia vero sacramentum Matrimonii in ipso matrimoniali contractu situm est (1), ideo quae praecedunt, comitantur et sequuntur contractum, pariter se habent ad Sacramentum, et vice versa.

200. Prob. 1.° Pius IX supra (2) ait: «Nihil dicimus de illo »alio decreto, quo Matrimonii sacramenti mysterio, sanctitate, dig»nitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus »ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum potestate pror»sus spreta, proponebatur... ut Matrimonium tamquam civilis tan»tum contractus haberetur. Cum nemo ex catholicis ignoret Matri»monium esse unum ex septem sacramentis a Christo institutum, »ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin »uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet »aliam, inter christianos, viri et feminae conjunctionem, cujus»cumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse posse, nisi »turpem concubinatum; ac proinde a conjugali fodere sacramen»tum separari numquam posse.» Similiter Leo XIII ait (3): «Nec quemquam moveat illa tantopere a regalistis praedicata dis»tinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt, »eo sane consilio, ut Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, »contractum tradant in potestatem arbitriumque principum ci»vitatis. Etenim non potest hujus modi distinctio, seu verius dis»tractio probari; cum exploratum sit in Matrimonio Christiano con»tractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non pos»se contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso »sacramentum.»

201. 2.° Ratio hujus rei innuitur in laudatis Pontificum verbis. a) Christus D. voluit ac instituit, ut ipsum Matrimonium esset sacramentum; Matrimonium autem est ipse contractus, dummodo sit legitimus: ergo Christianus, qui vult Matrimonium, non potest, ex ipsa Christi institutione, praescindere omnino a ratione sacramenti. b) Qui omnino praescindit a sanctitate sacramenti, necessario spernit auctoritatem Ecclesiae in tale sacramentum, et in Matrimonium, quo intrinsecus illud constituitur. Sed posthabita Ecclesiae auctoritate, et civili tantum habito contractu, non consistet contractus legitimus; ergo qui omnino praescindit a ratione sacramen-

---

(1) Thes. XI. n. 73..—(2) Ibid. Thes. XIV, n. 98.—(3) Supra ibid.

ti, irritum efficit Matrimonium. *Maj.* patet. Nam quatenus est Matrimonium res sacra, ad auctoritatem referri debet Ecclesiae. *Min.* etiam: etenim, ut ait (ibid) Leo XIII: «De sacramentis statue»re et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ec»clesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem »ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.» Atqui sacramentum intrinsecus constituitur ipso contractu matrimoniali, ut in Nota II.ª diximus: ergo.

202. Obj. Materia et forma sacramenti Matrimonii in ipso contractu matrimoniali sita est. Sed etiamsi quis a ratione praescindat sacramenti, potest integram materiam et formam sacramentorum adhibere; puta, lavare, ungere, et convenientia proferre verba: ergo potest quoque contractus perfici matrimonialis, praetermissa omnino ratione sacramenti.

Resp. Dist. *min.* Potest materia et forma physice, seu materialiter, adhiberi, etiam si quis praescindat a ratione sacramenti: conc. Si materia et forma in actu morali et legitimo sint repositae; subd. Possunt adhiberi materia et forma, praetermissa ratione sacramenti, si actus ille per se legitimus esse valeat independenter a perfectione sacramentali; conc. Aliter; nego.

Scilicet, contractus matrimonialis a Christo sanctificatus, et ea de causa Ecclesiae potestati traditus, non potest esse legitimus, si quis conetur ab ea praescindere sanctitate ac Ecclesiae potestate, et illum ut merum naturalem ac civilem contractum inire.

203. **Scholion.** Dubitari potest, quid accideret, si quis, non quidem «Sacramenti dignitate omnino despecta, atque Ecclesiae in sa»cramentum potestate prorsus spreta,» uti loquitur Pius IX (1); neque «ita disjungeret contractum nuptialem a sacramento, eo con»silio, ut, «Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum »traderet in arbitrium principum.» ut ait Leo XIII (ibid.); sed, servatis omnibus Ecclesiae statutis ad legitimitatem Matrimonii, sola careret intentione suscipiendi et ministrandi sacramentum, quae pro valore sacramentorum requiritur?

In primis certum omnino censemus; requiri de jure, seu quoad liceitatem: id enim saltem aperte docent (ibid.) summi Pontifices.

Deinde, existimamus etiam cum Sanchezio (2), necessum esse pro validitate contractus Matrimonii, ut perfectio sacramentalis semper illum comitetur, ideoque nec intentio necessaria pro sacramenti susceptione a contractu excludatur. Praeter Pontificum laudata superius verba, quae id suadere possunt, vide alias apud Sanchezium rationes, temporis enim angustia in his amplius immorari non patitur.

---

(1) Supra, Cap. III, Th. VI.—(2) Lib. 2, D. 10, n. 6.

ARTICULUS III.

De praeparatione ad Matrimonium, seu de sponsalibus.

204. Sponsalia sunt quaedam ad Matrimonium via et praeparatio. Solent namque conjuges ante conjugium de eo pertractare et convenire, et inde ad illud ineundum quae necessaria sunt providere. Ne autem ad finem incertum certas et frustraneas adhibeant expensas et curas, ad Matrimonium certo contrahendum sponsione mutua communiter obligantur, qua de causa ejusmodi de futuro Matrimonio promissiones Sponsalia dicuntur. Sed praeter proprium istum sensum, alium inde derivatum etiam habent: sic dona illa quae mutuo sibi dare sponsi solent, etiam sponsalia appellantur: similiter conjuges. Matrimonio rato nondum consummato, juncti, latiori sensu, etiam Sponsi dicuntur; sic de B. Virgine et B. Joseph dicit Scriptura (1): *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph.*

THESIS XXVI.

Pro veris sponsalibus necessaria est promissio deliberata, externa et mutua.

205. **Nota.** Supponimus personas, quae sponsalibus obligari intendunt, esse habiles ad contrahendum. Ea existente dispositione remota, quae proxime ad ipsa sponsalia pertinent, inquirimus.

206. Prob. I.ª pars 1.° Ad Matrimonium homines non obligantur, uti diximus supra (2), sed libere illud amplecti possunt; imo ad majorem continentiae perfectionem omnes invitantur. Atqui sponsalia inducunt de contrahendo Matrimonio obligationem: ergo nisi quis promittat, seu nisi jus in semetipsum alteri tradat in ordine ad contrahendum conjugium, non habebuntur sponsalia.

2.° Patet ex ipsa sponsalium definitione, prout in Jure (3) traditur: ut enim ait Nicolaus Pontif., sunt «futurarum nuptiarum promissio.»

207. II.ª pars aperta est: nam ex promissione indeliberata, seu necessaria, obligatio moralis erui nequit. Est enim promissio veluti privata lex; atqui debet lex esse rationalis actus.

208. III.ª pars. Quod externa esse debeat promissio ut fiant spon-

---

(1) Matth. I, 18.—(2) Thes. III, n. 21.—(3) Cap. *Nostrates*, 30, q. 5. Et Juriscons. l. 1, ff. de Spons.

salia, patet: cum haec sint inter duos homines contractus ultro citroque obligatorius, in quo uterque dat, uterque acceptat jus in alterum.

Confir. In Jure positivo exigitur, quod intercedat acceptatio, ut promissio obliget; quod erudite ostendit Sanchez (1): ergo.

209. IV.ª pars prob. Patet communi sensu, et expresso Jure (2), in quo sponsalia vocantur repromissio, id est reciproca promissio.

Ratio est, quia sponsalia sunt praevius ad Matrimonium futurum contractus: sed Matrimonium debet esse mutua promissio et obligatio: ergo a pari sponsalia.

SCHOLIA

210. I. Inquiri solet, utrum, si altera pars acceptet quidem promissionem sibi factam, sed non repromittat; obligabitur ad alterius libitum is qui promisit, si tandem ille contrahere Matrimonium decernat.

Variae feruntur sententiae; verior autem sic distinguit: si promissio fiat gratis et liberaliter, seu non expectando repromissionem; promittens obligabitur, donec prudenter appareat alterum a celebrando Matrimonio desistere. Si vero non fiat gratis, sed intendendo firmare spem Matrimonii, quae quidem ab utriusque pendet promissione, prior promittens non obligabitur.

211. II. Promissionem deliberatam requiri ad sponsalia diximus, sicut etiam ad Matrimonium. Quid ejusmodi requirat deliberatio ex opposito intelligetur. Aliqui voluntatis motus dicuntur primo primi, quia ita celeriter fiunt, ut nullo modo possit illos homo cohibere: tales actus non sunt ullatenus liberi, seu deliberati. Alii actus secundo primi appellantur, qui absolute impediri possunt, sed sub tenui libertate: in his non est culpa mortalis, sed venialis esse potest. Alii vero actus sunt perfecte liberi, quia ex ratione dirigente et voluntate libera procedunt; et in his est plena ratio culpae. Haec deliberatio ergo, quatenus opponitur motibus primo primis, vel etiam secundo primis, requiritur et sufficit ad sponsalia: major autem deliberatio, quae considerationem importet omnium circumstantiarum, quae in re occurrere possunt, non est necessaria. Et quidem illa prior requiritur: nam obligant sub gravi sponsalia, et ex justitia, et circa rem gravem versantur; sufficit quoque: nam in Jure saepe statuitur (3), septennium sufficere ad

---

(1) De Matr. Disp. 6, l. 1.—(2) L. 1, ff. de Spons.—(3) Cap. Literas, a. *Accessit;* c. Ad *dissolvend.* de Sponsal. imp.

contrahenda sponsalia. Sed in ea aetate perfectior illâ deliberatio dari communiter nequit; ergo. Ita S. Antonin., Soto, Molina, Sanchez, etc., etc.

THESIS XXVII.

Ex sponsalibus a) gravis oritur ex justitia obligatio; b) si autem quis ficte promittat, per se quidem graviter peccat contra veritatem; c) at non obligatur per se ad Matrimonium.

212. **Nota.** Disputatur inter AA. in quo essentia promissionis sit reponenda. Vazquezius (1) eam definit: «Affirmatio et annun»tiatio alicujus rei in futurum faciendae, ei insinuata in cujus gra»tiam et utilitatem seu obsequium, res facienda est.» Talis enuntiatio, ait, aut fit Deo, aut fit homini: si fiat Deo, intellectu perficitur: nam Deo intellectu loquimur, et ita fidem nostram ei voto, aut juramento, alligamus; si fiat homini, nonnisi verbis aut signis sensibilibus fieri potest. Suarez autem (2) ait, voluntatem efficacem se obligandi alteri ad aliquid in futuro in commodum ipsius praestandum, eidemque significatam, constituere promissionem, prout a promittente pendet; consummari autem si ab altero acceptetur. Unde censet Vazquezius in quadam locutione mentali, vel externa sitam esse essentiam promissionis; Suarez autem in quodam promittentis voluntatis actu qui exigit, tamquam conditionem, ut intercedat alterius acceptatio.

213. I.ª pars prob. 1.° In contractu oneroso ex justitia necessarium est aequalitatem servare: sed si quis non stat sponsalibus, non servat aequalitatem contractus onerosi, et quidem in re gravi; ergo.

2.° Ex promissione, si compensatoria sit (ut argumentatur Vazquez (3), et ex definitione a Suarezio data elucet) oritur jus justitiae acceptanti in materia corporali et utili, et ad jus naturale pertinet dare unicuique quod suum est, et debitum persolvere; et si res promissa sit magni momenti, non potest esse levis injustitia. Atqui haec in sponsalibus concurrunt; ergo.

214. II.ª pars. **Nota.** Duplex fictio considerari in sponsalibus solet: prima; si dicat quidem exterius sponsus, se promittere, at interius nolit: secunda; si promittere quidem velit, quin tamen obligetur. Dicimus ergo graviter peccare, et quidem in utroque casu.

---

(1) De Matr. disp. 6, c. 2.—(2) De juram. l. 2, c. 1; et de voto, l. 1, c. 13.—(3) Ibid. c. 3. n. 35.

215. Prob. Mentiri in re graviter nociva est peccatum grave: sed qui eo modo ficte promittit, sic mentitur; ergo. *Major* est evidens: *minor* etiam; error enim in quem alter inducitur per fictam illam promissionem, est error gravem inducens molestiam, et iniquam in re magni momenti subjectionem, ac libertatis moralis coarctationem.

Diximus: per se graviter peccat. Nam si ficte promitteret, ex errore vel ignorantia inductus naturae promissionis; vel quia necessitate magna ad id cogeretur; posset leviter tantum, vel nullatenus peccare.

216. III.ª pars prob. 1.° Ex contractu invalido nequit obligatio oriri: sed promissio ficta, seu mere externa, est invalida; ergo. *Minor* patet: nam consensus, et quidem liber, est de essentia contractus.

2.° Matrimonium cum conditione celebratum substantiae illius opposita est invalidum, ut supra dictum est; quia, scilicet, talis conditio excludit verum consensum: ergo idem dicendum de sponsalibus, si consensus fuerit fictus.

217. Obj. 1.° Promissio sita est in assertione ejus quod in futurum agendum est, ei enuntiata in cujus commodum ordinatur. Sed repugnat asserere aliquid in futurum, et non asserere; sicut affirmare aliquid de praesenti et non affirmare; ergo repugnat promissio ficta. Ita Vazquez, juxta suam definitionem supra traditam.

Resp. Dist. *maj.* Inadaequate promissio sita est... conc. Adaequate; nego *maj.* Nempe futurum contingens eatenus a nobis asseritur, quatenus veritatem in sua causa habet: futurum autem a nobis faciendum continetur in actuali nostro proposito. Unde inquit D. Thomas (1): «Sufficit ad veritatem verbi, quod aliquis di»cat id, quod proponit se facturum: quia jam hoc verum est in sua »causa, scilicet in proposito facientis.» Jam vero, praeter hoc fundamentum futuri eventus, scilicet, actuale propositum, potest aliud certius adjici; nempe, obligatio efficiendi, ut in re ipsa et in executione vera sit illa assertio de futuro, quatenus respicit effectum in se, et non tantum in causa; ita ut, inde teneatur homo non tantum ad habendum propositum, prout simplex requirebat assertio, sed etiam ad perseverandum in eodem. Nam, sane, per se non tenetur homo ad permanendum in aliquo proposito.

218. Obj. 2.° Obligatio consequens promissionem oritur e jure naturae, non ex libito promittentis; sicut obligatio verum dicendi fluit ab humana ipsa locutione, velit nolit qui loquitur: ergo stul-

(1) 2. 2. q. 89, a. 7, ad 1.

tum est, quod velit quis promittere, et non obligari ad standum promissis.

Resp. Dist. *maj.* Obligatio *ex fidelitate* consequens promissionem oritur jure naturae; conc. Obligatio *ex justitia;* nego *maj.* Nam haec obligatio inde promittenti nascitur, quod velit implicite vel explicite, transferre ad alium, cui promittit, rem aliquam vel jus ad rem. Sane qui loquitur, obligatur naturaliter, ipso facto, verum loqui; et qui vere promittit, fideliter tenetur exequi rem promissam; et qui jus vere alii concedit, justitia obligatur: non autem qui ficte promisit, vel ficte jus tradidit.

INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando *pagina* citatur.

A

Absolutio; V. 239. Quis sensus; ibid: sensus rejiciendi; 244. Quae verba necessaria; 126. Soli Sacerdotes sunt ejus ministri; 245. 247.

Acolythatus; Est ordo; VII, 4: Est sacramentum; 60.

Actus substantia quae; V. 183: circumstantiae; 184. Actus violentus absolutus, conditionatus; VIII, 174.

Angeli; possunt ex commissione administrare sacramenta; non ex institutione; I, 144.

Applicatio Missae; IV, 264: pro se et pro fidelibus viventibus; ibid: pro infidelibus viventibus non excommunicatis; 267: pro defunctis in pace Christi; 270.

Approbatio; quid sit; V: 275. Qua indegeant regulares et parochi; 277. In articulo mortis omnes sacerdotes sunt approbati; 279.

Aqua; vera et naturalis est materia necesaria Baptismi; II, 26: quomodo applicanda; 33. In Eucharistia modica aqua vino miscenda; IV. 129. An convertatur in Sanguinem Christi; 130. An ex praecepto miscenda; 136.

Attritio; sufficit in sacramento ad remissionem peccati; V. 138; II, 123. Vere attritus non magis odit gehennam quam peccatum; V. 146. Attritio est sufficiens, si ex metu poenarum temporalium concipiatur; 148–150: item si ex speciali tantum motivo; 154. Sola peccatorum displicentia absque dolore et proposito non satis est; 153. Venialia, sola attritione. extra sacramentum remittuntur; V, 62. Sola sufficit ad capessendum martyrii fructum; I, 83.

B

Balsamum est essentiale Confirmationi; III, 34. Non necessarium in Extrema-Unctione; VI, 37.

Baptismus; quando a Christo institutus; II, 7. Remittit tum originale, tum omne actuale peccatum, gratiam infundit; 10. Remit-

tit omnem poenam; 15. Proprius ejus effectus. I. Prooem; 47. b) c); II, 18.

Est sacramentum N. L.; II, 21: ejus materia; 26. Est necessaria ablutio, quae per immersionem, aspersionem et effusionem fieri potest; 33, 34. Non necessaria trina immersio; 36. Forma; 37. Distincta trium divinarum Personarum invocatio est essentialis: ibid. In nomine tantum Christi non baptizarunt Apostoli; 42–45. Actus baptizandi etiam distincte significandus; 46. Non videtur valida forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti, etc.* 48. Regula duplex validam formam discernendi; 49.

Baptismus unus est, seu iterari non potest; II, 50. Quando sub conditione iterandus; 54. Est necessarius necessitate medii; 61. Actus perfectae charitatis seu Baptismus flaminis cum voto Baptismatis purificat; 71: idem praestat martyrium, tum pro adultis, tum pro parvulis; 76.

Quilibet homo potest valide baptizare; II, 91: licite in casu necessitatis; 94: sed in Baptismo solemni ordinarius minister est Sacerdos, extraordinarius Diaconus; 96, 97.

Infantes ante rationis usum licite baptizantur; II, 102, 109. Ut adultus valide et licite baptizetur, quae requirantur; 116, 120. Per memoriam Baptismi non remittuntur baptizatis peccata: V, 11.

Beati, miraculose resurgentes haberent in sacramenta eamdem potestatem, qua ante mortem pollebant; I, 142.

C

Caelibatus, ejus lex sanctissima et acquissima est; VII, 97: obligat mediate per votum; 105.

Causa, instrumentalis et principalis, moralis et physica; I, 62.

Character, imprimitur a tribus sacramentis Baptismo, Confirmatione et Ordine; I, 49: est aliquid reale; 56: probabilius absolutum; 59: recipitur immediate in anima; 60: non deletur in alia vita; 61. In quo secernitur episcopalis a charactere simplicis sacerdotis; VII, 51. An in ordinatione Presbyteri detur duplex character; 76.

Chrisma est materia Confirmationis; III, 22: debet esse ab Episcopo benedictum; 35.

Christus, immediate omnia sacramenta N. L. instituit: I, 123: non solum ut Deus, sed etiam ut homo; 132: et quidem propriis meritis; 134.

Est vere, realiter et substantialiter praesens in Eucharistia; IV, 17: statim post prolationem verborum, non in usu tantum; 34:

totus sub singulis speciebus et sub qualibet parte, ante separationem, et divisione facta; 71: simul in pluribus locis definitive; 81–83. Multiplices Christi praesentiae inter se conferuntur; 85–94. Quomodo miraculose videatur in forma pueri vel alio modo in Eucharistia; 95.

Est in sacrificio Missae res principaliter oblata; IV, 200: ut existens sub speciebus; 202. Ipse est principalis Sacerdos et offerens; 226.

Circumcisio: cum ea dabatur gratia et remittebatur originale peccatum; I, 32. In adultis praecedere debebat charitas vel contritio; parvulis gratiam minime ex opere-operato conferebat; 33, 35. Patrum sententiae conciliantur; 38.

Circumstantiae peccati speciem mutantes; V, 186: intra eamdem peccati speciem, quae veniale in mortale transferunt confitendae: 202: quae mortale graviter aggravant an confitendae? 201–204.

Communio sumenda ex praecepto divino et ecclesiastico; IV, 161: aliquoties in vita, semel in anno; 164: non sub utraque specie; 165. Sub una specie eamdem gratiam per se confert, ac sub utraque; 108: majorem tamen, si major sit dispositio: 110, 111. Pueri quando communione reficiendi; 160. Communio spiritualis; 170–174.

Compenetratio corporum Dei potentia est possibilis; IV, 79. Totum Christi corpus potest in indivisibili puncto constitui. Coroll. p. 214.

Conditio ad Matrimonium quotuplex. VIII, 178 p. 656: non obstat Matrimonio contrahendo; 178, 179: nisi adversetur substantiae et bonis Matrimonii; 188. An obstet conditio perpetuae servandae castitatis; 192. Si quis vult contrahere mere civiliter excludens Sacramenti rationem, irritum facit matrimonium; 200.

Confessio, tum in V. tum in N. foedere, necessaria; V. 106, 108. In ea Sacerdotes tamquam judices debent exercere sensibiliter potestatem remittendi peccata; 115. Debet esse omnium peccatorum lethalium post Baptismum commissorum in numero et specie; 175.

In dubio lato de confessione facta, peccati existentia, vel gravitate poterit quis non confiteri peccatum; V, 206: contra vero, si aliter judicetur; 208. In dubio stricto, aliquando confitendum, aliquando non: 211, 212.

Aliae confessionis dotes; V, 213... Quomodo dolorosa fiat confessio; 222. An apud eumdem confessarium, qui auditae confessionis oblitus est, iteranda sit confessio non dolorosa; 223. Confessio communiter secreto facienda; 226.

Confirmatio. Confert peculiaria auxilia ad fidem Christi fortiter pro-

fitendam; III. 12: est verum sacramentum; 19: cujus materia est sanctum Chrisma, simul probabilius cum manuum impositione; 22, 29: ejus forma in Latina et Graeca Ecclesia; 36.

Minister ordinarius est Episcopus; III, 38: extraordinarius simplex Sacerdos; 40. Omnes et soli baptizati possunt confirmari; 42: non tamen debent ut salutem consequantur: 45. Ad infantes confirmandos servanda cujusque Ecclesiae consuetudo; 47.

Consensus requiritur aliquo modo positivus in adultis ut valide suscipiant Sacramenta. Eucharistia excepta; I, 156. Probabilius sufficit habitualis, nec metus obstat nisi in Matrimonio; 160. Ad Matrimonium qualis requiratur; VIII, 169-172. (v. Conditio, Metus). Cum consensus aut intentio suscipientis est necessaria, pertinet ad constitutionem sacramenti; I, 103.

Contractus quomodo definiatur; VIII, 57. In contractu externo non habetur Matrimonii essentia; 41. De materia et speciali ratione contractus Matrimonii; 58, 60. (v. Sponsalia).

Contritio quid et quotuplex; V, 132: charitate perfecta remittit peccata, extra sacramentum; 16, 133. Ad remissionem in sacramento sufficit imperfecta; 138 (v. Attritio). Ut per contritionem perfectam remittantur peccata, sufficit quilibet ejus gradus; 18.

Conversio unius rei in aliam, quid importet, quotuplex; IV. 41, 49. Oportet ut terminus a quo absolute desinat esse; 56.

D

Diaconatus-Diaconus. Diaconatus est ordo sacer; VII. 4. Ordinatio diaconi est sacramentum; 52. Diaconatus materia et forma; 65. Diaconus est minister extraordinarius Baptismi solemnis; II. 97. Ex commissione Presbyteri potest Eucharistiam dispensare; IV, 153.

Diaconissae ad nullum pertinebant ordinem ecclesiasticum; VII, 59. Earum munia; ibid.

Dispositio status gratiae quomodo requiratur in ministro sacramentorum; I, 148, 149, 155. In subjecto, non est necessaria ad sacramenta mortuorum suscipienda; 163. Per se exigitur ad sacramenta vivorum; 165. Per accidens, sufficit bona fides status gratiae; 167. Haud rite dispositus accedens ad sacramentum privatur fructu et peccat mortaliter; 169.

Ut proprium effectum Missae quis consequatur, debet esse baptizatus; IV, 274: et probabilius in statu gratiae; 276: etiam viator sit oportet; 278.

Divortium perfectum reprobatum jure divino-naturali; VIII; 124, 127. Explicantur verba Domini apud Matthaeum: «Omnis qui

dimiserit etc.»; 135. Conjugi ad fidem converso permittuntur novae nuptiae si compars infidelis recedat; 136. Judaeis ex dispensatione divina, licitum fuit libellum dare repudii; 143.

Dona Spiritus Sancti; III, 48: probabilius distinguuntur a virtutibus infusis; 49. Singula peculiare bonum animae tribuunt; 30. Quo ordine enumerentur; 51.

Dubium stricte et late dicitur; V, 205. Dubium quando est rationabile ad iterandum Baptismum sub conditione; II, 55. Dubium peccatum. (V. Confessio).

Durandi sententia de efficientia sacramentorum rejicitur; I, 26.

E

Ecclesia: ejus sacramenta longe superant sacramenta V. L.; I, 30, 36. Prudenter occidentalis Ecclesia et universa fere Orientalis denegat pueris communionem; IV, 159. Ecclesiae permissa est a Domino aliqua determinatio accidentalis materiae et formae in aliquibus sacramentis; VII, 72. In Matrimonio materiam mutat non formaliter, sed materialiter; VIII, 149. Ad eam solam spectant causae matrimoniales vinculum respicientes; 150.

Episcopatus–Episcopus. Episcopalis gradus est presbyteris superior jure divino: VII, 16, 20: non est octavus et simpliciter a Presbyteratu distinctus ordo; 26: ejus ordinatio est sacramentum; 45. Episcopus est minister principalis Baptismi; II, 96: solus ordinarius Confirmationis; III, 38: unicus conferendi presbyteratum et forte diaconatum; VII, 79, 87. Reliquorum ordinum est minister ordinarius; 84. Potest suis subditis indulgentias erogare; V, 326.

Eucharistia. Est praecipuum donum a Christo suae Ecclesiae collatum; IV. Prooem. p. 171: promissa fuit in cap. VI. Evang. Sanct. Joannis; 6–15. Christus in ea est vere praesens; 17 (V. Christus): sine ulla substantiae panis et vini permanentia; 38: per conversionem in Corpus et Sanguinem Christi; 40: quae recte dicitur transsubstantiatio; 42: manentibus dumtaxat speciebus; 59.

Eucharistia per se auget gratiam; IV, 96: per accidens potest primam causare; 101. Alii hujus divinissimi Sacramenti effectus; 103–107.

Eucharistia est N. L. sacramentum; IV, 115: constituitur intrinsece et in recto Corpore et Sanguine Christi; 117: una cum speciebus; 120: et verbis consecrationis: 122, I, 80. Forma Eucharistiae sunt verba: *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus;* 137, 139: quibus Christus consecravit; 138.

Sacerdotum proprium est consecrare Eucharistiam; IV, 148:

eam ordinarie, jure divino, ministrare; 151: possunt etiam per Diaconum dispensare; 153.

Eucharistiae subjectum est tantum homo baptizatus et justus, saltem existimative; 155.

Excommunicatus vitandus, an retineat jurisdictionem fori interni; V, 272.

Exorcistatus est ordo; VII, 4: est sacramentum: 60.

Extrema-Unctio. Est ritus sacer et sacramentum; VI, 1. 6: cujus effectus sunt, primario reliquias sanare peccatorum; 16: secundario culpas remittere; 18: si animae saluti expedierit, sanitatem corporis restituere, 23: etiam poenas temporales remittere; 28.

Materia est oleum olivarum; VI, 32. 34: ab Episcopo benedictum; 38. Apostolica auctoritate oleum infirmorum graeci Presbyteri benedicunt, 39. Forma est oratio, quam fundit Sacerdos inungens; 40: deprecativam debere esse communiter docent auctores; 42. Quot et quae unctiones adhibendae; 45.

Minister est solus Sacerdos; VI, 50: nec plures uno sunt necessarii; 53. 57. In Ecclesia Latina solis infirmis ministratur Extrema-Unctio; 58: Extrema-Unctio potest ab eodem subjecto saepius suspici; 65.

Non est necessaria ad salutem; VI, 69. Ut fructuose suscipiatur, requirit statum gratiae, et in peccatore attritionem saltem; 73. 74.

F

Fides non est necessaria in ministro sacramentorum; I, 145: nec in subjecto ad valide suscipienda sacramenta, Poenitentiae excepto; 161: est necessaria ut licite suscipiatur Baptisma; II, 117.

Filii infidelium quando baptizandi, quando non; II, 109. 115.

Forma seu verba, vel his aequivalentes nutus, est pars essentialis sacramentorum; I, 75. Verba formae sunt consecratoria; 84: necessum non est esse concionatoria; 87.

G

Gratia quam causant sacramenta est eadem cum sanctificante communi; I, 45: ut sanativa; 46. In diversis sacramentis exigit peculiaria auxilia; 47. Potest augeri ex opere operantis Ministri; 39. Aequalis gratia aequaliter dispositis, melior magis dispositis tribuitur; 41. Peccato mortificata, poenitentia reviviscit; V, 57.

Graeci ministrant sacram Unctionem sanis; VI, 60: an recte, non potest certo definiri; 61. 62. Concedunt solvi Matrimonium in casu adulterii; VIII, 134: quamvis errent, non sunt tamen haeretici; 140–142.

H

Henrici Gandavens. opinio de causalitate sacramentorum impugnatur; I, 28.
Hierarchia pluribus constituitur ordinibus; VII. 1. Septem jure numerantur; 4. Quod certo numero distincte praefigantur. non est divinitus praescriptum; 12.

I

Impedimentum; VIII. 144. Quod sit dirimens. quod impediens Matrimonium; VIII. 144. Potest Ecclesia impedimenta dirimentia statuere; 145: quod non possunt principes circa fidelium Matrimonium; 157: possunt vero in Matrimoniis infidelium; 163.
Indulgentiae quid proprie sint; V. 313. Ecclesia habet potestatem eas concedendi: 314. Non tantum poenas fori externi remittunt; 317. Eruuntur ex thesauro meritorum. satisfactionum Christi. B. Mariae et sanctorum; 318. Quomodo concedantur per modum absolutionis. quomodo per modum suffragii; 325. Non possunt sine jurisdictione concedi; 323: nec sine causa magnitudini indulgentiae proportionata; 327-330.
Infantes licite baptizantur ante annos discretionis: II. 102: imo debent fidelium filii baptizari vi praecepti ecclesiastici; 108: possunt juxta Ecclesiarum consuetudines confirmari; III. 47. Non est eis danda communio; IV. 159: nec Extrema-Unctio; VI. 63. Possunt valide ordinari; VII. 95.
Infidelis potest valide baptizare; II. 91; ejus cum fideli Matrimonium non est sacramentum; VIII. 85. Matrimonium infidelium. cum ambo baptizantur. non videtur fieri sacramentum; 89.
Institutio: ejus notio; I. 127: b). 130.
Intentio dividitur in actualem. habitualem et virtualem: I. 115. Ad conficienda sacramenta. Matrimonio excepto. non sufficit habitualis, sed requiritur saltem virtualis; ibid. p. 60. Intentio effectus in causa probabilius non sufficit; 116.
Intentio Ministri necessaria est ad perficiendum sacramentum; I, 94: et quidem constitutive; 97: quae se ferat in sacramentum formaliter. intendendo saltem facere quod facit Ecclesia: 104. Quomodo v. g. cum intentione Matrimonii et non sacramenti. stet sacramentum; 114. In Missae applicatione, aliam. ab absoluta, habere intentionem conditionatam. utile est; IV. 279.

J

Jurisdictio quid sit et quotuplex: V. 253. Jurisdictio ordinaria vel delegata necessaria est ad valide absolvendum: 254–267. Jurisdictio *in habito* probabilius non distinguitur a potestate Ordinis, quae *in actu* tunc completur, cum Sacerdoti designantur subditi: 261. Mulieres sunt incapaces jurisdictionis ecclesiasticae: VII. 94.

Jus divinum stricte est quod per se ipsum immediate Deus praescribit: VII. 19.

Justificatio per poenitentiam quotuplex; quomodo obtinenda; V, 80.

Justitia inter Deum et homines est stricta; V, 104.

L

Lectoratus est ordo: VII. 4. Orientales cum eo connectunt ordines Ostiarii, Exorcistae et Acolythi: 6. Est sacramentum; 60.

M

Maria V. B. vere conjugata S. Joseph; VIII. 45: sine detrimento voti castitatis; 196.

Martyrium ut suum tribuat effectum requirit in adultis voluntatem saltem habitualem; II, 82: Si quis nunquam voluerit martyrium et dormiens occidatur in odium fidei, Palao putat futurum martyrem; ibid. Probabile est, veros esse martyres qui in obsequio peste laborantium moriuntur; 85: etiam milites in bello pro fide occumbentes; 86.

Materia seu res aliqua est pars essentialis sacramentorum; I. 75: est proxima vel remota; II, 26.; IV, 125.

Matrimonium est ex divina et quidem naturali institutione; VIII. 8, 10: ejus actus est honestus ac licitus: 19. Matrimonium non obligat nisi hypothetice; 18. 21, 24. Verisimile est nullum extare divinum praeceptum Matrimonii contrahendi; 28, 29... Honesta inter virum et mulierem amicitia est etiam actus Matrimonii; 37.

Matrimonii essentia stat in vinculo, quod formaliter ex traditione mutua corporum in ordine ad generationem oritur; VIII. 52. Vera Matrimonii definitio; 56.

Est verum N. L. sacramentum; VIII. 61. Ante Christum non erat sacramentum; 68. Materia sunt vir et femina tendentes ad conjugium; 73-74. Forma, verba vel acquivalentia signa, qui-

bus tendentia et coadunatio actualis in conjugium significatur; 75. Minister hujus sacramenti ipsi sunt contrahentes; 95. (v. Divortium, conditio. consensus).

Meritum. peccato mortificatum. poenitentia reviviscit; V. 43: ita ut praemium illi essentiale tradatur; 50. 51: priori merito respondens; 53.

Metus non obstat, Matrimonio excepto, validae sacramentorum susceptioni; 1. 160. Matrimonio obstat gravis et injustus non jure naturae; VIII, 175: sed ecclesiastico; 170, 4.°

Minister: ordinarius. extraordinarius; I. 137-138. Ordinarius sacramentorum est solus homo viator; 139. (v. Dispositio. Fides.)

Missa est verum N. L. sacrificium; IV. 195. Panis et vinum sunt materia ex qua fit sacrificium; 205. Consecratio est essentialis sacrificio; 214. Verisimilius in ea tota est essentia sacrificii; 215. Communio ad integritatem pertinet sacrificii; 217. Consecratio constituit essentiam sacrificii. mystica Christi mactatione; 220: cum destructione termini a quo; 224.

Sacrificium Missae non differt essentialiter a sacrificio crucis; IV. 226: habet omnium antiquorum virtutem et efficaciam: 227-231: non confert directe ex opere operato primam gratiam: 237: nec augmentum ejus; 242: remittit aliquam poenam; 244. Fructus ex opere operato. alius est a Sacerdote ut Christi ministro. alius ut a persona privata; 252. Effectus ex opere-operato tribuitur certo iis pro quibus Sacerdos offert; 253: non iis pro quibus offerunt particulares; 254. Fructus Missae dividitur in generalissimum, specialem et specialissimum; 263.

Missae sacrificium quae impetrare valet; IV. 236-248. Effectus Missae primario consequuntur oblationem Sacerdotis, secundario etiam ex aliis offerentibus fructus aliquis procedit; 250. 251.

N

Necessarium necessitate medii in quo differat a praecepto necessario; II, 61; V, 3.

Numerus peccatorum quomodo computandus ratione moralis malitiae; V, 187: ratione actus interni; 188: ratione actus externi; 192: ratione multiplicis in uno actu malitiae; 195.

Nuptiae: plures successive contrahere per se licitum et honestum est; VIII, 104.

O

Obex. Eo ablato, aliqua saltem sacramenta reviviscunt; I. 171.

Objectum formale quod et quo, quid sint; V, 101.

Ordo quid sit; VII. Prooem. p. 518. Est N. L. sacramentum; 31: non

multiplex, sed unum; 64. Materia est instrumentorum traditio; 66: cum manuum impositione pro Episcopatu, Presbyteratu et Diaconatu; 68, 71. Forma sunt verba illa quibus materia traditur; 66, 68. Subjectum ordinis est tantum homo baptizatus et masculini sexus; 88. (v. Episcopus. Hierarchia.)

Ostiariatus est ordo; VII, 4: est sacramentum; 60.

P

Panis est materia remota Eucharistiae sacramenti; IV, 126: debet esse triticeus; 127. Tum azymus, tum fermentatus, est materia valida; 128.

Papa potest delegare Presbyterum ad confirmandum; III, 40: item in Matrimonio tantum rato ex rationabili causa dispensare; VIII, 139.

Pascha judaicum Christus D. celebravit; IV, 1, 2: azymorum die; 3.

Peccatum omne post Baptismum commissum est in Ecclesia remissibile; V, 8-10, 24. Poenitentia remissum non redit amplius; 37: etiam quoad poenam; 40. Veniale peccatum multis modis ac facilius mortali remittitur; 58. Sacrificium Missae remittit venialia; IV, 243.

Poena congrua in vindictam peccati exquiritur a Deo; V, 75. Poena aeterna cum culpa remittitur; 32: non tamen semper tota indulgetur poena temporalis; 33.

Poenitentia est necessaria necessitate medii; V, 3, 4: et quidem per se formaliter; 6. Per eam omne peccatum remitti potest; 22, 23. Peccatum in Spiritum-Sanctum cur irremissibile; 27.

Vera Poenitentiae notio; V, 68. Objectum ejus materiale fugiendum est peccatum etc.; 69-71: prosequendum, sunt omnia quae ad deletionem peccati ducunt; 72. Deum etiam Poenitentia attingit; 74. Poenitentiae actus est honestus; 78: supernaturalis; 79: quare Poenitentia est virtus infusa; 88. Possibilis est Poenitentia naturalis; 89.

Poenitentia est generalis et specialis; V, 90. Ad remissionem peccati non opus est poenitere ex speciali; 91. Datur virtus Poenitentiae ab aliis distincta; 95, 96. Objectum formale Poenitentiae specialis est honestas, quae in aequalitate divini juris reparanda existit; 101: unde est virtus moralis non theologica; 102.

Poenitentia, seu ritus sensibilis quo Sacerdotes peccata remittunt, est vere et proprie Sacramentum; 120. Materia seu quasi materia hujus sacramenti sunt actus poenitentis; 125. Forma, verba: *Ego te absolvo* etc.; 126. Actus poenitentis et verba formae sunt partes essentiales sacramenti Poenitentiae; 127, 128. Potest

hoc sacramentum esse informe ac validum; 170. (v. Absolutio. Confessio, etc.).

Polyandria simultanea adversatur fini principali Matrimonii; VIII, 110.

Polygamia simultanea lege divina prohibetur; VIII, 111: etiam naturali, non quidem primis ejus principiis, sed conclusionibus, in quibus Deus dispensare potest; 115. 120. 121. Tempore Abrahae, Deus in polygamia pro populo electo dispensavit; probabile est etiam pro gentibus dispensasse; 122. Eam pro omnibus abrogavit Christus; 123.

Praesentia corporum circumscriptiva potest multiplicari; IV. 84. (v. Christus).

Presbyter sine licentia Rom. Pontificis invalide confirmat; not. p. 164. Accedente legitima S. Pontificis delegatione, oleum infirmorum benedicere potest; VI, 39. Ejus ordinatio est sacramentum; VII, 38. 44. Presbyteri non iidem sunt ac Episcopi; VII, 22. Ipsis committi potest, ut Subdiaconatum minoresque ordines et forte Diaconatum conferant; 84. 87.

Promissio: in quo reponenda ejus essentia juxta Vazquez et Suarez; VIII, 212, 217.

Propositum quid sit; V, 156: necessarium est ad validitatem sacramenti Poenitentiae; 157: per se probabilius formale; 160: per accidens potest sufficere virtuale; 162: practice debet esse universale; 165: licet probabilius satis sit speciale propositum; 166.

Q

Quantitas distinguitur realiter a substantia materiali: in Eucharistia virtute divina existit per se absque subjecto; IV, 69.

R

Religio. Solemnis in religione professio dirimit Matrimonium tantum ratum; VIII, 137.

Reservatio est restrictio jurisdictionis; V, 367, 269: tollitur, cum impossibilis est accessus ad legitimos Superiores; 280.

S

Sacramentalia dantur in Ecclesia catholica; I, 175-178: aliquid sacrum significant; 179: venialia peccata remittunt, impetrato ad poenitentiam auxilio; 180, 181.

Sacramentum. Voci ssignificatio; I, 1. In V. Lege tres fuerunt sa-

cramentorum classes; 5. In L. N. existunt sacramenta; 7: numero septem; 9.

Causant gratiam ex opere operato; I. 19. 21: quae major non est propter meliorem ministrum; 38. Sacramenta sunt causae instrumentales; 63, 64: an physicae? 67, 70.

Definitio essentialis sacramenti: 117: univoce sacramentis utriusque Testamenti convenit; 119.

Sacrificium est, signum sacrum ad placitum: IV. 175, 176. Quae ejus significatio: 177. Necessario est oblatio alicujus rei permanentis Deo facta: 178: cum aliqua rei oblatae immutatione; 180: per ministrum legitimum: 181. Multiplex esse potest sacrificium: 182. In Ecclesia est verum ac proprium sacrificium; 184. (v. Missa).

Sanguis Christi aliquando e sacramento miraculose effusus potest esse verus Sanguis replicatus; IV; 95: non idem licet asserere de Sanguine inhaerente linteo vel altari, si propriam Sanguinis speciem non retinet; ibid.

Satisfactio est pars potius integralis quam essentialis sacramenti Poenitentiae: V. not. p. 397: proprie est actio aliqua injuriam compensans; 285. Justi pro debitis poenis satisfaciunt de condigno: 286. 287. Peccatores cum sacramento, de congruo; 288. 289. Ad opus de condigno satisfactorium requiritur acceptatio a Deo; 290: et status viatoris; 291.

In confessione imponenda est poenitentia peccatis proportionata; V. 295: quam poenitentes perficere tenentur; 299: per se, sub gravi obligatione; 304: sicut Sacerdotes imponere; 303.

Scotus: ejus sententia de causalitate sacramentorum impugnatur; I. 27.

Sigillum sacramentale quid sit, quod ejus objectum, ex qua confessione oriatur; V. 231. Illud servare debet Poenitentiae minister jure tum ecclesiastico, tum naturali, tum positivo divino; 232-234. In revelatione sigilli duplex est malitia, sacrilegii et injustitiae; 236. Ut sacrilegium est, non admittit materiae parvitatem; ibid.

Species sacramentales sunt aliquid reale objectivum; IV. 60. etc. Accidentia, seu species sacramentales, manent eadem numero post consecrationem; 67: et quidem omnia tam apparentia, quam occulta; 68: praeter entitates modales, aliquatenus substantiam corporis et vini afficientes; ibid: retinent haec accidentia connaturalem agendi virtutem; 70. Cum corrumpuntur, nova generatur substantia; pag. 208: pro qua Deus iterum creat materiam ante destructam; ibid. In hanc novam substantiam minime convertitur Christus; not. p. 209.

Sponsalia requirunt deliberatam, externam et mutuam promissio-

nem; VIII. 205. Ficta promissio non obligat per se ad Matrimonium; 216.
Suarius: notabilis ejus opinio de potestatibus ordinis et jurisdictionis Poenitentiae ministro necessariis; V. 265.
Subdiaconatus est ordo: VII. 4: est sacramentum; 60. Subdiaconi non semper subjecti fuere legi continentiae: p. 568. V.
Subjectum: solus homo et quidem viator capax est sacramentorum; I, 156. (v. Dispositio).
Suffragium quid sit. quibus modis praestari possit; V. 307. Possunt fideles suis operibus mutuo sibi suffragari; 308: ut vere unus pro alio solvat debitum; 311, 312.

T

S. Thomas stat pro physica sacramentorum causalitate: I. 65.
Transsubstantiatio est actio reproductiva Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus: IV. 47, 48. Post eam nihil manet substantiae panis et vini: 50–53. Existentia quoque substantialis panis et vini non remanet; 54: sicut nec eadem numero entitas, quae fuit panis, sub esse Corporis Christi; 55. Transsubstantiatio excludit panis et vini substantiae annihilationem; 58. Actio transsubstantiativa non constituit sacramentum Eucharistiae; 122.

U

Unctio personarum triplex in Ecclesia; VI, 5.
Usus Eucharistiae non spectat ad constitutionem ejus intrinsecam; IV. 123. Usus Matrimonii non est de ejus essentia; VIII. 48.

V

Valor sacrificii Missae distinguendus ab effectus valore; IV. 255: ille est infinitus, hic finitus intensive; 255, 256: extensive vero, pro pluribus idem numero sacrificium cum Sacerdote offerentibus potest effectus dici infinitus: 257, 258: sed si unum idemque sacrificium pro pluribus offeratur, effectus ejus finitus inter singulos, pro quibus offertur, dividetur; 259.
Verba, consecrationis possunt dici recitative et assertive; IV. 143. Essentiale est proferre assertive; 144: non autem recitative, quamvis ita etiam proferantur; 146.
Vinum de vite est materia remota sacramenti Eucharistiae; IV. 125-127: vel merum, vel aliquantulum mixtum; 134, 5.°
Virginitas, per se. est Matrimonio perfectior; VIII, 21.

A. M. D. G.

PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
4	26	insensibilibus	in sensibilibus
8	30	veconnit	convenit
9	32	Nivem	Nivem,
17	24	recipiente	recipienti
17	41	I Cor. I. 14. 14	I Cor. I. 13. 14
50	33	voquit	voluit
52	22	sublatores	sublato res
92	25	ut Jordanis	ut est Jordanis
96	21	assumptionem	assumptione
98	6	his	ibi
98	31	clementa	clementina
103	31	materiam	materia
135	34	*union.*	pro armen.
174	36	*Parasceves*	*Parasceve*
234	31	Thes. VII, p. 30.	Thes. VIII, n. 8
257	1	vere	vero
268	38	mund	mundi
311	36	mysteriorium	mysteriorum
322	23	coetorum	coelorum
345	18	in interpretabilis	ininterpretabilis
350	33	hoc	hac
403	18	charitatem	charitate
421	39	bono honesto	ex bono honesto
437	7	confessionem.	confessionem:
449	31	omnibus	«omnibus»
467	21	ad	a
481	26 27	comnem	communem
495	9	causat	causet
504	20	«Unctionem.»	«Unctionem...»
506	2 3	delectationem.»	delectationem...»
546	19	qua	quae
551	6	pro quo	pro qua
557	15	Episcopum	Episcopus
562	15	praesse	praeesse
617	42	Areanum	Arcanum

OBRAS QUE SE HALLAN DE VENTA

EN LA

Librería de la Viuda é Hijos de J. Subirana

Analogia Veteris ac Novi Testamenti, R. Patri Martini Becani, S. J.. Theol.. in quo primum status veteris, deinde consensus, proportio et conspiratio illius cum novo explicatur. Cum triplici indice, uno capitum, altero quæstionum, tertio autem rerum et verborum.—Obra utilísima á todo eclesiástico, reimpresa con el competente permiso del Excmo. Sr. Arzobispo que fué de Tarragona, D. José Domingo Costa y Borrás, y revisada por un sacerdote destinado al efecto por dicho prelado.

Un tomo en 8.º mayor, á 1'50 ptas. en rama y 2'50 en pasta.

Ejercicios espirituales de S. Ignacio de Loyola, por el P. Nouet, S. J. – Con licencia.

Un tomo en 16.º, á 0'75 ptas. en rústica y 1'25 en pasta.

Meditaciones espirituales del V. P. Luís de la Puente, de la Compañía de Jesús.—Con licencia.

Seis tomos en 8.º, á 6 ptas. en rústica y 9 en pasta. La obra en tres volúmenes, 8'25 ptas.

Compendio de las Meditaciones del P. la Puente, de la Comp. de Jesús. Recopilado por el P. Arnaya.— Con licencia.

Un tomo en 8.º, á 2 ptas. en rústica y 2'75 en pasta.

De la imitación de Cristo meditada, por el abate Herbet.– Con licencia.

Dos tomos en 8.º mayor, á 6 ptas. en rústica, 7'50 en pasta y 8'50 en medio chagrín.

Oficio de la Santísima Virgen María y el de difuntos, en latín, según el ritu romano.—Con licencia.

Un tomo en 16.º, á 0'50 ptas. en rústica y 0,75 en percalina.

Oficio de la Santísima Virgen, seguido del Oficio de difuntos. Traducido al castellano por un devoto del Sagrado Corazón de Jesús.—Con licencia.

Un tomo en 16.º, 0'63 ptas. en rústica y 1'13 en pasta.

Preces tomísticas, por Torras y Bages. Pbro.– Devocionario conteniendo varias notabilísimas oraciones compuestas por

el Angel de las Escuelas; una novena del mismo y otras varias devociones para excitar la devoción al que la Santidad de León XIII ha proclamado Patrono de las Escuelas católicas.

Un tomo en 8.°, á 0'50 ptas. en rústica y 1 en percalina.

Verdades eternas, explicadas en lecciones ordenadas principalmente para los días de los Ejercicios espirituales, por el P. Rosignoli, de la Compañía de Jesús.—Con licencia.

Un tomo en 8.°, á 1'50 ptas. en rústica y 2'25 en pasta.

Tratado de la perfección en todos los estados de la vida del cristiano, por el V. P. Luís de la Puente, de la Compañía de Jesús.—El éxito alcanzado en la publicación de las *Meditaciones espirituales* del V. P. Luís de la Puente, de las cuales llevamos hechas repetidas ediciones, movió, no menos que al mérito de la obra, á publicar el *Tratado de la perfección en todos los estados de la vida del cristiano*, que ofrecemos al público.—Con licencia.—Esta importante obra consta de ocho tomos en 8.°, y la forman los siguientes: *Tratado de la perfección del cristiano en general*. Dos tomos, 4'50 ptas. en rústica y 6 en pasta.—*Tratado de la perfección del cristiano en el estado seglar*. Dos tomos, 4'50 ptas. en r. y 6 en p.—*Tratado de la perfección del cristiano en el estado religioso*. Dos tomos, 5'50 ptas. en r. y 7 en p.—*Tratado de la perfección del cristiano en el estado eclesiástico*. Dos tomos, 6 ptas. en r. y 7'50 en p.—Cada *Tratado* es una obra completa, pudiéndose tomar cualquiera de ellos separadamente.

EL APOLOGISTA CATÓLICO

POR

D. NICETO ALONSO PERUJO

CANÓNIGO DOCTORAL DE VALENCIA

Las tres ediciones de esta obra agotadas en poco tiempo, son el mejor testimonio de su indisputable mérito y utilidad para el clero y los Seminarios.

Basta recordar su división:

I PARTE.-La Iglesia católica considerada en *sus dogmas*.
II PARTE.-La Iglesia católica considerada en *su constitución*.
III PARTE.-La Iglesia católica considerada en *sus obras*.
IV PARTE.-La Iglesia católica considerada en *sus hombres*.
V PARTE.-La Iglesia católica considerada en *sus luchas y triunfos*.

Consta de dos tomos. Se vende á DIEZ PESETAS cada ejemplar en rústica. Los pedidos deben venir acompañados de su importe, y serán servidos á vuelta de correo.

208.9
C 262 # 264
CASAJOANA
AUTHOR
Disquisitiones Scholas..III
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

264